**ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu**

DOCTOR IURIS ET IURIS CANON., LOVANII IN COLL. MAX. S. I. PROFESSOR
THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

# DE RELIGIOSIS

## INSTITUTIS & PERSONIS

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

**PERIODICA**

TOMUS ALTER

*(continuans De Religiosis II, ed. alteram)*

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT

ROMAE & RATISBONAE — F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM — P. LETHIELLEUX

1907

Ego IOSEPHUS DE VOS, Praepositus Provincialis Societatis Iesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre FRANCISCO XAVERIO WERNZ, eiusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *De Religiosis Institutis et Personis Supplementa et Monumenta Periodica, Tomus II*, a Patre ARTHURO VERMEERSCH, sacerdote S. I. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Lovanii, die 11 martii 1907.

**I. De Vos, S. I.**

---

IMPRIMATUR

Brugis, 8 martii 1907

H. LAHOUSSE, *can. libr. cens.*

Brugis, typis Houdmont-Boivin et Filiorum

Propriae intentioni et ipsi operis titulo videtur melius satisfactum iri, si periodicam istam Monumentorum et Supplementorum editionem in duas diviserimus partes: alteram *Supplementorum*, qua canonicam *De Religiosis* doctrinam perficiemus, alteram *Monumentorum*, quae novissima *De Religiosis* exhibebit decreta. His porro, prout res suadere videbitur, nonnullas subiciemus annotationes.

Qua ratione, ni fallimur, fiet ut, pro viribus, ex utroque nostro tomo et his fasciculis, plenam disciplinae religiosae hauriendam offeramus informationem.

# PARS PRIOR

# SUPPLEMENTA

---

## SUPPLEMENTUM PRIMUM

### DE RATIONE ANNI BISEXTILIS HABENDA IN RECTA TEMPORIS COMPUTATIONE

*(Cfr. t. 1, n.* **164** *;* **188** *;* **209.***)*

**Ratio scribendi.** — Nonnunquam certum spatium vel temporis vel vitae ipsi valori actuum praefinitur: quod tunc mathematico consuevit requiri rigore. Ita nulla est professio, nisi annalis praestituta fuerit probatio, nisi profitens 16$^{um}$ aetatis compleverit annum. Nulla est sollemnis professio, nisi per tres annos simplex votorum firmata fuerit professio. Quare iam pridem de recta temporis aestimatione doctores gessere sollicitudinem, et quae ratio habenda sit anni bisextilis conati sunt assequi et explicare. Cfr. v. gr. Lessium, *De Iust.*, c. 41 n. 59; Molina, *De Iust.* t. 2, tr. 2, disp. 573, n. 2; Sanchez, *In Decal.* l. 5, c. 4, n. 4; Barbosa, *De Offic. Episcopi*, *Alleg.* 101, n. 23 s.; Schmalzgrueber, l. 3, t. 31, n. 66.

An vero semper perspicue, immo accurate dixerint, id certe dubitari licet. Quocirca, cum in anno bisextili versemur, operae pretium visum est de re ista distincte dicere, et ex parte corrigere quae a nobis t. 1, n. 188 sunt proposita.

**Principium.** — Hoc initio est utendum. Fictione iuris romani [1], quam nihil immutavit ius canonicum, mensis februarius censetur in anno bisextili eodem 28 dierum numero constare quo in aliis annis. Necesse itaque fuit aliquem diem repetere, eum nempe qui sextus occurrit ante calendas martii (24 februarii), qui geminatus dies

---

1 Cfr. v. gr. Arago, *Astronomie populaire*, t. 4, livre 33, p. 677.

pro uno habetur. Quare in martyrologio v. gr. additus dies appellatur *sexto calendas martii* aeque ac proxime sequens. Etenim, cum usu romano dies non numerentur addendo sed deducendo pro distantia qua separantur a nonis, idibus eiusdem mensis, vel calendis mensis proxime futuri, bisextus prior est sexto quocum unus fingitur esse dies. Hinc etiam fit ut qui dies hodierno more appellatur 25us februarii sit in anno bisextili re vera 24us anni ordinarii, dies qui appellatur 26us respondeat 25° et ita porro, ad finem usque mensis februarii. Quod ex ipso martyrologio perspicitur. Qui enim Sancti pronuntiari consueverunt die 24° februarii, in anno bisextili pronuntiantur die 25, nullus autem die 24. Hinc:

**De anno noviciatus.** — 1° Novicio qui, anno 1903, die 24 februarii sit ingressus, non licuit vota facere nisi 25 februarii anni praesentis ; ac perinde dicas de reliquis diebus mensis februarii.

2° Contra autem, qui in ipso anno bisextili 1904, die 24° vel 25° mensis februarii fuerit ingressus noviciatum, annum complebit die 24° februarii 1905, recurrente eadem hora ; et qui 26° februarii sit ingressus annum 25° februarii perficiet. Itaque utraque series hoc schemate proponi potest

| Annus inchoatus | | | Perficitur | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1903, | 24 | februarii | 25 | februarii | 1904 |
| » | 25 | » | 26 | » | » |
| » | 26 | » | 27 | » | » |
| » | 27 | » | 28 | » | » |
| » | 28 | » | 29 | » | » |
| 1904, | 24 | » | 24 | » | 1905 |
| » | 25 | » | 24 | » | » |
| » | 26 | » | 25 | » | » |
| » | 27 | » | 26 | » | » |
| » | 28 | » | 27 | » | » |
| » | 29 | » | 28 | » | » |

Quod confirmatur a MOLINA (d. 573, n. 2) « Si quis nascatur in utrovis die qui in anno bisextili sexto calendas martii dicitur, tunc cum dies uterque pro uno reputetur, annus completur sexto calendas martii anni sequentis in eadem hora et puncto. »

**De computanda aetate.** — Ut quis perficiat aetatem 16 annorum, oportet, ut in anno 16° aetatis attingat eandem calendarii diem, eandemque horam.

Condicioni autem isti satisfacit qui, natus 24 februarii

anni bisextilis, attingit eandem horam diei 24 febr. anni 16ⁱ aetatis. Diei enim 24° febr. anni bisextilis perfecte respondet dies 24ᵘˢ alius anni bisextilis.

Semel autem in saeculo, quando annus saecularis nequit perfecte dividi in partes quattuor, omittitur annus bisextilis. Ita, annus 1700, 1800, 1900 non fuere bisextiles. Quare qui natus est anno 1900, die 24 febr. non complebit annum 16 aetatis nisi 25° febr. anni 1916. Quod de aliis diebus qui post 24ᵘᵐ in mense februario anni 1900 occurrunt est perinde dicendum. Cuius rei ratio non est allata a LESSIO (c. 41, n. 59) necessitas supplendi, post quartum quemque annum, quatter senas horas quae singulis annis defuerint : nemo enim ad complendum annum v. gr. noviciatus, postulat additionem sex horarum, sed ratio tota est in supra proposito usu calendarii.

Nulla autem ratio postulat, ut eum qui ingrediatur religionem die 29° februarii posse facere vota negemus die 28° februarii anni proxime sequentis, cum dies 29ᵘˢ anni civilis supponat pro die 28° computationis canonicae. Quocirca corrigimus dicta t. 1, n. **188**.

---

# SUPPLEMENTUM SECUNDUM

## DE SIMPLICI PAUPERTATIS VOTO

### ARTICULUS I. De varietate istius voti pro varia Instituti natura

*(Cfr. t. 1, n.* **240-251**.*)*

**Ratio scribendi.** — Velimus hoc loco paucis verbis adumbrare rationem qua, post normas a S. Congr. Episcoporum et Regularium conditas die 28 iunii pro approbandis novis Institutis votorum simplicium (Cfr. t. 2, *Supplem. X*), et Decretum *Perpensis* diei 8 maii 1902 (Cfr. t. 2, *Supplem. XI*), ex parte perfici vel mutari debeant dicta de disciplina voti paupertatis t. 1, n. **240-251**.

**In Ordinibus religiosis.** — 1. *De Ordinibus virorum.* Intacta est disciplina voti paupertatis in Ordinibus virorum. Quare manent proposita t. 1, n. **245-249**.

Attamen e recentibus decretis, nominatim ex art. XI decreti *Perpensis*, iam plane constat quod scribebamus n. **248** de bonis post simplicem professionem comparatis : a simpliciter professis posse et debere cedi administrationem, usum atque usumfructum istorum bonorum ; ipsis autem integram linqui optionem designandi administratoris et definiendi dispositionis modi.

Quia tamen usum fructum abdicare debent, non videntur, etiam ante professionem, cavere posse ut percepti fructus accrescant ad capitale, ita ut quondam forte eos recuperare queant. Quod confirmatur responso S. Congr. allato t. 2, *Monumenta* n. **298**. Atque ita ex parte corrigimus dicta t. 1, n. **246**,3.

2. *De Monialibus, proprie dictis*. Inducta simplicis professionis triennalis probatione, quae de simplici voto paupertatis in Ordinibus virorum erant statuta iam in ipsas sunt transferenda. Quod explicavimus t. 2, p. 170, ed. 2.

Observes *dotem* non acquiri monasterio ante sollemnem professionem.

Si quae Instituta, iam ante decretum *Perpensis*, utebantur regimine professionis simplicis, eoque diverso, voluit S. Congr. ut res secum componantur. Cfr. resp. 18 iulii 1902, t. 2. *Monumenta*, n. **65**.

**In Institutis votorum simplicium.** — Iam distinguenda sunt :

1. Instituta *probata* ante normas recentiores. Horum permanet disciplina, satis similis eius quae Ordinibus est praestituta.

2. Instituta deinceps *probanda*. His imponetur regimen Normarum quod explicavimus t. 2. p. 142 s. Quod certum est de Institutis probandis a S. Cong. Episcoporum et Regularium, verisimile autem de aliis. S. enim Congr. de propaganda Fide nullam novam, quod sciamus, edidit declarationem, sed curavit ut ad se mitteretur exemplum Normarum.

Observes de *dote* Sororum, eandem non acquiri conventui nisi post mortem Sororis.

***Quaeres***, quid de iis qui alio vigente regimine fecerunt professionem in Instituto quod nondum erat approbatum, et deinde subiectum est novae disciplinae? Si perpetuam fecerant professionem, videntur retinere posse disciplinam priorem. Si vero temporalem tantum, viden-

tur nova professionis perpetuae disciplina obstricti, nisi a S. Sede aliquod concedatur temperamentum. Noverunt enim se versari in Instituto cuius regimen nondum erat plena confirmatione firmatum; et bonum commune postulat ut omnes eidem subdantur legi, salva iustitia.

## ARTICULUS II. **De Paupertatis lege qua tenetur Episcopus assumptus ex Congregatione religiosa**

*(Cfr. t. 1, n. 498.)*

Ut quaestionem istam, satis novam, paucis verbis solvamus, haec videntur statuenda.

1. Servat Episcopus ex Instituto votorum simplicium paupertatis votum, quatenus *sibi* ditescere vetatur, et, contentus congruo victu, cetera tribuere debet pietati ac potissimum suae ecclesiae utilitati.

2. Sicut ipsa Episcopi regularis renuntiatio, qua abdicabatur patrimonium, existimatur in gratiam ecclesiae revocata, ita abdicatio ususfructus, facta ab Episcopo Instituti religiosi, est facta irrita quod ad effectus futuros [1]. Id suadet omnimoda causae paritas, praeter ipsam rationem iuris naturalis: contigit enim id, quo praeviso, ususfructus non fuisset gratis resignatus. Gratuitae autem promissiones possunt in his adiunctis rescindi.

3. Bonorum suorum recuperat *administrationem*, sicut ipsius ecclesiae suae est administrator.

4. *Testamentum* si condere poterat in Instituto, non minus factus Episcopus scribet legitime. Quod si voto paupertatis prohibebatur, sine Indulto S. Sedis non videtur fas esse ut testamentum conficiat. Atque in universum, quae poterat cum licentia *proprii.* Praelati, iam poterit per se, postquam factus est Episcopus.

5. Sibi non potest ex redditibus ditescere, sed poterit, v. gr. ecclesiae suae. Excepta enim honesta sustentatione, simplex paupertatis votum continet personalem ususfructus abdicationem.

---

[1] Sed non in gratiam ecclesiae tantum. Namque, ex responso Sacrae Congregationis, Episcopus ex-professis liberum usum habet redituum suorum. Videas *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 227.

# SUPPLEMENTUM TERTIUM

## DE INDULTIS SAECULARIZATIONIS

*(Cfr. t. 2, n.* **124**, *p. 440.)*

Distinctius et accuratius proponendus est usus praesens Indultorum saecularizationis (de quo in nota 4, p. 440). Itaque :

1. Saecularizatio *ad annum et interim* non iam concedi consuevit. Cum enim huiusmodi saecularizati difficile reperirent Episcopum qui ipsos reciperet, postulabant semper iterandas prorogationes Indulti, quibus fiebat ut non pauci sacerdotes in saeculo degerent in nullam dioecesim cooptati. Quae res visa est S. Congregationi plena periculorum et incommodorum.

2. His qui, cum animo postmodum repetendi claustra, peculiari quadam necessitate, v. gr. alendi parentes, inducuntur ad postulandam facultatem versandi per aliquod tempus extra monasterium, conceditur Indultum saecularizationis temporalis quod descripsimus t. 2, n. **118**, B, p. 434.

3. Denique si qui sibi quaerant dissolutionem vinculi quo iunguntur suo Instituto, conceditur, si iusta visa sit causa, saecularizatio perpetua, cuius formula habetur n. **118**, A, p. 433, ita tamen ut qui sunt in sacris prohibeantur deserere Ordinem, antequam Episcopum benevolum receptorem invenerint ac sacrum sibi constituerint patrimonium.

N. B. Si Episcopus benevolus receptor declaraverit fore ut congrua ipse procuret alimenta, facillime ab habendo proprie dicto patrimonio dispensat S. Congregatio.

---

# SUPPLEMENTUM QUARTUM

## DE VARIIS DUBIIS

I. *De Litteris testimonialibus, ad ingrediendum novitiatum.*

1. A quonam sunt petendae litterae testimoniales, si

postulans duos vel tres dies in saeculo commoratus sit solutus votis quibus in alio Instituto erat astrictus?

R. Si verbalem serves rigorem responsi S. Congregationis (Cfr. t. 1, n. **171**, t. 2, n. **32**,B), cum postulans actu non degat in priore Instituto, petendas dixeris litteras ab Ordinario loci. Nihilominus parva ista commoratio extra claustra videtur talis in quam cadat vulgatum istud « parum pro nihilo reputatur ». Nec sperari plerumque potest accurata causae cognitio nisi a Superiore Generali vel Provinciali Instituti ad quam pertinuit religiosus. Ab his itaque videntur litterae postulari posse.

2. Si ideo ab Episcopo negantur litterae testimoniales quia postulans ipsi minime est notus, vult, praeter cetera, S. Congregatio, ut priusquam induat habitum, postulans per tres menses in conventu probetur. (Cfr. t. 2, n. **32**,A,3.) Quid autem si agatur de iuvene qui in schola apostolica Ordinis alatur?

R. Cum tam bene notus sit Superioribus, videtur trimestri illa probatione supersederi posse.

II. *De Monialibus Gallia pulsis quae in Italia sedem ponunt.*

In Gallia nulla monialium vota iam sunt sollemnia (Cfr. dicta, t. 1, n. **86**). Contra vero in Italia. Quid porro, de monialibus antiquioris Ordinis quae, pulsae Gallia, in Italiam demigrarint. Num in Italia ipsis sunt sollemnia vota restituta?

R. Quandiu vota faciunt tanquam Sorores conventus quo in Gallia potiebantur, votorum qualitas mutato caelo non afficitur. Si vero profiteri coeperint ut addictae novae domui in Italia, sollemnitati votorum nihil videtur obstare, dummodo eae adhibeantur sollemnitates quae ad clausuram pontificiam inducendam iure vel consuetudine sunt requisitae (Cfr. t. 1, n. **310**, 2).

III. *De Ordinibus qui excipiuntur decretis Clementis VIII.*

In tomo 2, p. 62, n. 7, diximus exemptionem *quorundam* Ordinum esse firmatam decreto 2 oct. 1698. Hi Ordines quinam sunt? Ii qui numerantur in C. *Sanctissimus*, eiusdem Pontificis Clementis VIII, suntque indicati a nobis, p. 60, 2.

IV. *De auctoritate capituli et Superioris Provincialis.*

Si capitulum provinciale decreta ferre permittatur, eritne ipsi Superiori Provinciali superior?

Quod ducimus affirmandum. Simili enim tunc loco sunt ambo, quo est Capitulum generale ad Superiorem generalem.

V. *De Confraternitatum vel Piarum Unionum translatione.*

Anno proxime elapso 1903, die 19 aprilis, Sorores quae a caritate et a S. Vincentio a Paulo nuncupantur impetrarunt a S. Congregatione Indulgentiarum Indultum quo, in praesenti vexatione religiosorum Galliae, Sodalicia instituta apud ipsas possint, intactis indulgentiis, in alia ecclesia vacare consuetis pietatis exercitationibus.

Observes, cum Episcopus permittere queat translationem Sodalicii ab una in aliam ecclesiam, Indulto S. Sedis opus fuisse non videri. Quare in ipso Indulto legimus S. Congregationem annuere *quatenus opus sit.* Cfr. *Revue théologique française*, 1903, p. 481.

# PARS ALTERA

# MONUMENTA

## 1. — S. R. U. INQUISITIONIS (S. OFFICII)

### *RESPONSUM 8-10 MAII 1901*

### De erectione Confraternitatum SS. Rosarii

*Congregationes oratrices.*

Nel luglio [1] del 1900, dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide*, d'intesa colla S. Congregazione *delle Indulgenze*, furono referiti alla Suprema Congregazione del S. Uffizio i dubbii seguenti:

**Dubia** *de erectione, in locis Missionum, confraternitatis SS. Rosarii ex auctoritate S. Congr. de Propagan- Fide.*

I. Se, dopo la Costituzione Apostolica *Ubi primum* del 2 ottobre 1898, e la declaratoria di essa, riportata in *Augustana*, del 10 agosto 1899, possa continuarsi dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide* a consedere, come per lo innanzi, agli Ordinarii delle Missioni da essa dipendenti la facoltà di erigere le Confraternite o Pie Unioni del SS. Rosario colle rispettive indulgenze accordate dai Sommi Pontefici — E, *quatenus affirmative*;

II. Se agli Ordinarii che ne vengano rivestiti, sia pure necessaria, per usarne validamente, una speciale autorizzazione del P. Generale dei Domenicani.

*Feria IV, die 8 maii 1901.*

*Dies (8 maii 1901).*

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram EE^mis ac RR^mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis praedictis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

---

[1] Id est, latine: Mense iulio anni 1900, S. Congr. de Propaganda Fide convenit cum S. Congr. Indulgentiarum de deferendis ad Supremam Congregationem S. Officii sequentibus dubiis :

I. Utrum necne, etiam post Const. Apostolicam *Ubi primum*, 2 octobris 1898 et declarationem factam in *Augustana*, 10 augusti 1899, possit S. Congr. de Propaganda Fide, ut prius facere solebat, Ordinariis Missionum sibi subiectis, tribuere facultatem erigendi Confraternitates vel Pias Uniones SS. Rosarii cum propriis indulgentiis a RR. Pontificibus concessis. — Et *Quatenus affirmative*,

II. Utrum necne Ordinariis hac instructis facultate opus ad validum eius usum praeterea sit peculiari licentia P. Generalis FF. Praedicatorum.

**Responsa.** *Ad. I. Negative; seu soli Rmo P. Magistro generali Ordinis Praedicatorum vel eius Vicesgerenti competere erectionem Confraternitatum, vel etiam piarum Unionum a SS. Rosario nuncupatarum, ideoque a nullo alio valide erigi possi, etiam cum solis indulgentiis Confraternitatibus vel piis Unionibus in genere a S. Sede concessis, vel concedi solitis. Et corrigantur formulae.*

*Ad. II. Provisum in primo.*

*Approbatio Pontificis, die 10 maii 1901.* Sequenti vero feria VI, die 10 eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. Assessore habita, SSmus resolutionem EE. ac RR. adprobavit.

*I. Can. Mancini S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

---

## 2. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

### *RESPONSA* [1] *6 DECEMBRIS 1902 ET 8 MAII 1903*

### De Calendario religiosorum et Titulari dubio

I. *Responsum 6 decembris 1902.*

*Orator.* R. P. Elogius Villafranca, Presbyter Cong. Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Calendarii ordinator, de consensu sui Rmi. P. Superioris Generalis, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

**Dubia** *1. Concesso proprio calendario, debentne coli officia localia quae universo clero, saeculari et regulari, sunt praeceptive concessa?* I. An Alumni dictae Congregationis, post recentissimam Calendarii proprii concessionem, teneantur, exceptis Festis Titularium, Patronorum et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ad officia et Missas alicui Regno vel Dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari?

*2. Uter duorum de quibus est dubium habendus est pro titulari?* II. Cum ex documentis scriptis non constet quisnam sit Titularis Ecclesiae coenobio adnexae et in loco Sancti Dominici nuncupato erectae, quam nomine S. Francisci Assisiensis fideles solent appellare; cumque in altari tum Beata Maria Virgo de Angelis vocata, tum S. Franciscus in actu impressionis Sacrorum stigmatum repraesententur: quaeritur quisnam sit Titularis Ecclesiae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

**Responsa.** *Ad 1. Mens generalis* Ad I. Negative et ad mentem. Mens autem est regulares non teneri ad Officia loci quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci Calendario utantur.

*Ad 2.* Ad II. In casu habeantur uti Contitulares aeque principales B. Maria Virgo de Angelis et S. Franciscus Assisiensis.

*Dies (6 dec. 1902).* Atque ita rescripsit. Die 6 decembris 1902.

D. Card. Ferrata, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secr.*

---

[1] *Monitore Ecclesiastico,* t. 15 (1903), p. 342 et 205.

II. *Responsum 8 maii 1903.*

*Orator*

Hodiernus redactor Calendarii Officii Divini pro Alumnis societatis Missionariorum a S. Joseph, sequentis dubii solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

**Dubium** *de traducendo ad Institutum religiosum Indulto quo S. Thuribius ab universa America latina certo ritu praecipitur colendus.*

Ex Decreto S. C. pro Neg. Eccl. Extr. die 11 ianuarii 1900 extensa fuere ad totam Americam Latinam Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Limani sub ritu duplici secundae classis; hinc dubium oritur, utrum alumni dictae Societatis, qui ex maxima parte distributi sunt in America Latina, utpote ad regiones latino-americanas praecipue destinati, tali decreto obligentur, an potius stare debeant proprio Calendario a S. Sede approbato, in quo S. Thuribius ritu duplici minori recensetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, respondendum censuit:

**Responsum.** *Dies (8 maii 1903).*

*In casu, affirmative ad primam partem et negative ad secundam.* Atque ita rescripsit die 8 maii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

*Diomedes Panici, Archiep. Laodicen. S. R. P. Secret.*

ANNOTATIONES

De vi et significatione prioris partis decreti 6 dec. 1902, parce scripserunt libelli periodici qui in commentandis actis S. Sedis versantur. Nec parum dubios fecit plurium animos. Variae ad nos perlatae sunt sententiae, quas paucis verbis hic proponere iuvat.

1. Fuit qui perspicuitatem responsi celebrando omni satius duceret abstinere explicatione; dum alii, contra, de assequenda significatione visi sunt desperare.

2. Alii responsum istud existimarunt contrarium tum decreto 20 martii 1683 (n. 1708, 2°), tum rescripto 8 maii 1903; quare haec esse consideranda ut responsa particularia, retinendam vero, tanquam generalem, regulam nostro responso propositam *in mente, ad primum* descripta. Ita *Monitore ecclesiastico*, 1903, p. 343.

Rescriptum 8 maii 1903 est modo supra exhibitum. Responsum n. 1708, 2°, est in causa FF. Minorum de Observantia, atque haec habet: « An possint et debeant (dicti Religiosi) recitare officia ad petitionem Regum et Principum recitari concessa in aliquibus regnis, provinciis, ditionibus, etc. a toto clero tam saeculari quam regulari in diebus fixis, ex. gr. de B. M. V. de Monte Carmelo, die 16 iulii, de S. Rosa Limana die 30 augusti, de B. Ferdinando Rege Castellae die 30 maii, et aliis in Regnis Hispaniarum, et sic de similibus in aliis ditionibus? Huic quaestioni ita respondit S. Cong. « Affirmative, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares. »

3. Alii hoc modo opinantur: Vis responsi haec est, ut probet, Regulares qui proprio utuntur calendario non teneri obligatione recitandi Officia propria locorum, quamvis Indultum contineat clausulam praeceptivam pro utroque clero. Verum id facere ipsis licet, ut apparet ex responso (modo recitato) n. 1708, 2°. Quod sentiunt scriptores *Revue théologique française*, 1904, p. 69.

4. Alii idem sentiunt quod proxime est dictum, sed addunt: si semel receperint officia propria regni, etc. iam debent Regulares eadem

servare. Atque innituntur responso in Patavina, 28 aprilis 1866 (n. 3147). Ad quaesita enim : 1. An Regulares in dioecesi Patavina degentes teneantur ad recitanda officia ad petitionem regum et principum universis eorum regionibus concessa, cum expressa mentione utriusque cleri saecularis et regularis? 2. An iidem teneantur ad recitanda officia concessa cunctis dominiis regi aut principi subiectis, nulla facta in Indulto distinctione cleri? 3. An ad officia utrique clero alicuius dioecesis indulta? » — respondit S. Cong. : Ad 1. 2. et 3. « Affirmative, si officia aliquando fuerint ab ipsis Regularibus acceptata ; secus, Negative. »

5. Responsum istud, sic alii arbitrantur, non afficit celebrationem festi sed officium et missa quibus est a regularibus celebrandum. Negat siquidem concessione seu praecepto celebrandi quaedam festa contineri facultatem vel obligationem recitandi officium et missam peculiarem dioecesis vel loci si quam habeant distinctam a communi Breviarii vel Missalis romani. Quod principium, iam traditum a scriptoribus, hoc confirmatur responso. Cfr. opus Victorii van Appelterre, t. 2, p. 53 ; et *Ephemerides liturgicae*, t. XIV, p. 476. Ab his excipiuntur officia et missae Patroni loci, Titularis, et Dedicationis Ecclesiae cathedralis, quae putant a Regularibus in proprio dioeceseos sumi posse.

*Conclusio.* Varietati isti opinionum finem faciet, ut verisimile est, nova Congregationis declaratio. Interea, praeferendae nobis videntur sententiae quibus conciliantur iura. Quare calculum adicimus sententiae quae 4° loco est proposita.

## 3. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA 15 IANUARII 1903*

### De ritu professionis sollemnis apud Moniales

*Memorato decreto* Perpensis, *quo simplicia vota inducuntur apud Moniales, atque explicatione 28 iulii 1902.*

S. Congregationis EE. et RR. decreto *Perpensis temporum adiunctis* [1], dato 3 maii 1902, praescriptum est, ut in sanctimonialium monasteriis in quibus emittuntur vota sollemnia, his praemittantur a novitiis simplicia quoque vota ; porro eiusdem S. Congregationis responso dato in una *Bononiensi* [2] die 28 iulii 1902 resolvitur : Ritum seu caeremoniale, in unoquoque monasterio receptum, adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua consuetae formulae, suppressis, si adsint, verbis sollemnitatem (votorum) exprimentibus, adiciatur novitiam nuncupare vota simplicia, iuxta Decretum a S. Congregatione EE. et RR. die 3 maii 1902 editum : professionem autem secundam emitti posse privatim in choro seu Oratorio interiore coram communitate in manus superiorissae, praevia approbatione Ordinarii seu Praelati Regula-

1 Cfr. nostrum tom. 2, n. **64**, p. 359.

2 Cfr. nostrum tom. 2, n. **65**, p. 361. Ibi mendose posita est die 18 iulii pro 28.

ris quoad Monasteria exempta. Sancitis igitur: in prima simplicium votorum professione ritum receptum, suppressis solum verbis sollemnitatem votorum exprimentibus esse adhibendum, atque secundam sollemnium votorum professionem posse emitti privatim, haec dubitatio mihi movetur:

*Iam* **Quaeritur,** *1. Quisnam decernat publicam sollemnis Professionis rationem.*

I. Sitne Ordinarii vel, quoad Monasteria exempta, Praelati Regularis, audito Superiorissae voto, decernere ut secunda quoque professio publice fiat coram Ordinario vel Ordinarii commissario.

*2 et 3. Quodnam, pro casu, sit usurpandum caerimoniale.*

II. Quod caeremoniale sit adhibendum in secunda professione, si privatim coram superiorissa fit, quodque adhibendum, si publice fit coram Ordinario eiusve commissario.

III. Utrum et quo modo in casu posteriori manendum in actionibus symbolicis: benedictione ac traditione veli, anuli, coronae, quae hucusque in ritu sollemnis professionis adhibebantur, et ad mentem decreti *Perpensis temporum adiunctis*, posthac in usu erunt?

Quas dubitationes resolvendas humillime proponens ad pedes Sanctitatis Vestrae emorior.

Humillimus devotissimus servus filius
LEO Card. DE SKRBENSKY, *Archiep. Pragen.* — *Orator.*

**Responsa.**

Sacra Congregatio Emorum ac Revum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita dubiis respondendum censuit, prout respondet:

*Ad 1.* Ad I. Affirmative, dummodo superiorissa et communitas postulent ut professio, de qua agitur, publice fiat.

*Ad 2 et 3.* Ad II. In utroque casu secundae professionis requiritur tantummodo, ut Professa proferat formulam professionis, adhibitis verbis sollemnitatem votorum exprimentibus.

Ad III. Provisum in 2°.

*Dies (15 ian. 1903).*

Romae, 15 ianuarii, 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

---

# 4. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 24 APRILIS 1903*

## De consuetudine temperante legem clausurae

*Describitur usus immemorabilis et communis monialium claustralium;*

Mos est immemorabilis apud omnes huius Dioecesis Conventus monialium claustralium in cuiusque illarum cadavere sepeliendo, plures convocare Sacerdotes, qui clausuram ingrediuntur officia sepulturae praestituri, vel eidem comitaturi, ita ut octo, vel decem, et quandoque duodecim connumerentur, praeter operarios laicos qui materiale sepeliendi opus perficiunt. Communitatum harum aliquarum constitutiones nihil de hac re praescribunt; aliarum vero Constitutiones plurimos ad idem consignant Sacerdotes fratres eiusdem respectivi Ordinis religiosi, scilicet sex, vel octo, vel decem, vel duodecim aut, in horum defectu, quattuor Sacerdotes saeculares

*Episcopalis tolerantia;* cum operariis laicis, quibus omnibus levis solet offerri convictus intra claustra post perfectum opus. Usquemodo hanc toleravi praxim cum proposito istam adeundi Sacram Congregationem pro instructionibus, et maxime quia aliqui ex praedecessoribus meis eidem mori expresse consensisse videntur, prout ab ipsis communitatibus asseritur; *Copia reformandi.* quin tamen, ob assuetam monialium laudabilem obedientiam et submissionem, timenda videatur gravis earum resistentia adversus reformationem si expediat. Cum vero praefata praxis minus quidem conformata appareat disciplinae regulari, ut de hac re me consultius exhibeam, aut tutius Sacrae istius Congregationis auctoritate suffultus procedam, Emorum Patrum sapientiae et consilio sequentia reverenter summitto resolvenda:

**Dubia** *de ingressu in clausuram.* 1um. An praedictus mos et praxis, prout iacent, in omnibus sustineri possint.

2um. An saltem praescriptum de ipsa re in Constitutionibus super quattuor sacerdotibus saecularibus, cum Ordinis fratres omnino desint, sit observantia dignum, quod proinde sustineri et custodiri liceat; ac deinde caeteras Communitates quibus nihil in Constitutionibus praescribitur, eidem providentiae accommodari expediat.

3ium. Dato quod nec ista probentur, et habita prudenti consideratione ad perennem praxim, qui Sacerdotum numerus cum operariis laicis intra claustra admitti debet ut sacra officia sepulturae eiusque materialis labor peragantur?

*De epulis appositis.* 4um. Denique, an sit laudandus vel saltem permittendus levis convictus gratitudinis et obsequii gratia personis praedictis oblatus statim ac opus finiatur, priusquam claustra deserant; vel saltem tolerandus in communi collocutionis loco ubi saeculares conveniunt pro monialium salutatione.

Interea fausta omnia Eminentiae Vestrae obventura adprecatur a Domino humilis ac devotissimus Vestri servus (signatus)

*Aloysius Philippus, Episc. Zamoren.*

**Responsa.** Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum [1], Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita expositis dubiis respondendum censuit prout sequitur:

*Ad tria priora dubia.* *Ad Ium, IIum et IIIium, attenta consuetudine, usum de quo in precibus tolerari posse, ita tamen ut monialium confessarii, sociis assumptis e sacerdotibus regularibus vel saecularibus in numero et qualitate a Constitutionibus singulorum monasteriorum vel consuetudine ubi in ipsis Constitutionibus non cavetur determinatis, cum operariis ad opus necessariis et ab Episcopo approbandis, clausuram ingredi valeant, ad officium sepulturae pro moniali demortua exsolvendum;* —

*Ad IV.* *Ad IVum negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

*Dies (24 april. 1903).* Romae, 24 aprilis 1903.

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

---

[1] Observes verba ista insolita, quae S. Congregatio ideo videtur addi disse, ne vim consuetudinis in se spectatae existimetur probasse.

# 5. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *INDULTUM* [1] *16 maii 1903*

## De noviciis alio transferendis in dispersione

Fr. Iucundus a Montorio, Ordinis Min. Capuccinorum Procurator Generalis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, de pleno consensu Generalis Ministri, exponit: quod nuper Religiosi Capuccini sub ditione Gubernii gallici e suis coenobiis fere omnes vi expulsi sunt, et alii in Helvetiam, alii in Italiam, alii alio perrexerunt; et consequenter novicios ipsos secum duxerunt. Circa quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium sub die 23 iunii 1880 ad preces P. Commissarii Generalis Francisci de Villa-Franca, Ministris Galliarum, Corsicae et Sabaudiae concessit gratiam, cuius vigore novicii transferri possent alio, absque eorum novitiatus seu probationis interruptione. Cum eaedem nunc militent circumstantiae, orator idem implorat indultum ab Apostolica benignitate, pro earundem Provinciarum noviçiis, et si novicii iam translati fuerint, eadem gratia, opportuna sanatione gaudere valeant. *Orator, adductis exemplis, postulat indultum quo novicii dispersi in aliud monasterium transferri possint, sine noviciatus interruptione.*

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis precibus P. Procuratoris Generalis Ordinis Min. Capuccinorum, necessarias et opportunas facultates P. Ministro Generali tribuit, quarum vi indulgere valeat, ut novicii sui Ordinis in Gallia exsistentes, e domibus noviciatus, mutato etiam in alium decentem habitu religioso, si necessitas id exigat, alio extra Galliam transferri possint, in locum tamen ubi omnia habeantur quae pro noviciatu requiruntur, in eoque noviciatum, quin per praemissa interruptus censeri debeat, perficiant; facta vero a singulis noviciis ante professionem declaratione in scriptis sese hoc indulto uti velle, quae declaratio adnotanda erit in libris professionum et caute asservanda. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Conceditur Indultum.* *Declaratio exigenda a noviciis*

Romae 16 maii 1903. *Dies (16 mai 1903).*

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
*P. Giustini, Secretariis.*

ANNOTATIO

Ex dictis tam in priore tomo *De Religiosis*, n. **185** et **186**, quam in posteriore, *Supplemento* IV, p. 59 et ss. et p. 493, n. **154**, satis perspicitur [2] Indultum istud non fuisse necessarium et esse ad maiorem cautelam quaesitum. Sed, etiam quando copiam facit rei quae *per se* fieri non prohibebatur, consuevit S. Congregatio sapientes indicere cautiones quae suae menti respondeant. Hinc varia Indulti praescripta.

---

[1] *Nouv. Rev. théol.* t. 35, p. 638.
[2] Quod etiam observat *Nouv. Rev. théol.*, t. 35, p. 639-641.

## 6. — S. R. U. INQUISITIONIS (S. OFFICII)

### *RESPONSUM 15 IULII 1903*

### De ordinatione facta ab Abbate titulari

*Orator.* Archiepiscopi N. N. ad pedes S. V. provolutus, quae sequuntur exponit.

*Ordinationis factae a Titulari abbate petitur sanatio.* Prior quidam Ordinis Cistercensium, Abbas titularis, tonsuram et Ordines Minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta in casu ab Archiepiscopo Oratore opportuna delegatione. Nunc vero sibi innotuit non posse Abbatem titularem gaudere praedicta facultate, et proinde implorat benignam sanationem.

*Dies (15 iulii 1903.)* Feria IV, die 15 iulii 1903.

**Responsum.** In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto supplici libello, re mature perpensa, attentis omnibus tum iuris tum facti momentis, praehabitoque DD. CC. voto, Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Gen., decreverunt:

*Omnia repetantur.* *Repetendam in casu Ordinationem ex integro a collatione sacrae Tonsurae inclusive.*

*Approbatio pontificia eadem die.* Eadem feria ac die SS. D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates Eminentissimo Secretario factas, resolutionem Eminentissimorum PP. approbavit.

*I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Notarius.*

ANNOTATIO

Non statim, cum quibusdam ephemeridibus, ex hoc responso colligi potest haec conclusio: *Ergo Abbas titularis nequit valide conferre Tonsuram et Ordines minores.* Non constat enim agi in casu de *Abbate regulari* proprie tali qui quamvis nulli praeficiatur abbatiae (ideoque dicatur *titularis*) regat minorem domum exemptam velitque conferre ordines minores suis. (Cfr. *Rev. théol. franç.* 1904, p. 66).

---

## 7. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 25 AUGUSTI 1903*

### De vacatione beneficiorum residentialium per professionem perpetuam

*Proposito modo quo* La Congrégation [1] des Missionnaires des Fils du Cœur de Marie obtint de la S. Congrégation des Evêques et Réguliers, en 1880, la

---

[1] Id est latine: « Congregatio Missionariorum *Filiorum Cordis Immaculati Mariae*, anno 1880 a S. Congr. Episcoporum et Regularium facultatem

faculté de recevoir ses membres aux ordres sacrés au titre *mensae communis* avec cette clause : *exclusis tamen quoad titulum mensae communis iis qui Societatem ingrediuntur proprio titulo S. Ordinationis gaudentes.*

*Instituto* Filiorum Cordis Mariae *concessus sit titulus mensae communis, iam*

Plus tard, en date du 29 mars 1881, la S. Congrégation des Affaires Extraordinaires accorda *ad decennium* la même grâce, sans la mention ci-dessus, en ajoutant que la concession valait *tum pro ordinatis tum pro iis qui iam ordinati alio titulo eandem ingrediuntur ibique profitentur.* Cette faveur fut refusée en 1891 tant par l'une que par l'autre des SS. Congregations mentionnées.

**Quaeritur,** *utrum ante professionem novitii adire debeant S. Congr. ut abdicent beneficia residentialia an haec, contra, ipso iure vacent.*

On demande aujourd'hui si les novices qui possèdent un bénéfice résidentiel doivent avant la profession recourir à la S. Congrégation des Evêques et Réguliers pour pouvoir renoncer à ce bénéfice, ou si plutôt le bénéfice vaque par le fait même de la profession ?

**Dubium.**

Sacra Cong. Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praeposita proposito dubio : *An in Congregatione Missionariorum nuncup. Imm. Cordis B. M. V. Filiorum professio perpetua vacationem beneficiorum residentialium inducat:* respondendum censuit prout respondet : *Affirmative.*

**Responsum.**

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 25 augusti 1903.

*Dies (15 aug. 1903).*

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*Ch. Giustini, Secret.*

ANNOTATIONES

1. Observes a S. Congregatione traduci hic ad professionem *perpetuam* in Instituto votorum simplicium sanctionem canonicam qua professio *sollemnis* dicitur inducere vacationem beneficiorum residentialium. Professio, inquam, sollemnis. Tantum abest enim ut professio simplex eam per se inducat, ut simpliciter professi Ordinum religiosorum prohibeantur iure Tridentino beneficia resignare.

Verum iure ac merito S. Congregatio aequiperavit, quod ad hunc effectum, professionem perpetuam in Congregatione religiosa, professioni sollemni in Ordine religioso. Per utramque enim, ex hodierno iure, vinculo stabili ac per se non solubili coniunguntur Institutum et alumnus religiosus.

2. Illud tamen superest discrimen inter sollemnem et simplicem professionem, quod ob priorem beneficia vacant omnis generis,

---

obtinuit promovendi alumnos suos ad ordines sacros titulo *mensae communis*, subiecta clausula « *Exclusis tamen quoad titulum mensae communis iis qui* « *Societatem ingrediuntur proprio titulo S. Ordinationis gaudentes.* » Postea, die 29 martii 1881, S. Congregatio Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praeposita eandem concessit gratiam *ad decennium*, omissa supra dicta clausula atque addendo concedi Indultum *tum pro ordinatis tum pro iis qui iam ordinati alio titulo eandem ingrediuntur ibique profitentur.* Haec autem gratia est ab utraque Congregatione anno 1891 negata.

Agedum quaeritur modo utrum novitii beneficio residentiali instructi debeant ante professionem adire ad S. Congr. Episcoporum et Regularium ut possint beneficium istud abdicare, an potius, secuta professione, reapse vacet.

dum in causa praesenti S. Congregatio, conceptis verbis, non agit nisi de beneficiis residentialibus. Nec mirum. Iure enim communi, simpliciter professi, contra ac sollemniter, non fiunt incapaces dominii nec radicale amittunt dominium bonorum. Quare causam quidem dant cur vacent beneficia *residentialia*, cum ex firmo cum Instituto vinculo in perpetuum officio residentiae satisfacere nequeant. Sed nihil per se obstat quin retineant beneficium non residentiale, cuius oneri implendo non sunt impares.

3. Denique suffragio suo Emi Patres vim professionis perpetuae *declarare* videntur non autem illam decernere. Quae declaratio innititur naturae assumpti status religiosi, praesertim post decretum *Auctis Admodum*, quo in perpetuum professi iam expelli prohibentur nisi eo modo quo sollemniter professi Ordinum regularium. Quare censemus usum istius responsi esse posse generalem, ita ut haec statui possit lex : *Per professionem perpetuam in Congregatione religiosa vacant beneficia residentialia.*

4. Ansam demum dubii de *ordinatione* praebet factum responsum. Cum Congregatio religiosa de qua sermo est in decreto nequeat iam alumnis conferre titulum mensae communis, possitne, in illo Instituto, professus votorum simplicium qui beneficio residentiali forte sit instructus promoveri ad sacros ordines titulo talis beneficii, quo mox, perpetua professione, est privandus? Quam difficultatem esse inenodabilem putat scriptor *Revue théologique française* [1]. Nihilominus nihil tali ordinationi obesse existimamus. *Formalis* enim suffectio tituli alterius in locum prioris non videtur requiri in clerico saeculari, nisi ut ipsi de perpetua sustentatione sit cautum. Quare nec usurpatur in regularibus sollemniter professis. Sed, post Decr. *Auctis admodum*, tale perpetua professione coniungitur vinculum inter Congregationem votorum simplicium et alumnum, quod certa faciat futura alimenta. Atque haec fortasse est causa cur negatum sit anno 1891 Indultum mutandi titulum quod prius erat concessum.

---

# 8. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *RESPONSA 30 SEPTEMBRIS 1903*

### De confessarii designatione et mutatione apud Moniales a Visitatione

*Proponitur usus contrarius legi communi eiusque fundamenta.*

Ordinarius Tirasonen exponit, quod exstat in sua dioecesi monasterium a Visitatione in quo lex de triennali confessarii ordinarii mutatione haud servatur. Haec enim consuetudo, quae adversatur iuri communi, innititur tum Constitutioni XIX Instituti, quae refertur ad confessarios, tum responsioni a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium super re data die 19 augusti 1825. Cum enim superiorissa Monasterii Almae Urbis rogasset Sanctissimum,

---

[1] 1904, p. 89.

ut Institutum sine impedimento uti praefata Constitutione posset, Sacer Consessus respondit: *Nihil esse innovandum.*

Itaque, etc.

Sacra Congregatio Negociis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super expositis respondit: *Communicentur Dubia et Resolutiones Congregationis Generalis diei vigesimae martii 1891.*

**Responsum.** *Tradi iubentur resolutiones 20 martii 1891.*

Dubia haec fuere.

**Dubia.**

1. Si et comment [1] il appartient aux religieuses de la Visitation de choisir le confesseur ordinaire?

2. Si les religieuses de la Visitation ont le droit de congédier ou quitter le confesseur ordinaire.

3. Si les religieuses de la Visitation peuvent conserver leur confesseur ordinaire un temps indéterminé, c'est-à-dire avec exemption de la loi de la durée triennale de l'office.

**Responsa.**

Resp. I. *Ius eligendi confessarium ordinarium ex approbatis ab Episcopo ad sacramentales confessiones sanctimonialium suscipiendas in casu sustineri iuxta modum.*

Modus est *quod forma electionis praescripta in Constitutione XIX integre servetur et quod confessarius sic electus indigeat confirmari ab Episcopo, qui, si adsit legitima causa, potest etiam eum non confirmare.*

2. *Providebitur in tertio.*

3. *Locum habere etiam pro Monialibus Visitationis legem triennii pro duratione confessarii ordinarii in officio et ad mentem.* Mens est: *quod si adsint graves causae amovendi (durante triennio) confessarium ordinarium, servata forma eiusdem Constitutionis XIX, eas manifestent moniales Episcopo, eiusque stent iudicio, salvo semper recursu ad S. Sedem, si opus fuerit.*

Datum Romae ex secretaria Sacrae memoratae Congregationis, die 30 septembris 1903.

*Dies (30 septembris 1903).*

F. Card. Cassetta.

---

## 9. — S. CONGR. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *RESPONSUM 11 NOVEMBRIS 1903*

### De ritu absolutionis generalis impertiendae religiosis

Petrus Oomen, Procurator Generalis Congregationis SSmi Redemptoris, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis propositae sequens dubium dirimendum proposuit.

*Orator*

---

[1] Id est latine: « 1. Utrum et qua ratione Moniales a Visitatione Confessarium ordinarium eligere possint?

« 2. Licetne Monialibus a Visitatione dimittere vel deserere confessarium ordinarium?

« 3. Licetne Monialibus a Visitatione Confessarium ordinarium in spatium temporis non definitum retinere, ita ut putandae sint exemptae lege qua trium annorum spatio officium istud circumscribitur?

**Dubium** *de formula adhibenda*

« Utrum in impertienda absolutione generali iis Tertiariis qui in Communitate degunt votaque simplicia nuncupant adhibenda sit prima formula : *Ne reminiscaris*, an potius altera : « *Intret oratio?* Et S. Congregatio, audito etiam unius e Consultoribus voto, respondendum mandavit :

**Responsum.**

« Adhibenda est prima formula : Ne reminiscaris. »

*Dies (11 nov. 1903).*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 novembris 1903.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

*Franciscus Sogaro, Arch. Amiden. Secret.*

ANNOTATIONES

1. Nequeunt religiosi, etiam Instituti dioecesani, in Tertium Ordinem valide cooptari et sic Tertiariorum saecularium nomine appellari (Cfr. nostrum t. 1, n. **537**). Verum plura Instituta possunt iure potiri recipiendi absolutionem generalem Tertiariorum. De quibus Institutis praesens fit quaestio.

2. Iam vero brevi Leonis XIII *Quo universi*, 7 iulii 1882, duae constitutae sunt formulae impertiendi absolutionem generalem. Prior, quae initium habet a verbis *Ne reminiscaris*, est « pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus » altera est « pro Tertiariis saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus ».

3. Age porro, simili quaestioni, die 19 decembris 1885, S. Congr. Indulgentiarum (quae iam coniuncta est S. Rituum Congregationi) prorsus contrarium dedit responsum. Tunc enim, interrogata de formula qua absolutio erat impertienda Congregationi votorum simplicium, in plenaria Congregatione respondit « Adhibendam esse formulam secundam, cuius videlicet initium : Intret oratio mea, etc. » (Cfr. v. gr. *Acta S. Sedis*, t. 18, p. 413, vel *Nouv. Revue théologique*, t. 18, p. 259, 260.)

Fieri potest, ut condicio iuridica quam Instituta votorum simplicium acceperunt a C. *Conditae a Christo* [1], 8 dec. 1900, suaserit hanc disciplinae mutationem, ita ut iam formula frui possint quae per se Regularium est propria.

[1] *De Religiosis*, t. 2, n. **2**, p. 199.

# 10. — SS. D. N. PII DIV. PROV. PP. X

## *MOTUS PROPRIUS 22 NOVEMBRIS 1903*

### De Musica sacra [1]

PIO PP. X [2]

*Quam necesse sit prospicere decori domus Dei.*

Tra le sollecitudini dell'officio pastorale, non solamente di questa Suprema Cattedra, che per inscrutabile disposizione della Provvidenza sebbene indegni occupiamo, ma di ogni Chiesa particolare, senza dubio è precipua quella di mantenere e promuovere il decoro della Casa di Dio, dove gli augusti misteri della religione si celebrano e dove il popolo cristiano si raduna, onde ricevere la grazia dei Sacramenti, assistere al Santo Sacrificio dell'Altare, adorare l'augustissimo Sacramento del Corpo del Signore ed unirsi alla preghiera comune della Chiesa nella pubblica e solenne officiatura liturgica. Nulla adunque deve occorrere nel tempio che turbi od anche solo diminuisca la pietà e la devozione dei fedeli, nulla che dia ragionevole motivo di disgusto o di scandalo, nulla soprattutto che direttamente offenda il decoro e la santità delle sacre funzioni e perciò sia indegno della Casa di Orazione e della maestà di Dio.

*In musica sacra, facilis corruptio, difficilis emendatio.*

Non tocchiamo partitamente degli abusi che in questa parte possono occorrere. Oggi, l'attenzione Nostra si rivolge ad uno dei più comuni, dei più difficili a scradicare e che talvolta si deve deplorare anche là dove ogni altra cosa è degna del massimo encomio per la

[1] Motus iste proprius, quamvis propriam religiosorum disciplinam non afficiat *directe*, non videtur esse in his periodicis monumentis praetereundus. Namque de re quae cottidianum usum habet continet *Codicem iuris*, ab utroque clero servandum. Porro exscribemus authenticum textum italicum, cui subiciemus versionem gallicam qualis occurrit in *Revue théologique française*, 1904, p. 54 ss.

[2] PIE X PAPE

Parmi les sollicitudes de la charge pastorale, non seulement de ce Siège suprême que, par une insondable disposition de la Providence, Nous occupons bien qu'indigne, mais encore de toute Église particulière, la principale, sans aucun doute, est de maintenir et de promouvoir l'honneur de la Maison de Dieu, où les augustes mystères de la religion se célèbrent et où se rassemble le peuple chrétien afin de recevoir la grâce des sacrements, d'assister au Saint Sacrifice de l'Autel, d'adorer le très auguste Sacrement du Corps du Seigneur et de s'unir à la prière commune dans le public et solennel office liturgique. Donc, rien dans le temple ne doit se rencontrer qui trouble ou même seulement diminue la dévotion et la piété des fidèles; rien qui produise un raisonnable motif de dégoût ou de scandale; rien surtout qui offense directement l'honneur et la sainteté des cérémonies sacrées et qui soit indigne de la Maison de prière et de la majesté de Dieu.

Nous ne parlons pas en détail des abus qui peuvent se rencontrer à ce sujet. Aujourd'hui, Notre attention vise l'un des plus communs, des plus difficiles à déraciner et qu'on a lieu parfois de déplorer là où toute autre chose mérite le plus grand éloge, pour la beauté et la somptuosité du

bellezza e sontuosità del tempio, per lo splendore e per l'ordine accurato delle cerimonie, per la frequenza del clero, per la gravità e per la pietà dei ministri che celebrano. Tale è l'abuso nelle cose del canto e della musica sacra. Ed invero, sia per la natura di quest'arte per se medesima fluttuante e variabile, sia per la successiva alterazione del gusto e delle abitudini lungo il correr dei tempi, sia pel funesto influsso che sull'arte sacra esercita l'arte profana e teatrale, sia pel piacere che la musica direttamente produce e che non sempre torna facile contenere nei giusti termini, sia infine per i molti pregiudizi che in tale materia di leggeri s'insinuano e si mantengono poi tenacemente anche presso persone autorevoli e pie, v'ha una continua tendenza a deviare dalla retta norma stabilita dal fine, per cui l'arte è ammessa a servigio del culto, ed espressa assai chiaramente nei canoni ecclesiastici, nelle Ordinazioni dei Concili generali e provinciali, nelle prescrizioni a più riprese emanate dalla Sacre Congregazioni romane e dai Sommi Pontifici Nostri Predecessori.

*Norma mutuanda ex fine, quo ars servire iubetur cultui.*

*Laudantur conatus in meliara.*

Con vera soddisfazione dell'animo Nostro ci è grato riconoscere il molto bene che in tal parte si è fatto negli ultimi decenni anche in questa Nostra alma Città di Roma ed in molte Chiese della patria Nostra, ma in modo più particolare presso alcune nazioni, dove uomini egregi e zelanti del culto di Dio, con l'approvazione di questa S. Sede e sotto la direzione dei Vescovi, si unirono in fiorenti Società e rimisero in pienissimo onore la musica sacra pressochè in ogni loro chiesa e cappella. Codesto bene tuttavia è ancora assai lontano dall'essere comune a tutti, e se consultiamo l'esperienza Nostra personale e teniamo conto delle moltissime lagnanze che da ogni parte Ci giunsero in questo poco tempo, dacchè

*Opportunitas tamen actionis pontificiae.*

---

temple, pour la splendeur et pour la soigneuse ordonnance des cérémonies, pour l'assiduité du clergé, pour la gravité et pour la piété des ministres célébrants. Nous parlons de l'abus dans les choses du chant et de la musique sacrée. Et, en effet, soit par la nature de cet art, de lui-même flottant et variable ; soit par la successive altération du goût et des habitudes au cours de temps, soit par la funeste influence que l'art profane et théâtral exerce sur l'art sacré, soit par le plaisir que la musique produit directement et qu'il n'est pas toujours facile de contenir dans de justes limites, soit, enfin, par les nombreux préjugés qui, en pareilles matières, s'insinuent et ensuite demeurent tenaces, même chez des personnes autorisées et pieuses, il y a une continuelle tendance à dévier de la voie droite, fixée d'après la fin pour laquelle l'art est admis au service du culte et très clairement indiquée dans les canons ecclésiastiques, dans les Ordonnances des Conciles généraux et provinciaux, dans les prescriptions répétées émanées des Sacrées Congrégations romaines et des Souverains Pontifes, Nos Prédécesseurs.

A la vraie satisfaction de Notre âme, Nous avons la joie de reconnaître le grand bien qui, pendant les dix dernières années, s'est réalisé à cet égard, aussi dans Notre auguste Ville de Rome et dans beaucoup d'églises de Notre patrie, mais, d'une façon plus particulière, chez certaines nations où des hommes excellents et très zélés pour le culte de Dieu, avec l'approbation du Saint-Siège et sous la direction des évêques, se sont réunis en de florissantes Sociétés et ont rendu un très complet honneur à la musique sacrée, dans presque toutes leurs églises et chapelles. Toutefois ce bien est encore très loin d'être commun à tous ; et si Nous consultons Notre expérience personnelle, et si Nous tenons compte des plaintes

piacque al Signore di elevare l'umile Nostra Persona al supremo apice del Pontificato romano, senza differire più a lungo, crediamo Nostro primo dovere di alzare subito la voce a riprovazione e condanna di tutto ciò che nelle funzioni del culto e nell'officiatura ecclesiastica si riconosce difforme dalla retta norma indicata. Essendo infatti Nostro vivissimo desiderio che il vero spirito cristiano rifiorisca per ogni modo e si mantenga nei fedeli tutti, è necessario provvedere prima di ogni altra cosa alla santità e dignità del tempio, dove appunto i fedeli si radunano per attingere tale spirito dalla sua prima ed indispensabile fonte, che è la partecipazione attiva ai sacrosanti misteri e alla preghiera pubblica e solenne della Chiesa. Ed è vano sperare che a tal fine su noi discenda copiosa la benedizione del Cielo, quando il nostro ossequio all'Altissimo, anzichè ascendere in odore di soavità, rimette invece nella mano del Signore i flagelli onde altra volta il Divin Redentore cacciò dal tempio gli indegni profanatori.

*Propositum Pontificis. Vis absoluta decreti.*

Per la qual cosa, affinchè niuno possa d'ora innanzi recare a scusa di non conoscere chiaramente il dover suo, e sia tolta ogni indeterminatezza nell'interpretazione di alcune cose già comandate, abbiamo stimato espediente additare con brevità quei principii che regolano la musica sacra nelle funzioni del culto, e raccogliere insieme in un quadro generale le principali prescrizioni della Chiesa contro gli abusi più comuni in tale materia. E però, di moto proprio e certa scienza, pubblichiamo la presente Nostra *Istruzione*, alla quale, quasi a *codice giuridico della musica sacra*, vogliamo dalla pienezza della Nostra Autorità Apostolica sia data forza di legge,

---

très nombreuses qui de tout lieu Nous sont parvenues depuis le peu de temps qu'il a plu au Seigneur de placer Notre humble personne sur le suprême sommet du Pontificat romain, Nous croyons, sans attendre davantage, que Notre premier devoir est d'élever aussitôt la voix pour réprouver et condamner tout ce qui, dans les cérémonies du culte et dans la fonction ecclésiastique, est reconnu contraire à la droite règle indiquée. Notre très vif désir étant, en effet, que le véritable esprit chrétien refleurisse de toute manière et se maintienne en tous les fidèles, il est nécessaire de pourvoir avant tout à la sainteté et à la dignité du temple, où précisément les fidèles se réunissent pour puiser cet esprit à sa source première et indispensable, c'est-à-dire à la participation active aux sacro-saints mystères et à la publique et solennelle prière de l'Église. Et il est vain dans ce but d'espérer que l'abondante bénédiction du Ciel descende sur nous, quand notre hommage au Très-Haut, loin de monter en odeur de suavité, ramène au contraire dans la main du Seigneur le fouet avec lequel autrefois le divin Rédempteur chassa du temple les profanateurs indignes.

Dans ce but, afin que désormais personne ne puisse invoquer l'excuse de ne pas connaître clairement son devoir, et pour écarter toute indécision dans l'interprétation de plusieurs choses déjà ordonnées, Nous avons jugé expédient d'indiquer brièvement les principes qui gouvernent la musique sacrée dans les fonctions du culte, et de rassembler dans un cadre général les principales prescriptions de l'Église contre les abus les plus communs en cette matière. C'est pourquoi, de Notre propre mouvement et de science certaine, Nous publions Notre présente *Instruction*, à laquelle, comme au *code juridique de la musique sacrée*, Nous voulons, par la plénitude de Notre Autorité apostolique, qu'il soit donné force de loi ; et

imponendone a tutti col presente Nostro Chirografo la più scrupolosa osservanza.

## I. — PRINCIPII GENERALI

*Qui sit musicae sacrae finis.*

1. La musica sacra, comme parte integrante della solenne liturgia, ne partecipa il fine generale, che è la gloria di Dio e la santificazione ed edificazione dei fedeli. Essa concorre ad accrescere il decoro e lo splendore delle cerimonie ecclesiastiche, e siccome suo ufficio principale è di rivestire con acconcia melodia il testo liturgico che viene proposto all'intelligenza dei fedeli, così il suo proprio fine è di aggiungere maggiore efficacia al testo medesimo, affinchè i fedeli con tale mezzo siano più facilmente eccitati alla devozione, e meglio si dispongano ad accogliere in sè i frutti della grazia, che sono proprii della celebrazione dei sacrosanti misteri.

*Hinc eius eruuntur dotes.*

2. La musica sacra deve per conseguenza possedere nel grado migliore le qualità che sono proprie della liturgia, e precisamente la *santità* e la *bontà delle forme*, onde sorge spontaneo l'altro suo carattere, che è *l'universalità*.

Deve essere *santa*, e quindi escludere ogni profanità, non solo in se medesima, ma anche nel modo onde viene proposta per parte degli esecutori.

Deve essere *arte vera*, non essendo possibile che altrimenti abbia sull'animo di chi l'ascolta quell'efficacia che la Chiesa intende ottenere accogliendo nella sua liturgia l'arte dei suoni.

Ma dovrà insieme essere *universale*, in questo senso, che pur concedendosi ad ogni nazione di ammettere nelle composizioni chiesastiche quelle forme particolari che costituiscono in certo modo il

---

Nous en imposons à tous, par le présent chirographe, l'accomplissement le plus scrupuleux.

## I. — PRINCIPES GÉNÉRAUX

1. Comme partie intégrante de la solennelle liturgie, la musique sacrée participe à sa fin générale, qui est la gloire de Dieu, la sanctification et l'édification des fidèles. Elle contribue à augmenter l'honneur et la splendeur des cérémonies ecclésiastiques ; et comme son rôle principal est de revêtir d'une mélodie convenable le texte liturgique présenté à l'intelligence des fidèles, ainsi sa propre fin est d'ajouter au texte lui-même une efficacité plus grande, afin que, par ce moyen, les fidèles soient plus facilement excités à la dévotion et mieux disposés à accueillir en eux les fruits de la grâce, fruits propres de la célébration des sacro-saints mystères.

2. La musique sacrée doit donc posséder au meilleur degré les qualités propres de la liturgie, et notamment *la sainteté* et *la bonté des formes*, d'où naît spontanément son autre caractère, qui est l'*universalité*.

Elle doit être *sainte* et, par conséquent, exclure tout élément profane, non seulement en elle-même, mais aussi dans la manière dont elle est exécutée.

Elle doit être un *art véritable*, puisqu'il est impossible, autrement, qu'elle ait, sur l'âme des auditeurs, cette efficacité que l'Église veut obtenir en accueillant l'art des sons dans sa liturgie.

Mais en même temps elle devra être *universelle*, en ce sens, que tout en permettant à toutes les nations d'admettre dans les compositions religieuses ces formes particulières qui, d'une certaine manière, constituent

carattere specifico della musica loro propria, queste però devono essere in tal maniera subordinate ai caratteri generali della musica sacra, che nessuno di altra nazione all'udirle debba provarne impressione non buona.

II. — GENERI DI MUSICA SACRA

3. Queste qualità si riscontrano in grado sommo nel canto gregoriano, che è per conseguenza il canto proprio della Chiesa Romana, il solo canto ch'essa ha ereditato dagli antichi padri, che ha custodito gelosamente lungo i secoli nei suoi codici liturgici, che come suo direttamente propone ai fedeli, che in alcune parti della liturgia esclusivamente prescrive, e che gli studi più recenti hanno si felicemente restituito alla sua integrità e purezza. *Commendatur cantus gregorianus.*

Per tali motivi il canto gregoriano fu sempre considerato come il supremo modello della musica sacra, potendosi stabilire con ogni ragione la seguente legge generale: *Tanto una composizione per chiesa è più sacra e liturgica, quanto più nell'andamento, nella ispirazione e nel sapore si accosti alla melodia gregoriana, e tanto è meno degna del tempio, quanto più da quel supremo modello si riconosce difforme.*

L'antico canto gregoriano tradizionale dovrà dunque restituirsi largamente nelle funzioni del culto, tenendosi da tutti per fermo, che una funzione ecclesiastica nulla perde della sua solennità, quando pure non venga accompagnata da altra musica che da questa soltanto.

In particolare si procuri di restituire il canto gregoriano nell'uso del popolo, affinchè i fedeli prendano di nuovo parte più attiva all'officiatura ecclesiastica, come anticamente solevasi. *Praecipue eius usus popularis.*

---

le caractère spécifique de leur musique propre, ces formes doivent néanmoins être subordonnées aux caractères généraux de la musique sacrée, de manière à ce que personne d'une autre nation ne puisse, en l'entendant, recevoir une impression mauvaise.

II. — GENRES DE MUSIQUE SACRÉE

3. Ces qualités se rencontrent au plus haut degré dans le chant grégorien, qui est, par conséquent, le chant propre de l'Église romaine, le seul chant qu'elle a hérité des anciens Pères, qu'elle a gardé jalousement au cours des siècles dans ses manuscrits liturgiques, qu'elle propose directement aux fidèles comme sien, que dans certaines parties de la liturgie elle prescrit exclusivement, et que les études plus récentes ont si heureusement rétabli dans son intégrité et dans sa pureté.

Pour ces motifs le chant grégorien fut toujours considéré comme le modèle suprême de la musique sacrée, la loi générale suivante pouvant être établie en toute raison : *Une composition d'église est d'autant plus sacrée et liturgique que par l'allure, par l'inspiration et par le goût, elle se rapproche davantage de la mélodie grégorienne, et elle est d'autant moins digne du temple qu'elle apparaît plus différente de ce suprême modèle.*

L'antique chant grégorien traditionnel devra donc être rétabli largement dans les fonctions du culte, tous devant tenir pour certain qu'une fonction ecclésiastique ne perd rien de sa solennité quand elle n'est accompagnée d'aucune autre musique que celle-ci.

En particulier, qu'on prenne soin de rétablir le chant grégorien dans l'habitude du peuple, afin que de nouveau les fidèles prennent une part plus active à la cérémonie ecclésiastique, suivant l'ancienne coutume.

*Laudatur etiam classica polyphonia, nominatim quam coluit Palestrina.*

4. Le anzidette qualità sono pure possedute in ottimo grado dalla classica polifonia, specialmente della Scuola Romana, la quale nel secolo XVI ottenne il massimo della sua perfezione per opera di Pierluigi da Palestrina, e continuò poi a produrre anche in seguito composizioni di eccellente bontà liturgica e musicale. La classica polifonia assai bene si accosta al supremo modello di ogni musica sacra che è il canto gregoriano, e per questa ragione meritò di essere accolta, insieme col canto gregoriano, nelle funzioni più sollenni della Chiesa, quali sono quelle della Cappella Pontificia. Dovrà dunque anch'essa restituirsi largamente nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente nelle più insigni basiliche, nelle chiese cattedrali, in quelle dei seminarii e degli altri istituti ecclesiastici, dove i mezzi necessari non sogliono fare difetto.

*Non excluditur genus magis recens, certis tamen praestitutis cautelis.*

5. La Chiesa ha sempre riconosciuto e favorito il progresso delle arti, ammettendo a servizio del culto tutto ciò che il genio ha saputo trovare di buono e di bello nel corso dei secoli, salve però sempre le leggi liturgiche. Per conseguenza la musica più moderna è pure ammessa in chiesa, offrendo anche essa composizioni di tale bontà, serietà e gravità, che non sono per nulla indegne delle funzioni liturgiche.

Nondimeno, siccome la musica moderna è sorta precipuamente al servigio profano, si dovrà attendere con maggior cura, perchè le composizioni musicali di stile moderno, che si ammettono in chiesa, nulla contengano di profano, non abbiano reminiscenze di motivi adoperati in teatro, e non siano foggiate neppure nelle loro forme esterne sull'andamento dei pezzi profani.

*Minus probatur stylus theatralis.*

6. Fra i vari generi della musica moderna, quello che apparve

---

4. Les qualités indiquées ci-dessus appartiennent également à un haut degré à la polyphonie classique, spécialement celle de l'École romaine, laquelle, au xvi[e] siècle, atteignit l'apogée de sa perfection grâce à Pierluigi de Palestrina, et continua même depuis à produire des compositions d'excellent mérite liturgique et musical. La polyphonie classique se rapproche très bien du suprême modèle de toute musique sacrée, qui est le chant grégorien, et pour cette raison elle a mérité d'être admise, conjointement avec le chant grégorien, dans les cérémonies les plus solennelles de l'Église, c'est-à-dire celles de la Chapelle pontificale. Elle devra donc, elle aussi, être restaurée largement dans les fonctions ecclésiastiques, spécialement dans les plus insignes basiliques, dans les églises cathédrales, dans celles des séminaires et des autres établissements ecclésiastiques, qui en ont ordinairement les moyens nécessaires.

5. L'Église a toujours reconnu et favorisé le progrès des arts, en admettant au service du culte tout ce que le talent a su trouver de bon et de beau dans le cours des siècles, pourvu, toujours, que les règles liturgiques fussent sauvegardées. Par conséquent, la musique plus moderne est de même admise dans l'église, parce qu'elle offre, elle aussi, des compositions qui, par leur mérite, leur sérieux, leur gravité, ne sont aucunement indignes des fonctions liturgiques.

Néanmoins, comme la musique moderne est principalement consacrée aux choses profanes, on devra veiller avec le plus grand soin à ce que les compositions musicales de style moderne admises dans l'église ne contiennent rien de profane, n'aient pas des réminiscences de motifs employés au théâtre, et ne soient pas composées, même dans leurs formes extérieures, d'après l'allure des morceaux profanes.

6. Parmi les divers genres de musique moderne, celui qui a semblé le

meno acconcio ad accompagnare le funzioni del culto è lo stile teatrale. che durante il secolo scorso fu in massima voga, specie in Italia. Esso per sua natura presenta la massima opposizione al canto gregoriano ed alla classica polifonia, e però alla legge più importante di ogni buona musica sacra. Inoltre l'intima struttura, il ritmo e il cosidetto *convenzionalismo* di tale stile non si piegano, se non malamente, alle esigenze della vera musica liturgica.

### III. — TESTO LITURGICO

7. La lingua propria della Chiesa Romana è la latina. È quindi proibito nelle solenni funzioni liturgiche di cantare in volgare qualsivoglia cosa ; molto più poi di cantare in volgare le parti variabili o comuni della messa e dell'officio. *Qua lingua canendum.*

8. Essendo per ogni funzione liturgica determinati i testi che possono proporsi in musica e l'ordine con cui devono proporsi, non è lecito nè di confondere quest'ordine, nè di cambiare i testi prescritti in altri di propria scelta. nè di ometterli per intero od anche solo in parte, se pure le rubriche liturgiche non consentano di supplire con l'organo alcuni versetti del testo, mentre questi vengono semplicemente recitati in coro. Soltanto è permesso, giusta la consuetudine della Chiesa Romana, di cantare un mottetto al SS. Sacramento dopo il *Benedictus* della messa solenne. Si permette pure che dopo cantato il prescritto offertorio della messa si possa eseguire nel tempo che rimane un breve mottetto sopra parole approvate dalla Chiesa. *Quid cani debeat, possit.*

9. Il testo liturgico deve essere cantato come sta nei libri, senza alterazione o posposizione di parole, senza indebite ripetizioni, *Quo ordine, qua ratione.*

---

moins convenable pour accompagner les cérémonies du culte, c'est le style théâtral, qui, durant le siècle dernier, eut une très grande vogue, spécialement en Italie. Par sa nature, il offre la plus grande opposition au chant grégorien et à la polyphonie classique, et ainsi à la règle la plus importante de toute bonne musique sacrée. Outre sa structure intime, le rythme et ce qui s'appelle le *conventionalisme* de ce style ne se plient que difficilement aux exigences de la vraie musique liturgique.

### III. — TEXTE LITURGIQUE

7. La langue propre de l'Église romaine est la langue latine. Il est donc interdit dans les solennelles fonctions liturgiques de chanter quoi que ce soit en langue vulgaire; bien plus encore de chanter en langue vulgaire les parties variables ou communes de la messe et de l'office.

8. Les textes qui peuvent se mettre en musique et l'ordre qu'ils doivent suivre étant déterminés pour chaque fonction liturgique, il n'est permis ni de confondre cet ordre, ni de remplacer les textes prescrits par d'autres d'un choix particulier, ni de les omettre en entier ou seulement en partie, si les rubriques liturgiques ne permettent pas de remplacer par l'orgue plusieurs versets du texte, pendant que ceux-ci sont simplement récités en chœur. Il est seulement permis, suivant l'habitude de l'Église romaine, de chanter un motet au Très Saint-Sacrement après le *Benedictus* de la messe solennelle. On permet aussi, qu'après avoir chanté l'offertoire prescrit de la messe, on exécute dans le temps qui reste un court motet sur des paroles approuvées par l'Église.

9. Le texte liturgique doit être chanté tel qu'ils se trouve dans les livres, sans altération ou transposition de mots, sans répétitions indues, sans

senza spezzarne le sillabe, e sempre in modo intelligibile ai fedeli che ascoltano.

### IV. — FORMA ESTERNA DELLE SACRE COMPOSIZIONI

*Accommodandus est cantus ad argumenti rationem.*

10. Le singole parti della messa o dell'officiatura devono conservare anche musicalmente quel concetto e quella forma che la tradizione ecclesiastica ha loro data e che trovasi assai bene espressa nel canto gregoriano. Diverso dunque è il modo di comporre un *introito*, un *graduale*, un'*antifona*, un *salmo*, un *inno*, un *Gloria in excelsis*, ecc.

*Normae speciales huc attinentes.*

11. In particolare si osservino le norme seguenti :

*a*) Il *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, ecc. della messa devono mantenere l'unità di composizione, propria del loro testo. Non è dunque lecito di comporli a pezzi separati, così che ciascuno di tali pezzi formi una composizione musicale compiuta e tale che possa staccarsi dal rimanente e sostituirsi con altra.

*b*) Nell'officiatura dei Vespri si deve ordinariamente seguire la norma del *Caeremoniale Episcoporum*, che prescrive il canto gregoriano per la salmodia, e permette la musica figurata pe'versetti del *Gloria Patri* e per l'inno.

Sarà nondimeno lecito nelle maggiori solennità di alternare il canto gregoriano del coro coi cosiddetti *falsibordoni* o con versi in simile modo convenientemente composti.

Si potrà eziandio concedere qualche volta che i singoli salmi si propongano per intero in musica, purchè in tali composizioni sia conservata la forma propria della salmodia ; cioè, purchè i cantori

---

rupture de syllabes, et toujours d'une manière intelligible pour les fidèles qui écoutent.

### IV. — FORME EXTÉRIEURE DES COMPOSITIONS SACRÉES

10. Chaque partie de la messe et de l'office doit conserver, même au point de vue musical, l'aspect et la forme que la tradition ecclésiastique leur a donnés et qui se trouvent bien exprimés dans le chant grégorien. Différente est donc la manière de composer un *introït*, un *graduel*, une *antienne*, un *psaume*, un *hymne*, un *Gloria in excelsis*, etc.

11. En particulier, les règles suivantes doivent être observées :

*a)* Le *Kyrie*, le *Gloria*, le *Credo*, etc., de la messe doivent conserver l'unité de composition propre à leur texte. Il n'est donc pas permis de les composer de morceaux séparés, en sorte que chacun de ces morceaux forme une composition musicale complète et puisse se détacher du reste et être remplacé par un autre.

*b)* Dans l'office des vêpres on doit ordinairement suivre la règle du *Cérémonial des Évêques*, qui prescrit le chant gregorien pour la psalmodie, et qui permet la musique figurée pour les versets du *Gloria Patri* et pour l'hymne.

Il sera néanmoins permis dans les grandes sollennités d'alterner le chant grégorien du chœur avec ce qu'on appelle les *faux-bourdons* ou avec des chants convenablement composés de la même manière.

On pourra aussi parfois concéder que les divers psaumes soient mis entièrement en musique, pourvu que dans ces compositions soit conservée la forme propre de la psalmodie, c'est-à-dire, pourvu que les chantres

sembrino salmeggiare tra loro, o con nuovi motivi, o con quelli presi dal canto gregoriano, o secondo questo imitati.

Restano dunque per sempre esclusi e proibiti i salmi cosiddetti *di concerto.*

*c*) Negli inni della Chiesa si conservi la forma tradizionale dell'inno. Non è quindi lecito di comporre p. e. il *Tantum ergo* per modo che la prima strofa presenti una romanza, una cavatina, un adagio, e il *Genitori* un allegro.

*d*) Le antifone dei Vespri devono essere proposte d'ordinario con la melodia gregoriana loro propria. Se però in qualche caso particolare si cantassero in musica, non dovranno mai avere nè la forma di una melodia di concerto nè l'ampiezza di un mottetto o di una cantata.

V. — CANTORI

*Quis quid canere debeat, possit. Pleraque suut canenda a pluribus simul.*

12. Tranne le melodie proprie del celebrante all'altare e dei ministri, le quali devono essere sempre in solo canto gregoriano senza alcun accompagnamento d'organo, tutto il resto del canto liturgico è proprio del coro dei leviti ; e però i cantori di chiesa, anche se sono secolari, fanno propriamente le veci del coro ecclesiastico. Per conseguenza le musiche che propongono devono, almeno nella loro massima parte, conservare il carattere di musica da coro.

Con ciò non s'intende del tutto esclusa la voce sola. Ma questa non deve mai predominare nella funzione, così che la più gran parte del testo liturgico sia in tale modo eseguita ; piuttosto deve avere il carattere di semplice accenno o spunto melodico ed essere strettamente legata al resto della composizione a forma di coro.

---

paraissent psalmodier entre eux, ou avec des motifs nouveaux, ou avec ceux qui sont tirés ou bien imités du chant grégorien.

Restent donc pour toujours exclus et défendus les psaumes dits *de concert.*

*c)* Dans les hymnes de l'Église, que l'on conserve la forme traditionnelle de l'hymne. Il n'est donc pas permis de composer, par exemple, le *Tantum ergo*, de manière que la première strophe constitue une romance, une cavatine, un *adagio.* et le *Genitori* un *allegro.*

*d)* Les antiennes des vêpres doivent être exécutées avec la mélodie grégorienne qui leur est propre. Néanmoins, si dans une circonstance particulière on les chante en musique, elles ne devront jamais avoir ni la forme d'une mélodie de concert, ni l'ampleur d'un motet ou d'une cantate.

V. — CHANTRES

12. Excepté les mélodies propres au célébrant de l'autel et aux ministres, lesquelles doivent toujours être dans le seul chant grégorien sans aucun accompagnement d'orgue, tout le reste du chant liturgique appartient au chœur des clercs ; aussi les chantres d'église, même séculiers, remplissent proprement le rôle du chœur ecclésiastique. Par conséquent, les morceaux qu'ils exécutent doivent, au moins dans leur plus grande partie, conserver le caractère de musique de chœur.

Il ne s'ensuit pas de là que tout *solo* doive être exclu. Mais celui-ci ne doit jamais prédominer de telle sorte dans la cérémonie que la plus grande partie du texte liturgique soit exécutée ainsi ; il doit plutôt avoir le caractère d'un simple signe ou d'un trait mélodique, et être strictement lié au reste de la composition en forme de chœur.

*Excluduntur feminae.* 13. Dal medesimo principio segue che i cantori hanno in chiesa vero officio liturgico, e che però le donne, essendo incapaci di tale officio, non possono essere ammesse a far parte del coro o della cappella musicale. Se dunque si vogliono adoperare le voci acute dei soprani e contralti, queste dovranno essere sostenute dai fanciulli, secondo l'uso antichissimo della Chiesa.

*Cantorum dotes, vestitus.* 14. Per ultimo non si ammettono a far parte della cappella di chiesa se non uomini di conosciuta pietà e probità di vita, i quali col loro modesto e devoto contegno durante le funzioni liturgiche si mostrino degni del santo officio che esercitano. Sarà pure conveniente che i cantori, mentre cantano in chiesa, vestano l'abito ecclesiastico e la cotta, e se trovansi in cantorie troppo esposte agli occhi del pubblico, siano difesi da grate.

### VI. — ORGANO ED ISTRUMENTI

*Quo genere instrumentorum uti liceat.* 15. Sebbene la musica propria della Chiesa sia la musica puramente vocale, nondimeno è permessa eziandio la musica con accompagnamento d'organo. In qualche caso particolare, nei debiti termini e coi convenienti riguardi, potranno anche ammettersi altri strumenti, ma non mai senza licenza speciale dell'Ordinario, giusta la prescrizione del *Caeremoniale Episcoporum.*

*Quae partes non usurpandae ab instrumentis.* 16. Siccome il canto deve sempre primeggiare, così l'organo o gli strumenti devono semplicemente sostenerlo e non mai opprimerlo.

*De pulsu organorum ante cantum et per intervalla.* 17. Non è permesso di premettere al canto lunghi preludii o d'interromperlo con pezzi d'intermezzo.

*Qualitates* 18. Il suono dell'organo negli accompagnamenti del canto, nei preludii, interludii e simili, non solo deve essere condotto secondo la

---

13. Du même principe il suit que les chantres ont dans l'église un véritable office liturgique, et que, par conséquent, les femmes, étant incapables de cet office, ne peuvent faire partie du chœur ou de la chapelle musicale. Si donc on veut employer les voies aiguës des *soprani* et des *contralti*, elles devront être fournies par des enfants, suivant le très ancien usage de l'Église.

14. Finalement, qu'on n'admette à faire partie de la chapelle de l'église que ces hommes d'une piété reconnue et d'une vie probe, qui, par leur attitude modeste et pieuse durant les fonctions liturgiques, se montrent dignes du saint office qu'ils exercent. Il conviendra également que pour chanter à l'église, les chantres revêtent l'habit ecclésiastique et le surplis *(cotta)*, et que, s'ils se trouvent dans la tribune trop exposés aux yeux du public, ils soient protégés par des grilles.

### VI. — L'ORGUE ET LES INSTRUMENTS

15. Quoique la musique propre de l'Église soit la musique purement vocale, cependant la musique avec accompagnement d'orgue est permise aussi. En certaines circonstances particulières, dans les limites et avec les précautions convenables, on pourra aussi admettre d'autres instruments, mais jamais sans une permission spéciale de l'Ordinaire, selon la prescription du *Cérémonial des Evêques.*

16. Comme le chant doit toujours primer, l'orgue et les instruments doivent simplement le soutenir, et ne jamais le dominer.

17. Il n'est pas permis de faire précéder le chant par de longs préludes, ou de l'interrompre par des morceaux d'intermède.

18. Le jeu de l'orgue, dans les accompagnements du chant, dans les préludes, les intermèdes et autres morceaux semblables, non seulement

propria natura di tale strumento, ma deve partecipare di tutte le qualità che ha la vera musica sacra e che si sono precedentemente annoverate.

*Usus instrumentorum.*

19. È proibito in chiesa l'uso del pianoforte. come pure quello degli strumenti fragorosi o leggeri, quali sono il tamburo, la grancassa, i piatti, i campanelli e simili.

*Varia prohibentur instrumenta.*

20. È rigorosamente proibito alle cosiddette bande musicali di suonare in chiesa; e solo in qualche caso speciale, posto il consenso dell'Ordinario, sarà permesso di ammettere una scelta limitata, giudiziosa e proporzionata all'ambiente, di strumenti a fiato, purchè la composizione e l'accompagnamento da eseguirsi sia scritto in istile grave, conveniente, e simile in tutto a quello proprio dell'organo.

*De profanis musicorum sodaliciis in ecclesia.*

21. Nelle processioni fuori di chiesa può essere permessa dall'Ordinario la banda musicale, purchè non si eseguiscano in nessun modo pezzi profani. Sarebbe desiderabile in tale occasione che il concerto musicale si restringesse ad accompagnare qualche cantico spirituale in latino o volgare, proposto dai cantori o dalle pie Congregazioni che prendono parte alla processione.

*Et in supplicationibus sollemnibus.*

### VII. — AMPIEZZA DELLA MUSICA LITURGICA

22. Non è lecito per ragione del canto o del suono fare attendere il sacerdote all'altare più di quello che comporti la ceremonia liturgica. Giusta le prescrizioni ecclesiastiche, il *Sanctus* della Messa deve essere compiuto prima dell'elevazione, e però anche il celebrante deve in questo punto avere riguardo ai cantori. Il *Gloria* ed il *Credo*, giusta la tradizione gregoriana, devono essere relativamente brevi.

*Quo spatio temporis continenda musica.*

---

doit être conduit selon la nature propre de cet instrument, mais doit participer à toutes les qualités que possède la vraie musique sacrée et qu'on vient d'énumérer.

19. Est défendu dans l'église l'usage du piano, comme aussi celui des instruments bruyants ou bizarres, tels que le tambour, la grosse caisse, les cymbales, les clochettes et autres semblables.

20. Il est rigoureusement défendu aux corps de musique, comme on les entend vulgairement, de jouer dans l'église; et seulement en certains cas spéciaux, avec le consentement préalable de l'Ordinaire, il sera permis d'admettre un choix limité, judicieux et adapté au milieu, d'instruments à vent, pourvu que la composition et l'accompagnement à exécuter soient d'un style grave, convenable, et semblable entièrement au style propre de l'orgue.

21. Dans les processions hors de l'église, l'Ordinaire peut admettre une fanfare, pourvu qu'elle ne joue absolument aucun morceau profane. En ce cas, il serait désirable que le concert musical fût restreint à l'accompagnement de quelque cantique religieux en latin ou en langue vulgaire, exécuté par des chantres ou par les pieuses congrégations qui prennent part à la procession.

### VII. — DURÉE DE LA MUSIQUE LITURGIQUE

22. Il n'est pas permis, à raison du chant ou de la musique, de faire attendre le prêtre à l'autel plus que ne le comporte la cérémonie liturgique. D'après les termes des prescriptions ecclésiastiques, le *Sanctus* de la messe doit être achevé avant l'élévation, et par conséquent le célébrant doit lui aussi, sur ce point, avoir égard aux chantres. Suivant la tradition grégorienne, le *Gloria* et le *Credo* doivent être relativement courts.

*Primae partes numquam deferantur musicis rationibus.*

23. In generale è da condannare come abuso gravissimo, che nelle funzioni ecclesiastiche la liturgia apparisca secondaria e quasi a servizio della musica, mentre la musica è semplicemente parte della liturgia e sua umile ancella.

## VIII. — MEZZI PRECIPUI

*Ab episcopo instituatur coetus peritorum cui cura musicae mandetur.*

24. Per l'esatta esecuzione di quanto viene qui stabilito, i Vescovi, se non l'hanno già fatto, istituiscano nelle loro diocesi una Commissione speciale di persone veramente competenti in cose di musica sacra, alla quale, nel modo che giudicheranno più opportuno, sia affidato l'incarico d'invigilare sulle musiche che si vanno eseguendo nelle loro chiese. Nè badino soltanto che le musiche siano per se buone, ma che rispondano altresì alle forze dei cantori, e vengano sempre bene eseguite.

*In Institutis colatur cantus gregorianus. Suadetur erectio* scholae cantorum.

25. Nei seminari dei chierici e negli istituti ecclesiastici, giusta le prescrizioni tridentine, si coltivi da tutti con diligenza ed amore il prelodato canto gregoriano tradizionale, ed i superiori siano in questa parte larghi d'incoraggiamento e di encomio coi loro giovani sudditi. Allo stesso modo, dove torni possibile, si promuova tra i chierici la fondazione di una *Schola Cantorum* per l'esecuzione della buona musica liturgica.

*In scientiis sacris tradendis, sermo fiat de principiis et legibus musicae sacrae.*

26. Nelle ordinarie lezioni di liturgia, di morale, di gius canonico, che si danno agli studenti di teologia, non si tralasci di toccare quei punti che più particolarmente riguardano i principi e le leggi della musica sacra, e si cerchi di compierne la dottrina con qualche particolare istruzione circa l'estetica dell'arte sacra, affinchè i chierici

---

23. En général, il faut condamner comme un abus très grave le fait que dans les fonctions ecclésiastiques la liturgie paraisse une chose secondaire, et pour ainsi dire au service de la musique, tandis que la musique est simplement une partie de la liturgie et son humble servante.

## VIII. — MOYENS PRINCIPAUX

24. Pour l'exacte exécution de ce qui est ici établi, que les évêques, s'il ne l'ont déjà fait, instituent dans leurs diocèses une commission spéciale de personnes vraiment compétentes dans les choses de musique sacrée, commission qui, selon la forme qu'ils jugeront la plus opportune, aura la charge de surveiller la musique pratiquée dans leurs églises. Qu'ils veillent non seulement à ce que cette musique soit bonne par elle-même, mais à ce qu'elle réponde aussi aux forces des chantres et qu'elle soit toujours bien exécutée.

25. — Que suivant les prescriptions du concile de Trente, tous, dans les séminaires des clercs et dans les établissements écclésiastiques, cultivent avec soin et amour le chant traditionnel grégorien loué ci-dessus, et qu'à cet égard les supérieurs distribuent amplement à leurs jeunes subordonnés l'encouragement et la louange. De la même manière, que l'on favorise parmi les clercs, là où ce sera possible, la fondation d'une *Schola cantorum* en vue de l'exécution de la polyphonie sacrée et de la bonne musique liturgique.

26. Dans les leçons ordinaires de liturgie, de morale, de droit canon, données aux étudiants de théologie, qu'on n'omette pas de traiter les points qui concernent plus particulièrement les principes et les règles de la musique sacrée, et qu'on cherche à en appliquer la doctrine par des instructions particulières touchant l'esthétique de l'art sacré, afin que les

non escano dal seminario digiuni di tutte queste nozioni, pur necessarie alla piena cultura ecclesiastica.

27. Si abbia cura di restituire, almeno presso le chiese principali, le antiche *Scholae Cantorum*, come si è già praticato con ottimo frutto in buon numero di luoghi. Non è difficile al clero zelante d'istituire tali *Scholae* perfino nelle chiese minori e di campagna, anzi trova in esse un mezzo assai facile d'adunare intorno a sè i fanciulli e gli adulti, con profitto loro proprio ed edificazione del popolo.

*De restituendis* scholis cantorum *in variis ecclesiis.*

28. Si procuri di sostenere e promuovere in ogni miglior modo le Scuole superiori di musica sacra dove già sussistono e di concorrere a fondarle, dove non si possedono ancora. Troppo è importante che la Chiesa stessa provveda all'istruzione dei suoi maestri, organisti, e cantori, secondo i veri principii dell'arte sacra.

*De scholis superioribus promovendis.*

IX. — CONCLUSIONE

2. Per ultimo si raccomanda ai maestri di cappella, ai cantori, alle persone del clero, ai superiori dei seminari, degli instituti ecclesiastici e delle comunità religiose, ai parroci e rettori di chiese, ai canonici delle collegiate e delle cattedrali, e soprattutto agli Ordinari diocesani, di favorire con tutto lo zelo queste sagge riforme, da molto tempo desiderate e da tutti concordemente invocate, affinchè non cada in dispregio la stessa autorità della Chiesa, che repetutamente le propose ed ora di nuovo le inculca.

*Generalis monitio de tenendis his normis.*

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno della Vergine e Martire S. Cecilia, 22 novembre 1903, del Nostro Pontificato l'anno primo.

*Dies (22 novembris 1903).*

PIUS PP. X.

---

clercs ne quittent pas le séminaire dépourvus de toutes ces notions, nécessaires aussi à la pleine culture ecclésiastique.

27. Qu'on ait soin de rétablir, au moins dans les églises principales, les antiques *Scholæ cantorum*, comme on l'a déjà fait avec les meilleurs résultats dans un bon nombre d'endroits. Il n'est pas difficile au zèle du clergé de fonder ces *Scholæ*, même dans les petites églises et dans celles de la campagne; bien plus, il trouve en elles un moyen très facile de réunir autour de lui les enfants et les jeunes gens, pour leur propre profit et l'édification du peuple.

28. Que l'on s'occupe de soutenir et de favoriser du mieux possible les écoles supérieures de musique sacrée là où elles existent déjà, et de contribuer à les établir là où elles font encore défaut. Il importe extrêmement que l'Église elle-même veille à instruire ses maîtres de chapelle, ses organistes et ses chantres dans les vrais principes de l'art sacré.

IX. — CONCLUSION

29. Finalement, il est recommandé aux maîtres de chapelle, aux chantres, au clergé, aux supérieurs des séminaires, des établissements ecclésiastiques et des communautés religieuses, aux curés et aux recteurs des églises, aux chanoines des collégiales et des cathédrales, et surtout aux Ordinaires diocésains de favoriser avec tout leur zèle ces sages réformes depuis longtemps désirées, appelées de tous d'un vœu unanime, afin de ne pas exposer au mépris l'autorité même de l'Église, qui plusieurs fois les a proposées et qui aujourd'hui de nouveau les inculque.

De Notre Palais apostolique, au Vatican, le jour de la vierge martyre sainte Cécile, 22 novembre 1903, la première année de Notre Pontificat.

PIE X, PAPE.

ANNOTATIONES

A nostro proposito alienum est monumentum istud, gravissimi momenti, commentariis illustrare. Quare satis erit si haec paucissima tradiderimus.

1. Ut ipse S. Pontifex nuntiabat in praefatione, et confirmat S. Rituum Cong. decretum, Instructio ista, qua recepta principia et normae musicorum sacrorum in unum coguntur, vim continet universalis legis, qua omnia denuo promulgantur et ab ista promulgatione propriam mutuantur efficaciam obligandi. Ut aliis dicam verbis, *Codicem* habemus *authenticum* musicorum sacrorum, cuius omes sanctiones pro universali lege sunt habendae et ex ipso monumento cuius sunt partes sunt potissimum interpretandae.

2. N. 13 prohibentur mulieres partem habere in choro ecclesiarum. Qua sanctione tamen non videtur vetitum quod ipsa necessitas quandoque induxit et commendat prudens modestia, i. e. ut in sodaliciis puellarum, in conservatoriis, ipsae puellae seu sorores, exclusis viris, requisitos exsequantur cantus. Confirmamur ceterum analogia iuris. Quamvis enim *per se* non possint nisi masculini sexus levitae sacerdoti litanti adesse, toleratur tamen, ob iustam causam, mulier, praesertim sanctimonialis, quae in missae responsis populi personam agat.

3. Observes dictum n. 22, quo qui canunt et organum pulsant ea musica deligere et exsequi iubentur, quae sinant ante consecrationem absolvi « Sanctus, etc. », et ipse rursus sacerdos ita suam moderari actionem ut congruum cantoribus praesto sit tempus.

---

## 11. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (8 Ian. 1904)

### *DECRETUM QUO SUPPRIMUNTUR EXEMPTIONES ET PRIVILEGIA MOTUI PROPRIO CONTRARIA*

### Urbis et Orbis

*Definitur in Motu proprio inesse vim authentici Codicis.*

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu Proprio* diei 22 novembris 1903 sub forma *Instructionis de musica sacra* venerabilem cantum Gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum Ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praescriptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui tamquam *Codici iuridico musicae* ex plenitudine Apostolicae Suae Potestatis vim legis pro universa Ecclesia habere voluit. Quare idem SSmus Dominus Noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut *Instructio* praedicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab apostolica sede maioribus Urbis Basilicis, praesertim vero Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensi concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quaecumque cantus liturgici recentiores formae pro rerum ac temporum circumstantiis ab Apostolica Sede et ab hac Sacra Congrega-

*Revocantur privilegia et exemptiones quaelibet;*

*Atque etiam commendationes*

tione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae in iis Ecclesiis ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec, quamprimum fieri poterit, Cantus Gregorionus iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*et privilegia recentioribus liturgici cantus formis concessa.*

De hisce omnibus Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens decretum expediri iussit. Die 8 ianuarii 1904.

*Confirmatio pontificia. Dies (8 ian. 1904).*

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C. *Praefectus.*

*Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., S. R. C. Secretarius.*

ANNOTATIO

Decreto isto *consuetudines* premuntur silentio. Merito tamen R. D. Besson (*Rev. théol. franç.* 1904, p. 169) existimat contrarias consuetudines, si quae S. Congregationi proponantur iudicandae, vix non omnes damnatum iri. Addit nihilominus silentii istius esse posse beneficium, ut praescripta pontificia ad usus quosdam, per se legitimos, praesertim si immemorabiles fuerint, prudenter attemperentur.

---

## 12. — S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *DECRETUM 18 IULII 1902*

### De indulgentiis Tertiariorum saecularium

De communicatione Indulgentiarum et gratiarum inter Tertiarios saeculares diversorum Ordinum haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita mentem suam jam satis aperuit. Dubio enim proposito : « Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem *Misericors Dei Filius* et Rescriptum diei 15 decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respectivo Ordine ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus ? » Haec S. Congregatio die 31 ianuarii 1893 respondit: « Negative, nisi constet de speciali Indulto. »

*Memoratis superioribus actis et responsis de communicatione indulgentiarum,*

Nihilominus haud multo post ad eandem S. Congregationem denuo sequens dubium fuit delatum :

*Iteratae quaestioni de hac communicatione,*

Utrum detur inter Tertiarios diversorum Ordinum reciproca communicatio Indulgentiarum et gratiarum Ordinum ad quos Tertiarii ipsi pertinent ?

*Die 19 iulii 1902 Respondetur :*

Et Eminentissimi Patres, in generalibus comitiis, apud Vaticanas aedes habitis die 15 iulii 1902, responderunt :

In decisis in Generali Congregatione diei 31 ianuarii 1893 ad dubium XVI, et supplicandum SS^mo ut singulis Tertiis Ordinibus, sublata qualibet, etiam speciali Indulto concessa, Indulgentiarum communicatione, providere dignetur per concessionem ad instar illius quae facta est favore Tertii Ordinis S. Francisci per Breve *Qui multa*, diei 7 septembris 1901 ; et ad mentem. — Mens autem

In decisis, *sed simul supplicandum Sanctissimo ut indulgentias directe concedat.*

*Quas impetrare cupiant, proponere possint Superiores Generales Ordinum.*

est ut RRmi Patres Generales Ordinum Religiosorum qui Tertium Ordinem habent, huic S. Congregationi exhibeant novum summarium illarum Indulgentiarum quas pro suis Tertiis Ordinibus obtinere cupiunt.

*Confirmatio Pontificis.*

De quibus omnibus facta relatione SSmo Domino Nostro Leoni PP. XIII, ab infrascripto Cardinali Praefecto, in audientia habita die 18 iulii 1902, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum confirmavit, easque exsecutioni mandari iussit.

*Dies (18 iulii 1902).*

Datum Romae ex secretaria eiusdem S. C. die 18 iulii 1902.

SERAPHINUS. Card. CRETONI, *Praef.*

Pro R. P. D. *Francisco Sogaro Archiep. Amiden.*, *Secret.*

*Josephus Maria Can. Coselli, Subst.*

ANNOTATIO

Itaque, hodie, indulgentiae quibus fruuntur Tertiarii saeculares S. Francisci mutuandae sunt a Const. *Misericors Dei Filius*, 29 maii 1883, et Brevi *Qui multa*, 7 sept. 1901. Cfr. *Acta Leonis XIII* (edit. Desclée) t. 2, p. 10, et NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, t. 33, p. 607.

De indulgentiis Tertii Ordinis Fratrum Praedicatorum, adeundum est rescriptum Pii VII, 6 iul. 1806.

Indulgentiae Tertiariorum saecularium Ordinis Servorum B. M. Virginis continentur rescripto 15 dec. 1883.

Indulgentiae Tertii Ordinis saecularis Eremitarum S. Augustini continentur decreto 5 sept. 1903. Cfr. ACTA S. SEDIS, t. 36, p. 186.

Indulgentiae Tertii Ordinis saecularis Beatae Virginis a monte Carmelo leguntur in decreto 18 sept. 1903. Cfr. ACTA S. SEDIS, t. 36, p. 241.

---

## 13. — S. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *DECRETUM 28 AUG. 1903*

### De Indulgentiis Tertiariorum qui, votis astricti, communem agunt vitam

*Occasio frequens dubiorum,*

Ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam saepe dubia delata sunt circa relationem Tertiariorum, tanto hodie numero in communitate viventium et simplicia vota nuncupantium, ad respectivos suos Ordines regulares quoad Indulgentias et spirituales gratias. Quae dubia succreverunt ex quo

*Aucta decreto Leonis XIII et Normis de novis Institutis.*

Leo XIII, fel. rec. speciales Indulgentias pro iis solis Tertiariis tum Franciscalibus, tum Ordinis Servorum B. M. V. qui in saeculo vivunt, concessit, sublatis omnibus aliis Indulgentiis eousque istis Tertiis Ordinibus tributis. Verum est Sacram Congregationem EE. et RR. in suis Normis pro approbatione horum Institutorum (Sect. 1, § 11, n. 16), statuisse : « Instituta Tertiariorum non approbentur, nisi a Superioribus Generalibus eorum Ordinum a quibus et nomen et habitum mutuantur, in proprium respectivum Tertium

Ordinem aggregentur, et ad Indulgentiarum et gratiarum spiritualium participationem, *quantum concedere fas est*, admittantur; » haec tamen postrema verba, ut patet, praesentem quaestionem in ambiguo adhuc reliquerunt.

Quare, ne tot ex utroque sexu Tertiarii horum Institutorum, qui exemplo et opere de re catholica optime sunt meriti, certis Indulgentiis diutius careant, quaesitum est :

*Hinc* **Quaestio:** *Expeditne istis Tertiariis concedere indulgentias primi et secundi Ordinis?*

« An generali dispositione omnibus Institutis Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium ab Apostolica Sede sint concedendae Indulgentiae primo et secundo Ordini respectivo propriae ? »

Et E[mi] Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati die 18 augusti 1903 responderunt :

**Responsum:** *Affirmative.*

Affirmative.

De quibus facta relatione S[smo] D[no] Nostro Pio Pp. X in Audientia habita die 28 eiusdem mensis et anni ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsum approbavit et confirmavit, decrevitque : *primo*, ut Instituta Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus a quibus nomen et habitum mutuantur legitime sint aggregata, participent omnes Indulgentias a RR. PP. primis et secundis Ordinibus directe tantum concessas ; *secundo*, ut eorundem Ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur ; *tertio*, ut aliae Indulgentiae huiusmodi Tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sint propriae.

*Approbatio et decreta Pii X.* *1. De Indulgentiorum communicatione, quod ad personas.* *2. Et ecclesias.* *3. Aliae iudulgentiae propriae sunt Tertiariorum saecularium.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 28 augusti 1903.

*Dies (28 aug. 1903).*

A. Card. Tripepi, *Praef.*
*Francisc. Sogaro, Archiep. Amiden., Secret.*

---

## 14. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

### *RESCRIPTUM 27 IAN. 1904*

### Indulgentiam concedens communitatibus religiosis

*Orator postulat concessionem indulgentiae.*

Il Canonico [1] Pasquale Antonelli, prostratro ai piedi della S. V., umilmente supplica che si degni concedere qualche indulgenza a quelle Comunetà religiose che recitano la seguente invocazione :

« O Maria, per i gloriosi triomfi del tuo immacolato concepimento, aiuta, esaudisci e consola questa pia Comunità e tutte le nostre famiglie. » Che, ecc.

Ex Audientia SS[mi].

Die 27 ianuarii anni 1904.

*Dies (27 ian. 1904).*

---

[1] Id est, latine : « Canonicus Paschalis Antonelli, ad pedes S. V. provolutus, humiliter rogat ut velit indulgentiam quandam concedere iis Communitatibus religiosis quae hoc modo precantur :

« O Maria, per gloriosos triumphos immaculati tui conceptus, adiuva, exaudi, consolare piam hanc communitatem et omnes nostras familias. »

Et Deus, etc.

Generalis, sequens dubium solvendum SS. Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum :

*Memoratur concessio officiorum.* Anno 1900, ab Apostolica Sede extensa fuere ad universam Americam Latinam festa cum officiis et missis propriis et approbatis B. M. V. de Guadelupe sub ritu dup. 1 classis, et S. Thuribii, Archiepiscopi Limani, sub ritu dup. 2 classis.

*Hinc* **dubium.** Nunc quaeritur :

*De obligatione Regularium.* An omnes Regulares in America Latina vitam agentes atque proprio Calendario utentes ad praedicta festa, officia et Missas B. M. V. Guadalupensis et S. Thuribii persolvenda teneantur ?

**Responsum.** Et S. Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisita sententia Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, rescribere rata est.

*Adeantur decreta.* « Serventur S. R. C. Decreta, praesertim n. 3147 Patavina, 28 aprilis 1866; n. 3727 Ordinis S. Benedicti, 10 maii 1890, et detur etiam decretum recens Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. 6 decembris 1902.

*Dies (26 mart. 1904).* Atque ita rescripsit, die 26 martii 1904.

S. Card. Cretoni, *S. R. C. Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotatio

Hoc suo modo respondendi, videtur S. Rituum Congregatio voluisse tacite decretum 6 decembris 1902, de quo supra, n. 2, p. 12, aliquo modo declarare eiusque ostendere concordiam cum aliis decretis. Dum enim simul distulit oratorem ad decreta n. 3147 et 3727 et ad decretum 6 dec. 1902, haec affirmavit esse inter se consona, et tertium duobus prioribus declarari debere. Ad quam interpretationem ipsi accessimus in nostra conclusione, p. 13 et 14.

R. P. Trilhe, Rev. Théol. franç. 1904, p. 567, iam arbitratur responsum 6 dec. 1902 ita esse intellegendum, ut regulares qui *dioecesano* utuntur calendario, novum officium recipere non debeant, nisi clausula addatur praeceptiva pro utroque clero.

Quam sententiam improbare nolumus. Cur tamen regulares qui simpliciter utuntur dioecesano calendario eximantur novis officiis, et sic iam calendarium proprium habere incipiant, non capimus, nobisque satis mirum videtur. Quare potius standum putamus conclusioni propositae p. 14.

## 18. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (15 aprilis 1904)

### *RESCRIPTUM DE CALENDARIO SACERDOTUM TERTIARIORUM*

### Ordinis Fratrum Minorum

*Orator.* Hodiernus Rmus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, annuente supremo eiusdem Ordinis Moderatore, ut omnis removea-

tur ambigendi causa, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia proposuit, nimirum :

**Dubia:** *Num facultate adhibendi cal. Franciscanum fruantur etiam eae moniales quae pro divino officio recitant parvum B. Virg. et alias preces?*

I. Utrum facultas adhibendi calendarium Romano-Seraphicum a Summo Pontifice Pio VI per Bullam « Religiosos Ordines », sub die 6 septembris anno 1785, facta Monialibus... Tertii Ordinis S. Francisci... aliisque.., quae vel sint Instituti conexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum Ordine Minorum habentis... necnon personis tertii status, competat iam, non solum tertiariis utriusque sexus divinum quotidie recitantibus Officium, sed etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus; atque in eorum ecclesiis atque Oratoriis?

*Num licet etiam sacerdotibus canonice addictis alicui Ecclesiae sequi istud calendarium?*

II. Utrum licentia adhibendi calendarium Romano-Seraphicum, concessa per memoratam superius Bullam ab eodem Pio VI « personis Tertii Status tertii Ordinis S. Francisci choro non obligatis » intellegenda sit dumtaxat de Sacerdotibus in privato Oratorio celebrantibus, vel nullius Ecclesiae servitio canonice addictis : an etiam de Sacerdotibus tertiariis alicui Ecclesiae sive simplici, sive parochiali canonice mancipatis?

*Num quidam dies sunt excipiendi, et quomodo tunc ordinandum calendarium?*

III. Et quatenus Affirmative ad secundam praecedentis dubii partem : num iidem Sacerdotes Tertiarii alicui Ecclesiae canonice adiuncti, in festis Patroni Principalis, Tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam cathedralis, necnon quibus diebus debent missam applicare pro populo, teneantur in officio et missa sequi calendarium Dioecesis, prouti Fratres Primi Ordinis : ac deinde recurrente iuxta calendarium Minoriticum aliquo Officio secundum Ordinem Dioecesanum iam recitato, utrum se conformare possint calendario Romano-Seraphico, an vero habita ratione huiusmodi Officiorum de Praecepto debeant, prouti fit in primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere?

**Rescripta:**

Et Sacra eadem Congregatio. ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto commissionis Liturgicae, omnibusque diligenter perpensis, rescribendum censuit :

*Ad. I.* Ad I. Affirmative.

*Ad. II.* Ad II. Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam quoad sacras functiones in Ecclesia.

*Ad. III.* Ad III. Ad primam partem, Affirmative ; ad secundam partem, Negative quoad primam quaestionem et Affirmative quoad secundam.

*Dies (15 april. 1904).* Atque ita rescripsit, die 15 aprilis 1904.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

ANNOTATIO

Ex responsis modo recitatis, haec constant :

1. Ecclesiae et Oratoria Tertiariorum S. Francisci qui communem agunt vitam privilegio fruuntur calendarii Ordinis Seraphici, quamvis ipsi Tertiarii horas canonicas non recitent.

2. Singuli sacerdotes Tertiarii, in privata Breviarii recitatione, adhibere possunt calendarium Seraphicum, sed, quod ad Missam et Sacras functiones, qualitatem ecclesiae observare debent.

3. Qui ascripti sunt cuidam ecclesiae debent tamen, quibusdam diebus, Officium dicere secundum calendarium dioecesanum ; atque, in proprio Officio ordinando, istius recitationis rationem habere.

# 19. — S. CONGREGATIONIS CONCILII

## *DECRETUM 11 MAII 1904*

## De Missarum oneribus exacte exsolvendis et prudenter transferendis

*Praesentium sanctionum exempla et opportunitas.*

**Ut debita** sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura, etiam novissimo tempore, S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa, E^mi^ S. C. Patres, semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt quae SS^mus^ D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

*Quid missa manualis.*

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intellegi et haberi eas omnes quas fideles, oblata manuali stipe, celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

*Manuales possunt gravare patrimonium.*

Pariter inter manuales missas accenseri illas quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

*Quid missae ad instar manualium.*

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit:

*Quot missae accipi honeste possint.*

1° Neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agitur de Ordinario dioecesano, aut Prelato regulari.

*Utile tempus susceptae obligationis.*

2° Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

*Ne accipiantur missae quae infra annum dici nequeant. Quid tamen possit offerentis voluntas.*

3° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

*Obligatio*

4° Cum in decreto *Vigilanti*, diei 25 mensis maii 1893, statutum fuerit « Ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum

onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definendum; » ad tollendas ambiguitates, E^mi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus, obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero aut diversa voluntate offerentium.

*tradendi missas Ordinariis ex decr.* Vigilanti *memoratur et declaratur.*

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

*Quibusnam tradi possint missae acceptatae.*

5° Qui exuberantem missarum numerum habent de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere, praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

*Obligatio quae superes. se potest pro traditionis modo.*

6° Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assecuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

*Quid praestare debeant Ordinarii.*

7° Ordinarii dioecesani missas quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quam primum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos quos iis indigere noverunt; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extradioecesanis, dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores, firma semper regula art. 6, de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

*Missae ne tradantur. bibliopolis, ephemeridum administratoribus, et aliis huiusmodi personis.*

*Statuitur sanctio peccati et poenarum.*

8° Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas, a fidelibus vel locis piis acceptas, tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit, aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

*Eleemosyna est in propria specie tradenda celebranti.*

*Abrogantur rescripta et privilegia contraria.*

9° Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, aut pro missis fundatis aut alicui beneficio annexis (quae ad instar manualium celebrantur), eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam nunquam separari posse a missae celebratione, ***neque in alias res commutari aut imminui***, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

*Nulla pacta vendendi et emendi facienda esse ope missarum.*

10° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiamsi de celebratis, quotiens id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

*Quod quadamtenus valet de eleemosyna missae celebratae.*

*Novum requiritur indultum ut ex stipendiorum parte consuli possit sanctuariorum decori.*

11° Item sine nova et speciali S. Sedis venia (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, non licere quicquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

*Poenae.*

12° Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

*Confirmatur sanctio Cis Apostolicae Sedis.*

13° Et cum in Const. *Apostolicae Sedis* statutum sit excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent », S. C. declarat huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

*Pristinis indultis, etc. ad finem anni uti licet.*

14° Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur usque ad currentis anni exitum vigeant.

*Quae eleemosyna sit tradenda pro missis fundatis vel beneficio annexis.*

15° Denique quod spectat missas beneficiis annexas, quotiens aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis, eleemosynam quae tribuitur non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 iulii 1874 et *Hildesien.* 21 ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim « Attento quod eleemosynae missarum quo-

rundam legatorum pro parte locum tenerent congruae parochialis, Emi Patres censuerunt licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive cantatis. » Et in *Hildesien.* declaratum est, « In legatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum portionem quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento. »

*Officium Ordinariorum. Qui libri, quae tabellae sint habendae.*

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missae quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda exsecutione praesentis decreti, quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

*Dies (11 maii 1904).*

Datum Romae ex Sacra Congregatione Concilii die 11 maii 1904.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praedestinus, *Praefectus.*

*C. De Lai, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Prius quam positivae proponantur sanctiones, explicatur *manualium* missarum ratio. Quae descriptio non ponitur ut *generalis*, sed mere istud definitur quae missae, *in ordine ad praesentem legem*, habendae sint pro manualibus, vel manualibus aequiperentur.

Age porro, in *praesenti decreto*, omnes missae sunt manuales, nisi *in aliqua Ecclesia*, in perpetuum vel longissimum tempus sint constitutae, vel sint beneficio annexae. Immo iam regimini manualium missarum subiciuntur missae fundatae quidem vel beneficio annexae, quae ob iustam causam et legitima ratione traduntur aliis sacerdotibus celebrandae.

2. Quaeres quaenam fundatio « talis ac tam diuturna » habenda sit ut pro *perpetua* possit considerari? Sane sufficit spatium quinquaginta annorum, cum ex privilegio Benedicti XIV, perpetua missarum onera in ecclesiis Minimorum ultra quinquagesimum annum durare non debeant [1]. Verum putamus id ex adiunctis et moribus receptis plurimum pendere. Illud formaliter est attendendum, utrum necne missae ita sint constitutae, ut testator demonstretur velle non suae tantum animae directe consulere, sed etiam aliquam ecclesiam augere beneficio seu favore. Ad quam demonstrandam voluntatem ipsi probati usus plurimum valent.

3. Ad legitimam eleemosynarum missarum receptionem videtur per se satis esse si *probabili* iudicio existimare te possis idoneum qui missas intra congruum tempus celebres, ita ut omnimoda certitudo non requiratur. Ita sonat ipsum decretum, cum n. 1 decernat « nemi-

---

[1] Quod, *De Synodo*, l. 13, c. ult. n. 9 et 13, narrat ipse se fecisse C° *Paternae sollicitudinis*, 1749, qua simul praescriptae sunt cautiones ne fideles decipiantur. Constitutionem frustra quaesivimus in Bullario Ben. XIV.

nem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare *probabiliter* valeat intra temporis terminos inferius statutos ». Qua probabili spe si deiciaris, restat ut cures opportunam per alium celebrationem.

Verum simul *moraliter certus* sis oportet missas posse saltem infra annum a te celebrari. Si enim istud *probabiliter* praestare nequeas, iam ex n. 3 decreti missas assumere vetaris : probabilitas ista non eliditur nisi morali certitudine.

4. Si simul componas quae n. 2 et 3 decreti habentur, ita efferendae videntur normae de temporis spatio quod ad manuales missas celebrandas conceditur : *a*) Quos fines expressa verbis vel facto voluntas auctoris stipendii permiserit vel exegerit eos admittere semper potest et simul observare debet celebrans.

*b*) Ex maiore vel minore numero missarum quae ab auctore stipendii offeruntur, moraliter conicitur spatium intra quod sint dicendae manuales missae. Cuius coniecturae exempla adduntur : qui unam offerat missam putatur velle ut intra mensem celebretur ; qui centum offerat eidem sacerdoti missas semestre concedit spatium. Hinc dicemus : qui paucas (10-20) postulaverit missas spatium linquit mensis sesquialterius vel alterius ; tres vel quattuor menses deputabit quinquaginta missis, et annum ducentis.

Quod tamen intellegimus *per se*. Manent enim prudentes theologorum indicationes quibus v. gr. iubent missas celebrandas esse antequam intentionis causa evanuerit, et maturandam esse rationabiliter celebrationem si de recens defunctis agatur.

Consulto de missis agebamus ab *auctore stipendii* oblatis. Namque huius tanquam veri domini est exploranda voluntas, non autem alterius, utputa notarii qui mere testamentum exsequitur, nisi quod testator putandus est, intra fines tamen satis artos, aliquam declarandi dubia facultatem exsecutori reliquisse.

Inter missas autem manuales et quae ad instar manualium habentur illud n. 7° decreti ponitur discrimen, quod manualibus est prius satisfaciendum quam aliis.

*c*) Nisi tamen vel ipse traditus numerus qui nimius sit quam ut intra annum expleri possit, vel expressa domini voluntas maius concedat spatium, missae infra annum, tanquam maximum spatium etiam multis concessum, sunt dicendae. Itaque : α) Qui tercentum acceperit missas, eas intra annum celebrare debet sicut qui ducentas ; ) Qui iam a Titio ducentas acceperit missas dicendas, non potest a Caio alias ducentas recipere, nisi hunc diserte monuerit de impotentia qua impeditur quominus eas per se intra annum celebret.

5. Ex collatis inter se numeris 1, 3, 5, et 8 decreti, apparet, **a**) Sacerdotes *per se* prohiberi ne, ad missas aliis tradendas, consulto assumant missarum obligationes quibus, intra congruum spatium, ipsi *per se vel per subditos* satisfacere nequeant ; **b**) Nec nimias numero missas ab ipsis tradi posse nisi sibi notis sacerdotibus qui eas quaerant taxative ut eas celebrent.

Arbitramur tamen, cum R. P. Van Ruymbeke (Nouv. Rev. Théol. 1904, p. 527) ab offerentibus eleemosynas exceptiones permitti posse. Quare, si *positivus* accesserit consensus offerentium stipendia, non committitur in legem colligendo stipendia ad ea in propria specie et sine deminutione tradenda v. gr. missionnariis, vel sacerdotibus regionis pauperis.

6. In decreto *Vigilanti studio*, quo iubentur sacerdotes missas quae sibi supererant post annum tradere Ordinariis suis, annus ab aliis intellegebatur *civilis*, ita ut post 31 diem decembris resignandas dicerent eleemosynas; ab aliis autem spatium concedebatur 365 dierum a suscepta obligatione. Hanc posteriorem sententiam iam authentice probat et promulgat de *Missis manualibus* praesens decretum.

De *fundatis* autem vel *beneficio annexis* haec habet: « Obligatio illas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent. »

7. Cum in n. 5 Decreti is cui, incolumi fundatorum vel offerentium voluntate, de missis quibusdam libere disponere liceat, legatur posse eas sacerdotibus sibi benevisis tribuere, non videntur Episcopi presbyteros saeculares prohibere posse ne missas « exuberantes » sacerdoti fido sed non dioecesano tradant. Ceterum, iam per se loquendo, tales missae ad nullum locum neque ad dioecesim pertinent. Quo titulo eas pro suis vindicaverit Episcopus? In quam sententiam propendet etiam R. D. BOUDINHON [1]. Excipe tamen si dioecesana consuetudo saeculares sacerdotes fecerit in hac re Episcopo obnoxios.

8. Regula statuitur universalis. Qui onus dicendae missae per alium adimplet a celebrante fidem celebrationis exigere debet. Ab Episcopo quidem vel a S. Sede nulla fides est exigenda, verum ipsi Episcopi eam a celebrantibus postulare debent.

9. Intentio fortasse praecipua huius decreti huc spectat, ut absoluta ratione supprimatur omne mercimonii genus de missarum eleemosynis. Quare haec ponitur norma: Licet quidem Missas requirere ut tibi ipsi vel subditis sacerdotibus stipendia congrua obtineas; minime autem fas est ope stipendiorum fovere opus aliquod pium vel bonum. Hinc non licet iam redactoribus ephemeridum sibi ex collectis eleemosynis comparare « associationes » seu subscriptiones. Immo nefas est his personis missas tradere.

Quo sanctio ista melius confirmetur, simul edicitur *receptum* stipendium non tantum ex integro sed etiam *in propria specie* esse tradendum celebranti. Receptum, inquam, stipendium; nam qui prior postulat ut missa in certam celebretur intentionem, sicut gratuitam petere potest celebrationem, ita librum vel aliud quid offerre non vetatur.

Verum haec prohibentur: *a*) Accepta eleemosyna a fideli quodam, pacisci cum sacerdote celebrante hoc modo: Dices missam; tibi, pro stipendio, librum tradam aequipollentis pretii. Huiusmodi pactione minuitur celebrantis libertas.

*b*) Quamvis magis expedita sit optio eius qui iam celebravit missam et ius habet quaesitum ad eleemosynam in propria specie exigendam, nihilominus, ne novae inveniantur artes fraudandi legem, id fieri nequit frequenter et in subsidium commercii.

Contra vero: *a*) Ipse bibliopola *sibi* per libros obtinere missas ad suam intentionem celebrandas non vetatur; nulla tunc fit commutatio stipendiorum in libros, sed stipendium tanquam in propria sua specie in libro consistit.

---

[1] CANONISTE CONTEMPORAIN, 1904, juillet-août.

*b*) Privatus quidam vir, ***honeste et simpliciter***, in nullius operis subsidium, poterit, *per occasionem*, et nulla utendo coactione, cum sacerdote convenire de alia re pro stipendio libere accipienda.

*c*) Si, pro stipendio, ratam remittas partem de pecunia iam actu tibi a celebrante debita, videris stipendium in propria tradere specie, modo ne sic indirecte et fraudulenter velis alias res stipendiis commutare.

10. Lucrum capere ex collectis missarum eleemosynis iam ante erat prohibitum; immo, in quibusdam adiunctis, n. 13 decreti commemoratis, punitum excommunicatione S. Pontifici reservata. Ac vetuit S. Congregatio Concilii, ne qui alii committeret missas a se acceptas, etiam faenus retineret ex commutatione pecuniae ortum. Ita sonat responsum 2 novembris 1898. Collectori tamen licet sibi reficere impensas in colligendis vel transmittendis missis factas. v. g. pro vectura litterarum vel pecuniae.

Sed cum scriptores permitterent ut etiam a collectore retineretur modica quaedam merces laboris impensi, quod ipsi S. Alphonso non videbatur improbabile, iam quaeritur utrum necne hodie etiam ista sententia defendi possit? Ac ratio ista agendi, quam tamen proprie damnare nolumus, nobis videtur omnino a mente praesentis decreti aliena : iam ad aliquam lucri speciem acceditur. Sed si quis collector ex hac quasi arte sibi victum quaerere voluerit, illud putamus repugnare absolutae rationi qua, n. 8 decreti, omne commercii genus vetatur, immo omne studium quaerendi eleemosynas quod alio fine imperetur ac celebrationis propriae vel subditorum.

11. De gravibus poenis quae n. 12 indicuntur, fac observes eas ferri contra eos qui quasdam praesentis decreti sanctiones perfringere *ausi* fuerint : ita ut in eas non incurras nisi deliqueris cum scientia reatus et poenae.

Sed praeterea, gravis oportet ut adsit materia. Quam ut brevi sermone definire conemur, artes quae plectuntur n. 8-11 ad tria revocabimus genera. Prohibentur enim **a**) Conversiones stipendiorum in alias res, vel **b**) Eorundem imminutiones ac denique **c**) Cooperatio ad reprobatas artes bibliopolarum et mercatorum vel similium personarum. De duobus prioribus ut respondeamus, gravem dicemus esse materiam, si vel stipendia commutata, in priore casu, vel, in altero casu, partes detractae quantitatem attingant quae ad grave furtum absolute requiritur. Ratio cur strictius in priore quam in altero casu accipiamus materiam gravem, haec est : cum prohibentur commutationes, delictum afficit commutatam quantitatem totam; dum quando vetatur stipendii imminutio, ea tantum pars quae male detrahitur ad corpus delicti pertinere videtur. Ratio ipsius traditae regulae desumitur ex analogia. De re enim agitur temporali (stipendium nihil sacrum continet) quae male acquiritur sed *per se* sine alicuius damno iniusto. Quod ad tertium casum, gravis iudicanda est cooperatio qua bibliopolae et mercatores qui has exerceant artes iuvantur in actione sua graviter illicita.

Praeterea, per accidens, si, his artibus, vel unius missae celebratio notabili periculo opponatur, iam ob hanc causam gravis committetur reatus qui, si ceterae condiciones impletae fuerint, gravi censura puniri potest.

# 20. — S. CONGR. CONCILII

## *RESPONSUM 21 MAII 1904*

## De eleemosynis missarum translatis extra dioecesim a regularibus

*Causa, dies (21 maii 1904).*

*Compostellana, Celebrationis missarum*, 21 maii 1904. — In decreto *Vigilanti studio* edito ab hac S. Congregatione sub die 25 maii 1893 circa beneficiatos et administratores causarum piarum et alios quomodocumque ad curandam missarum celebrationem adstrictos sequentia disponuntur : « Iidem Eminentissimi Patres, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos qui iis indigere noverint : alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earundem satisfactione constet. »

*Memoratur dispositio decreti* Vigilanti studio *de Missarum oneribus ultra annum servatis.*

*Orator et* **Dubium.**

Nunc Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Compostellanus, sollicitus de bono sui Cleri et gregis sibi commissi, pro interpretatione et applicatione enunciatae dispositionis sequentia proponit dubia diluenda :

*I. De Regularium iure.*

I. — *An liceat Regularibus in hac Dioecesi commorantibus quascumque missarum eleemosynas colligere et distribuere non solum in suis domibus existentibus in hac Dioecesi sed etiam in aliis eiusdem Ordinis extra ipsam, sine notitia nec licentia Ordinarii et cum gravi detrimento Cleri saecularis.*

*II. De modo consulendi utilitati dioecesis.*

II. — *Quomodo providendum sit, ut in posterum hoc damnum tollatur, et Ordinarius utatur sua iurisdictione erga suos dioecesanos, pro quibus tum ipse tum clerus saecularis laborare tenetur.*

**Responsum.**

R. Dilata.

### Annotatio

Ut verisimile est, ideo S. Congregatio responsum distulit, quia nuperrimum decretum de missis manualibus, oratori quaerenti ignotum, vel ipsi satisfacere poterat vel alteram suadere causae propositionem. In sua tamen ad S. Congregationem relatione [1], Secretarius, perpensis rationibus, id unum censuit Episcopo loci concedendum, ut ipsius statuto prohiberentur Regulares, sine ipsius licentia, stipendia a saecularibus recipere earum missarum quae, quia infra annum non sunt celebratae, sunt, ex decreto *Vigilanti studio* tradendae *propriis Ordinariis*, i. e. ubi agitur de

[1] Causa proposita est *Per Summaria precum.*

saecularibus, Episcopo loci. Quod per se patescit; immo iam satis, etiam silente statuto dioecesano, est decreto *Vigilanti* praescriptum. Quam porro disciplinam intactam linquit novissimum decretum *Ut debita*.

Quocirca arbitramur priori dubio esse ex principiis iuris hoc modo respondendum : « *Per se*, nulla opus est Episcopi licentia ut Regulares eleemosynas Missarum colligant easque, etiam extra dioecesim, fratribus tradant celebrandas. *Per accidens* ea licentia requiritur, immo nec semper sufficiet, si de missis agatur quae ex voluntate auctoris stipendii sunt certo loco vel intra dioecesis fines celebrandae; requiretur etiam si missae fuerint ex decreto *Vigilanti* tradendae Episcopo loci. »

De altero autem quaesito sic dicemus. Sine iniuria non habetur damnum proprie dictum. Ut speciali consulat dioecesis necessitati, poterit Episcopus pia uti adhortatione, vel, si iuri communi derogare velit, S. Sedis impetrare indultum.

## 21. — CONCORDIA INTER S. SEDEM ET REGNUM HISPANIARUM

### *INITA 19 IUNII 1904*

### De Institutis religiosis

*Pactio ista, qua Institutorum religiosorum iuridica ratio ordinatur, latino quidem idiomate est etiam conscripta. Verum, donec a Parlamento hispanico rata habeatur, latina conscriptio non vulgabitur, ac pro authentica valet hispanica, cui gallicam subicimus versionem qualis, paucis mutatis, prodiit in* QUESTIONS ACTUELLES, *t. 75, p. 156.*

*Paciscentes et pacti causa.*

Su Santidad el Sumo Pontífice Pío X y S. M. el Rey católico de Espana D. Alfonso XIII, con el fin de aclarar las dudas suscitadas sobre la situación jurídica de las Ordenes religiosas en Espana y la interpretación y alcance que debe darse en esta materia, así á los articulos del Concordato vigente como á los preceptos de la ley de Asociaciones de 30 de junio de 1887 y á las autorizaciones otorgadas á las Ordenes y casas religiosas existentes y resoluciones dictadas por diferentes Gobiernos sobre este particular, han resuelto celebrar un convenio, á cuyo efecto han nombrado sus plenipotenciarios, á saber :

---

S. S. le Souverain Pontife Pie X et S. M. le roi catholique d'Espagne D. Alphonse XIII, afin d'éclaircir les doutes qui se sont élevés sur la situation juridique des Ordres religieux en Espagne et dans l'interprétation et la portée qu'il faut donner, en cette matière, soit aux articles du Concordat en vigueur, soit aux prescriptions de la loi sur les associations du 30 juin 1887 et aux autorisations accordées aux Ordres et aux maisons religieuses existant, ainsi qu'aux décisions prises par différents gouvernements sur cette question particulière, ont résolu de conclure un accord et ont nommé à cet effet pour leurs plénipotentiaires, savoir :

S. S. le Souverain Pontife :

» Su Santidad el Sumo Pontífice, á su excelencia monsenor Arístides Rinaldini, Arzobispo de Heráclea, gran cruz de la Real y distinguida Orden de Carlos III y de Leopoldo de Bélgica, Nuncio apostólico en el reino de Espana, etc. etc.; y S. M. el Rey católico de Espana al Excmo. Sr. D. Faustino Rodríguez San Pedro, gran cruz de la Real y distinguida Orden de Carlos III, de la de Santiago y la Espada de Portugal, senador vitalicio del reino, su Ministro de Estado, etc., etc., quienes después de haber canjeado sus plenos poderes, hallados en buena y debida forma, han convenido en los articulos siguientes:

» 1º Las Ordenes y Congregaciones religiosas existentes en Espana en la fecha de la ratificación del presente convenio y que hayan cumplido antes de ella con las formalidades establecidas en la Real orden circular de 9 de abril de 1902, gozarán de la personalidad jurídica de que hoy están en posesión, se considerarán comprendidas en la excepción establecida en el párrafo primero del art. 2º de la ley de 30 de junio de 1887 y se regirán por sus reglas y disciplina propia y por las disposiciones de este mismo convenio.

*1º Instituta quae exsistunt pergunt posse possidere bona.*

» 2º Las Ordenes y Congregaciones religiosas no tendrán derecho á subvención ni auxilio alguno del presupuesto del Estado, y estarán sometidas, en cuanto á su régimen canónico, á los diocesanos y Prelados propios, según las reglas de sus estatutos y las disposiciones del Derecho canónico y de la disciplina eclesiástica vigentes, y en cuanto á sus ralaciones con el poder civil, á las leyes generales del reino.

» En caso de discordancia, la Santa Sede y el Gobierno de S. M. se entenderán amigablemente para allanar las difficultades que pudieran surgir.

*2º Nulla percipiunt subsidia publica. Suo utuntur regimine canonico; atque in sua cum civili potestate consuetudine, generalibus regni legibus. Difficultates omnes componentur amice.*

---

S. Exc. Mgr Aristide Rinaldini, archevêque d'Héraclée, grand-croix de l'Ordre royal de Charles III et de Léopold de Belgique, nonce apostolique dans le royaume d'Espagne, etc. etc:

S. M. le roi catholique d'Espagne:

S. Exc. D. Faustino Rodriguez Sampedro, grand-croix de l'Ordre royal de Charles III, etc., sénateur à vie du royaume, ministre d'Etat, etc. etc:

Ceux-ci, après avoir échangé leurs pleins pouvoirs, qui ont été trouvés en bonne et due forme, ont arrêté les articles suivants:

» 1º Les Ordres et Congrégations religieuses existant en Espagne à la date de la ratification du présent accord et qui ont rempli avant cette date les formalités établies en l'Ordonnance circulaire royale du 9 avril 1902 jouiront de la personalité juridique qu'ils possèdent actuellement; ils se considéreront comme compris dans l'exception établie au paragraphe 1er de l'article 2 de la loi du 30 juin 1887 et se gouverneront suivant leurs règles et leur discipline propre et suivant les dispositions de ce même accord.

» 2º Les Ordres et Congrégations religieuses n'auront droit à aucune subvention ni secours du budget de l'Etat; ils seront soumis, en ce qui concerne leur régime canonique, à leurs Ordinaires et prélats particuliers, suivant les règles de leurs statuts et les dispositions du droit canonique et de la discipline ecclésiastique en vigueur, et, en ce qui concerne leurs relations avec le pouvoir civil, aux lois générales du royaume.

En cas de désaccord, le Saint-Siège et le gouvernement de Sa Majesté s'entendront amiablement pour aplanir les difficultés qui pourront surgir.

*3º Communia solvent tributa.*

» 3º Las casas ó conventos de las citodas Ordenes y Congregaciones religiosas estarán sujetas á los impuestos del país por sus bienes ó por las profesiones é industrias que ejerzan, en condiciones de igualdad respecto de las demás personas juridicas ó súbditos espanoles, y no serán objeto de ninguna tributación ó exención especial.

*4º Novae domus non erigentur sine consensu Episcopi loci et regis.*

» 4º Se mantendrán las casas y conventos que á la fecha de la ratificación de este convenio tengan establecidas las Ordenes y Congregaciones religiosas citadas en el art. 1º; pero no podrán abrirse ni establecerse ninguna otra, en la que se haga vida común, sin previo consentimiento del Prelado diocesano y sin autorización dictada por Real orden. Estas autorizaciones se publicarán necesariamente en la *Gaceta de Madrid.*

*5º Parvi supprimuntur conventus quibusdam exceptis.*

» 5º Las casas ó conventos de las Ordenes y Congregaciones religiosas en que haya menos de 12 individuos que hagan vida común se suprimirán, agregándose los religiosos ó religiosas á otros conventos ó casas de la misma Orden, y quedando los edificios y propiedades en que se hallasen establecidos los que se supriman, á la libre disposición de los superiores. Se exceptúan del anterior precepto las Comunidades religiosas que no hacen vida conventual ó que, en virtud de su instituto, se dedican á obras de beneficencia, ensenanza, caridad y asistencia á los enfermos, á los ancianos, á los pobres y abandonados, como también las casas de procura y los sanatorios que pudieran tener las diferentes Ordenes y Congregaciones en algunos lugares especiales. El presente articulo tendrá fuerza ejecutiva transcurridos que sean seis meses de la publicación de este convenio en la *Gaceta de Madrid.*

---

» 3º Les maisons ou couvents des dits Ordres et Congrégations religieuses seront sujets aux impôts du pays pour leurs biens ou pour les professions et industries qu'ils exercent, dans les conditions d'égalité avec les autres personnes juridiques ou sujets espagnols, et ne seront l'objet d'aucune taxation ou exemption spéciale.

» 4º Seront maintenus les maisons et couvents qui à la date de la ratification de cet accord seront des établissements des Ordres et Congrégations religieuses visés à l'article 1er; mais on n'en pourra ouvrir ni établir aucun autre où se mène la vie commune sans le consentement préalable de l'évêque diocésain et sans une autorisation accordée par ordonnance royale. Ces autorisations seront obligatoirement publiées dans la *Gaceta de Madrid.*

» 5º Les maisons ou couvents des Ordres et Congrégations religieuses dans lesquels il y a moins de douze personnes menant la vie commune seront supprimés; leurs religieux ou religieuses s'agrégeront à d'autres couvents ou maisons du même Ordre et mettront les établissements et propriétés dans lesquels ils étaient installés lors de leur suppression à la libre disposition de leurs supérieurs. Sont exceptées de l'obligation précédente les communautés religieuses où ne se mène pas la vie conventuelle, ou qui, en vertu de leur règle se consacrent à des œuvres de bienfaisance, à l'enseignement, à la charité et à l'assistance des malades, des vieillards, des pauvres et des abandonnés; comme aussi les maisons de procure et les sanatoria que peuvent tenir les différents Ordres et Congrégations dans des endroits spéciaux. Le présent article aura force exécutoire six mois après la publication de cet accord dans la *Gaceta de Madrid.*

» 6º No se podrá establecer en Espana ninguna Orden ó Congregación nueva sin que esté autorizada por Su Santidad y sin previo acuerdo del Gobierno con la Santa Sede, consignado el Real decreto publicado en la *Gaceta de Madrid*. *6º De sede a novo Instituto capienda in Hispania, S. Sedes cum regno conveniet.*

» 7º La Orden de los Padres Escolapios continuará en las mismas condiciones, derechos y beneficios que hoy disfrutan. *7º Intacta manent Patrum scholarum piarum iura.*

» 8º Las Asociaciones para fines religiosos cuyos individuos no estén unidos por vinculos de profesión religiosa ni hagan vida común, y, por tanto, no tengan el carácter de Orden ó Congregación religiosa, se entiende que, sin perjuicio de la autoridad que corresponde á los Obispos en la dirección del régimen espiritual y religioso de las mismas, se regirán por la ley general de Asociaciones y los principios del Derecho común, sin limitación alguna para el presente y para lo porvenir, debiendo inscribirse en el Registro especial á que se refiere el art. 7º de la mencionada ley de Asociaciones de 30 de junio de 1887 y cumplir los demás preceptos de la misma. *8º Quae sodalicia pia religiosam Congregationem non constituunt iuri communi sunt obnoxia.*

» 9º Los extranjeros no podrán constituir en Espana Ordenes y Congregaciones religiosas de las mencionadas en el art. 1º sin haberse naturalizado previamente en el reino con arreglo á la ley común. Los religiosos que conservando su condición legal de extranjeros ingresen ó residan en algún convento ó casa religiosa existente en Espana, seguirán sujetos á todas las disposiciones del Derecho común vigente para los súbditos extranjeros. *9º De religiosis extraneis.*

» 10º En el Ministerio de Gracia y Justicia se abrirá un registro especial, en el que se inscribirán las Ordenes y las Congregaciones *10º Apud Ministrum qui Gratiis et Iustitiae*

---

» 6º Il ne pourra s'établir en Espagne aucun Ordre nouveau ou Congrégation nouvelle sans l'autorisation de Sa Sainteté et sans un accord préalable du gouvernement avec le Saint-Siège, consigné dans un décret royal publié dans la *Gaceta de Madrid*.

» 7º L'Ordre des Pères des écoles pies continuera à exister dans les mêmes conditions, avec les mêmes droits et bénéfices dont il jouit actuellement.

» 8º Quant aux associations constituées dans un but religieux dont les membres ne sont pas unis par les liens de la profession religieuse et n'ont pas la vie commune et qui, par conséquent, n'ont pas le caractére d'Ordre ou de Congrégation religieuse, il est entendu que, sans préjudice de l'autorité qui appartient aux évêques dans leur direction spirituelle et religieuse, elles seront régies par la loi générale des associations et les principes du droit commun, sans aucune restriction ni pour le présent ni pour l'avenir. Elles devront se faire inscrire sur le registre spécial dont il est fait mention en l'article 7 de la dite loi des associations du 30 juin 1887 et accomplir les autres prescriptions de la même loi.

» 9º Les étrangers ne pourront établir en Espagne les Ordres et Congrégations religieuses visés dans l'article 1er, sans s'être fait préalablement naturaliser dans le royaume conformément à la loi commune. Les religieux qui, tout en conservant leur condition légale d'étranger, entreront ou résideront dans quelque couvent ou maison religieuse existant en Espagne seront soumis à toutes les dispositions du droit commun en vigueur relativement aux sujets étrangers.

» 10º Au ministère de la Justice, il sera ouvert un registre spécial sur lequel seront inscrits les Ordres et Congrégations religieuses auxquels se

*praeficitur servandae tabulae.*

religiosas á que se refiere esta concesión y las que, por acuerdo de ambas potestades, se constituyan en lo sucesivo.

*11° Quomodo providendum sit exsequendae partioni.*

» 11° El Ministerio de Gracia y Justicia, de acuerdo con el Consejo de Ministros y en concordia con la Santa Sede, dictará las medidas reglamentarias y aclaratorias que pudiera necesitar la ejecución del presente convenio en lo relativo á las Ordenes y Congregaciones religiosas establecidas, ó que se establezcan por acuerdo de las dos potestades.

*12° Mox faciendae ratihabitiones.*

» 12° El canje de las ratificaciones del presente convenio se verificará en Madrid lo antes que fuere posible.

*Dies (19 iunii 1904).*

» Madrid, 19 de junio de 1904. »

---

## 22. — ERRATUM (Cfr. n. 9).

P. 22, lin. 6, in responso 11 nov. 1903 quo S. Congregatio Indulgentiarum et S. Reliquiarum iussit, in impertienda absolutione alumnis Institutorum Tertiariorum, adhiberi formulam *Regularium*, omissa sunt verba haec : *Attento decreto diei 28 aug. 1903 pro Tertiariis in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus.*

Quod decretum, supra, n. 13, relatum, simul responsionem istam illustrat. Itaque vera causa cur adhibenda sit formula Regularium hinc desumitur, quod generali dispositione, Tertiarii isti participant Indulgentias quae primo et secundo Ordini sunt concessae.

Porro agitur de communitatibus quae Ordini regulari legitime sunt aggregatae.

---

rapporte cette convention et ceux qui, conformément à un accord entre les deux puissances, se constitueront dans l'avenir.

» 11° Le ministère de la Justice, d'accord avec le Conseil des ministres et aussi avec le Saint-Siège, édictera les mesures réglementaires et d'éclaircissement que pourra nécessiter l'exécution du présent accord relativement aux Ordres et Congrégations religieuses établies ou qui s'établiront avec l'assentiment commun des deux puissances.

» 12° L'échange des ratifications du présent accord se fera à Madrid aussitôt que possible.

En foi de quoi les plénipotentiaires respectifs ont signé le présent accord et l'ont validé de leur sceau.

Madrid, le 19 juin 1904.

(*L. S.*) † A. RINALDINI,
*archevêque d'Héraclée, nonce apostolique.*

(*L. S.*) FAUSTINO RODRIGUEZ SAMPEDRO, *ministre d'Etat.*

---

# SUPPLEMENTA

## SUPPLEMENTUM QUINTUM

### DE IUSTA DIMISSIONIS RATIONE IN ORDINIBUS RELIGIOSIS

**Quaestionis occasio et argumentum.** — 1. Necessitate permotus temporum, quae omnino requirunt ut qui cooptantur in regulares sint viri probatissimi, de quibus nec inconstantia sit pertimescenda nec aliqua scandali ratio, Pius IX, per duo decreta, *Neminem latet*, 19 martii 1857, et *Ad Universalis*, 7 februarii 1862 [1], in omnes virorum religiones disciplinam induxit votorum simplicium cuius haec est summa :

a) Peracto novitiatu, qui eam adepti sunt aetatem qua prius sollemniter profiteri poterant, vota non possunt emittere nisi simplicia quamvis perpetua.

b) Per tres minimum annos in hac simplici professione permanere debent, ita ut invalida sit sollemnis professio, nisi spatio trium annorum, mathematice completo, vota simplicia fuerint praeposita.

Copia tamen facta est Praeposito generali atque etiam provinciali professionem sollemnem, ex iustis et rationabilibus causis, differendi, non iis tamen qui 25 annos sint nati.

c) Ut infra tres annos fieri possit sollemnis professio, vel ut ultra tres annos procrastinetur iis qui 25 annorum aetatem compleverint, opus est S. Sedis indulto.

d) Absoluto simplicis professionis legitimo spatio, religiosi admittendi sunt ad sollemnem professionem, « si digni reperiantur » [2]. Cuius rei iudicium pertinet ad Superiorem generalem vel eius delegatum, ita ut capitulum non habeat nisi votum consultativum.

---

[1] Cfr. nostra *Monumenta et Supplementa*, n. 53 et 54.
[2] Decretum *Neminem latet*, n. 4.

e) Donec sollemniter fuerint professi, possunt a Superiore generali cum suo Consilio (facta quadam subdelegandi potestate, praesertim pro locis dissitis) dimitti ab Instituto religioso. Ad quam dimissionem decernendam, nec processus requiritur nec iudicii forma ; Superiores tamen « procedere debent summa caritate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat » [1].

Dimissione autem tolluntur vota, quasi huic condicioni tacite obnoxia.

2. Recens autem, 3 maii 1902, decreto *Perpensis*, Leo XIII professionis simplicis legem traduxit ad Moniales, nisi quod dilatio professionis sollemnis committitur Ordinario vel Superiori generali seu provinciali (si agitur de monasteriis exemptis), et dimissio S. Sedi reservatur. [2]

Itaque in Ordinibus religiosis, cum ad finem vergit simplicis professionis spatium, cogitur capitulum unde simpliciter professi excluduntur, in quo, secretis suffragiis, de admittendis ad sollemnem professionem sententiam dicunt cui vis inest voti consultativi. Hoc excepto, Superior generalis cum suo Consilio, pro sua conscientia et arbitrio, addita, si visum fuerit, nova informatione, causam dirimit.

Hinc, subdifficilis oritur quaestio de legitima dimissionis ratione, sive causam spectes requisitam, sive modum quo adesse et constare debet. Quod argumentum aliquatenus versare nobis est propositum.

**Observanda principia.** — Ipsis responsis praestituenda videntur pauca quaedam principia ad meliorem rei intellectum.

1. Dimissio nullam continet votorum irritationem, vel dispensationem seu commutationem, sed, si legitime sit facta, adimplet resolutoriam votorum condicionem. Dispensatio enim votorum substantialium religionis est S. Sedi prorsus reservata.

Per dimissionem, communi religionis et Instituti bono consulitur, non autem, saltem directe, privatae

---

1 Decretum *Sanctissimus*, 12 iunii 1858, n. IV et V.
2 Decretum *Perpensis*, n. IV et XII. Cfr. *Monumenta* nostra n. 64.

religiosi utilitati. In ea itaque decernenda, istud est considerandum quid ad commune Instituti bonum sit necessarium vel expediens, non autem quae privatae rationes religioso opportunam facere possint votorum relaxationem. Rationes istae fundare possunt dispensationem, non autem dimissionem, nisi, ut facile fit, ex ipsa privata causa pro ipso Instituto argui queat [1].

2. Simpliciter professus non est iam novicius, qui sine iniuria et libere religionem deserere possit et libere ab ea dimitti; sed, ex accepta sui traditione, in religiosum cooptatus Institutum, ius habet manendi, et faciendi, suo tempore, sollemnem professionem, nisi iusta inciderit dimissionis causa; atque etiam erga Deum, tam ipse quam Institutum, obligantur ad sufficientem adhibendam diligentiam ne talis nascatur causa.

Simul tamen professio simplex rationem quandam induit ulterioris probationis, per quam simpliciter professi dignos se demonstrare debent qui sine incommodo et periculo asciscantur inter sollemniter professos.

In pensanda igitur iusta dimissionis causa, componi debet ratio status iam acquisiti, cum hac probationis ratione.

3. Causa porro requiritur ad aliquem dimittendum quae sit gravis. Ita decretum *Perpensis*, n. XII, et per se constat. Grave quidpiam est obligationem tollere peculiaris famulatus divini; grave quidpiam hominem a statu perfectionis in communem detrudere; grave eum periculis saeculi, post religionis securitatem, opponere; grave eundem, sublimi abiecta spe, obligare ad aliam, post plures annos, tentandam condicionem. Talis itaque sit causa oportet, ut detrimenta ista humana et quasi divina compenset.

Nihilominus gravis causa dimissionis non dicit necessario gravem culpam in persona dimittenda, nec omnis gravis culpa gravem praebet dimissionis rationem. Praeterea, in aestimanda causa, ratio haberi potest, immo debet, tum temporum quae, ut nostra sunt, maiorem quandoque postulant severitatem, tum Ordinis et Instituti: generis vitae et ministeriorum.

---

[1] In priore tomo, n. 332, dicebamus graviorem requiri causam ad dimissionem quam ad dispensationem. Dicendum potius fuit respectus esse dispares.

**Quae causa requiratur et sufficiat.** — I. Ut prius respondeamus ex *auctoritate,* SUAREZ, agens de scholaribus Societatis Iesu, quorum iuridica ratio, quamvis ad ius speciale pertineat, satis tamen similis videtur ut argumentum analogiae fundare queat, de his, inquam, agens SUAREZ gravem exigit causam [1], quam dicit, moraliter loquendo, semper pendere ex voluntate ipsiusmet religiosi [2]. « Affectus ad religionem, ita ipse [3], praeter affectum caritatis ad proximum inclinat ad conservanda eius membra, nec permittit aliquod ex illis abscindere, nisi ubi ad salutem totius corporis necessarium est. » Addit tamen saepe « expedire aliquem dimittere, non solum propter vitia incorrigibilia [4], quae fere sola potest esse ratio dimittendi professum, sed etiam propter difficilem naturam, vel non satis aptam aut fidam, ut ei ministeria Societatis committantur et alias similes causas. »

Particularia autem haec affert exempla, ex Constitutionibus, parte 2, c. 2 : « Si iudicaretur quis damnum allaturus malo vitae exemplo, si inquietum se ostendat, si verbis aut actibus offendiculum aliis praebeat, si non possit se componere ad vitam ducendam sub oboedientia, iuxta modum procedendi Societatis, eo quod nequeat iudicium suum refringere, si denique in affectibus et vitiis quae divinam offendunt maiestatem corrigi non possit, etiam si publica non sint. In quibus omnibus et quibuscumque similibus, regula in priore loco designata in n. 10 servanda est ; scilicet defectum hunc talem esse debere, ut eo spectato, Superior prudenter iudicet Deo gratum non esse talem personam in Societate admittere aut retinere. »

SANCHEZ autem his verbis : « Si frequenter regulas ad nullam culpam obligantes transgrediatur, ut si nollet orare temporibus praescriptis, ingredereturque omnium cubicula, et similia efficeret », exempla affert causarum quae, quamvis ex se culpas veniales non excedant, sufficere tamen possint ad legitimam dimissionem [5].

---

1 *De Religione*, tr. 10, l. 3, c. 2, n. IX.
2 Ibidem, n. IV.
3 Ibidem, n. XI fine.
4 Ibidem, n. VI. Regulariter tamen, ut postea videbimus, oportet ut aliquo modo sint incorrigibiles qui post vota perpetua inviti ab Ordine dimittantur. Cfr. Suarez ibidem, l. 10, c. 14, n. IX.
5 *In decalogum*, l. 6, c. 9, n. 69.

BENEDICTUS autem XIV, loquens de Societate, rem ita complectitur [1]: « Dimissionis causa plerumque ex eo desumitur, quod religiosus minime valeat inceptum curriculum laudabiliter persequi, et ad Societatis institutum vitam exigere. »

II. Ex allatis auctoritatibus, et ipsa causa cur inducta sit ista simplicis professionis disciplina, haec regula generalis statui potest : Iuste dimittitur qui prudenter iudicatur futurus esse notabili incommodo cuius onus non iudicatur fuisse ab Instituto assumptum in admittendo candidato ad priora facienda vota.

Haec ipsa regula iam fere continetur his verbis quae in ambobus decretis *Neminem latet* et *Ad universalis* leguntur ; « Ne quis admittatur qui saeculi contagione pollutus, vel verae vocationis expers et suscepti Instituti paeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine. »

III. Quod ut particularibus casibus illustremus :

1. Causae per se *insufficientes* sunt :

a) Infirmitas suborta post professionem [2]. Periculum enim valetudinis simul cum onere alendi subditum in se suscepisse Institutum non est ambigendum, ne omnium perseverantia in incerto sit posita.

b) Infirmitas quae ante vota satis erat nota, nisi religiosus Institutum fraudaverit iusta maioris meriti seu virtutis spe, qua defectus virium videbatur compensandus [3].

c) Affirmatio religiosi se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam [4]. Haec enim causa Institutum religiosum per se minime afficit. Quare locus potius hic est dispensationi, quae reservatur S. Sedi, nisi, quod facile fiet, subiectum ita dispositum prospiciatur fore Instituto et sociis gravamini non levi. Ita C. DE LUGO, in casu simili, *Resp. mor.* l. 4, d. 3, n. 7.

d) Mutuus religionis et religiosi consensus. Habetur enim ad Deum obligatio quae tali consensu auferri nequit [5].

---

1 *De Synodo*, l. XIII, c. XI, n. 17.
2 Decretum *Sanctissimus*, n. V.
3 Ita ipse Suarez, op. cit. l. 3, c. 9, n. XI.
4 Resp. S. C. Episc. et Regul. 19 nov. 1886.
5 Suarez, op. cit., tr. 10, l. 3, c. 9, n. XV.

3. *Sufficientes* autem causae indicari possunt :

a) Quaecumque peccata periculum faciunt scandali, infamiae, vel non permittunt ut reo tuto committantur Instituti ministeria propria. Huc spectant verba decretorum : « Ne quis admittatur qui saeculi contagione pollutus ».

b) Animus impatiens oboedientiae : hinc enim regularis disciplina in discrimen adducitur.

c) Qui modo dicendi vel agendi videntur seminaturi discordias vel caritatem turbaturi. « Necesse est, sic decretum *Neminem latet*, religiosos ipsos viros artissimo caritatis vinculo inter se esse coniunctos. »

d) Talis desidia seu pigritia qua quis ineptum se reddat ad Instituti opera exercenda.

Atque haec quidem sinunt religiosum dimittere *invitum*. Nihilne autem potest ipsius religiosi *consensus ?*

Consensus, qui per se sufficiens causa esse nequit, aliquando imperfectam causam complere potest, idque bifariam: **a)** Quatenus facilitas consentiendi animum prodit parum ad religiosam vitam propensum : cuius animi dispositionis sane in aestimanda causa ratio haberi potest. **b)** Quatenus tollit obstaculum iuris acquisiti a religioso. Fieri enim potest ut per se melius foret, et Deo gratum, quempiam dimitti, nisi dimissio iustitiae adversaretur. Iam vero, voluntaria iuris cessione Superior permittitur, neglecto religiosi respectu, unice Instituti consulere bono. Casus erit, v. gr. infirmitatis contractae post vota, vel quae, cum vota fiebant, erat perspecta. Quem casum non putamus excludi verbis declarationis *Sanctissimus*, quibus dicitur nemo dimitti posse ob infirmitatem quae votis sit posterior. Saepius etiam fit ut quamvis, in iuris rigore, dimitti possit religiosus v. gr. qui bonae quidem voluntatis, ineptus tamen demonstratur ministeriis Instituti, aequitas huiusmodi severitati repugnet, nisi ipse religiosus consentiat. Cfr. de vi consensus, C. DE LUGO *Resp. mor.* l. 4, d. 3, n. 5.

4. Denique, ad sedandos scrupulos, iuvat a SUAREZ hanc mutuari normam [2] : Si Praelatus bona fide procedat, et, facta morali diligentia ac debita consultatione, iudicet expedire talem personam liberam dimittere, et in

---

[1] Suarez, op. cit., tr. 10, l. 3, c. 9, n. XIX.

tali casu recte uti posse potestate sibi a Pontificibus concessa, non est dubitandum de valore actus.... Immo addo.... quod licet post dimissionem intellegatur causam non fuisse tam gravem quanta existimata fuerat, et aliquam deceptionem intervenisse : si tamen bona fide res acta est, et non temere, sed prudenti modo, et, ut ita dicam, secundum allegata et probata, id satis esse ut dimissio teneat, nec postea esse scrupulum ex alterutra parte admittendum, quicquid denuo innotescat. Quia et id sufficit, ut illa dimissio dicatur legitima, et secundum iudicium prudentis viri, quod solum in bullis pontificiis postulatur. » Quod probat etiam C. DE LUGO, *Responsa moralia*, l. 4, d. 3, n. 5.

**Quomodo oportet ut causa innotescat.** — 1. Iusta causa ita constare debet, ut prudenti formidini nullus sit locus. Sin minus, iniuste deturbaveris aliquem legitimo quem possidet statu. Huc spectat sapiens SUAREZ consilium, ne facile credatur unius vel alterius denunciationi [1].

2. Debet ea constare via qua Superiori fas est bono Instituti immediate prospicere. Itaque : **a)** Prorsus in hunc finem inutilis est notitia hausta ex confessione, ut nimis patescit. **b)** Inutilis etiam est confessio religiosi facta in secreta et paterna consultatione qualis est conscientiae ratio. Huiusmodi enim manifestatio, ad solum subditi bonum immediate ordinata, tale gravamen imponere non sinit. Idque de usu directo vel indirecto aeque valet. Gravis igitur iniuriae reus fuerit Superior qui ex tali manifestatione ansam sumat quaerendi praetextum et quasi occasionem expulsionis. Sane, si subditus rogetur, permittere ipse potest, ut ob iustam causam dimittatur. Verum hic ab errore caveas. Iuvenum enim et personarum quae parum in theologia versantur talis consensus aliqua ignorantia vel metu facile vitiatur. Quare is, non alius, sufficit consensus quem *sine coactione* dat subditus *probe sui iuris gnarus*. **c)** Nec in eundem finem uti potest Superior delatione quam alter ipsi fecerit ut patri, i. e. ut subditum corrigat, non ut in quemcumque viderit magis expedire adhibeat usum. Verum hic potest Superior exigere ut maior sibi fiat copia utendi

---

[1] *De Religione*, tr. X, l. 10, c. 14, n. X.
[2] Ibidem n. IX.

re narrata, si magna et urgens ratio boni communis eiectionem postulet, vel si frustranea adhibita sit diligentia ad obtinendam emendationem. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. X, l. 10, c. 14, n. X.

**De monitione facienda.** — 1. Oportet regulariter ut ante dimissionem prius tentetur correctio religiosi. Quare semel et iterum est admonendus ut sese emendet, nisi tale sit delictum ut statim sit religiosus dimittendus, sive ad praecavendam religionis infamiam, sive quia, perspecta propensione, spes emendationis non ita affulget ut tali personae unquam fidi possit [1]. Exemplo sit culpa carnalis cum complice, saltem si tunc innotescit cum satis certa emendatio nondum intercessit.

2. Verum monitiones excipere potest emendatio *vera*, mere *apparens* ex fraude, vel *suspecta* inconstantiae. De qua nova dubitatione ita videtur breviter dicendum. Emendatio quae ex indole personae et adiunctis videtur ficta, omnino neglegi potest, ita ut nihil valeat ad suffragium mutandum. Si vero mere suspecta sit inconstantiae, remedium consistit in professionis sollemnis maiore dilatione, sive eam decernere queat Superior, sive a S. Sede sit impetranda. In hunc effectum videtur communicandum cum S. Sede consultativum Capituli suffragium.

Quod si dilatio imponi nequeat, restat ut incommoda et mutuae Instituti et religiosi rationes pensentur, et hinc prudenter statuatur quid, omnibus libratis, videatur magis ad divinum conferre honorem. In qua re observari potest, cum S. Congregatione Episcoporum et Regularium, eum qui post plures annos nondum se ostenderit probatum, exiguam spem offerre emendationis.

N. B. Ipsa disquisitio facta satis probat quantum ad commune bonum et privatam etiam utilitatem referat, si ante priora vota diligens fiat personarum exploratio, et iusta severitate arceantur qui non satis sint probati; quantum etiam oporteat ut de suis defectibus religiosi tempestive admoneantur.

---

[1] Suarez, *De Religione*, tr. X, l. 10, c. 14, n. IX.

# SUPPLEMENTUM SEXTUM

## DE IURIDICIS EFFECTIBUS VOTORUM TEMPORARIORUM

**Ratio scribendi.** — In praesenti disciplina Institutorum votorum simplicium, communiter requiritur ut perpetuis votis temporaria praeponantur. Quorum legitimum spatium est recentioribus normis ita definitum : « Tria praedicta vota (paupertatis, castitatis et oboedientiae) emittantur *ad annum* per periodum trium annorum minimum, et sex annorum ut maxime (art. 103). Post tres annos votorum annalium fieri potest, si Instituto placet, alia professio triennalis : ita prorsus ut universa periodus votorum temporaneorum extendatur ad sex annos maximum (art. 104). »

Verum de *iuridico* statu in quo ponant voventem, de mutua voventis et Instituti habitudine, parce adhuc est scriptum. Plures tamen, per eorum votorum occasionem, nascuntur quaestiones quae animum sive Superiorum sive subditorum non leviter anxium facere solent. Quocirca visum est argumentum istud aliquantum versare et explicare.

**Votorum temporariorum finis.** — Age porro, ut ab intentione legis sumamus initium, ideo inducta sunt ista vota temporaria, ut maiore consilii maturitate perpetua fierent vota, et candidati magis probati ad ea admitterentur. Similis itaque est eorum ratio et ratio professionis simplicis qua, in Ordinibus regularibus, praeparatur professio sollemnis. Utraque ulteriorem quandam continet probationem. Illud tamen interest inter utramque, quod simplici sua professione, alumnus Ordinis regularis perfecte se tradit divino famulatui in Instituto suo, et minor tantum est Instituti obligatio ; dum temporaria vota aequalem sinunt esse obligationem Instituti et alumni. Absoluto enim votorum spatio, alumnus Instituto iam nulla iuridica obligatione *per se* devincitur.

Ordine autem vota ista considerabimus prius *in vovente*, deinde in *Instituto ;* ut denique de vi *decreti Auctis Admodum*, quod ad eos qui sacro ordine sint insigniti, paucis disseramus.

**Votorum consideratio in vovente.** — 1. Ut iam scripsimus in tomo 1°, n. 325, vota, quamvis temporaria, requirunt in vovente animum per se perpetuae commorationis in Instituto. Religiosa enim Instituta per se non constant hospitibus, sed personis quae in perpetuum cupiunt servire Deo : neque ad primam probationem admitteretur qui in certum tempus dumtaxat permanere vellet. Quare per se non possunt fieri vota temporaria animo postea digrediendi ab Instituto, sed huiusmodi intentio debet per se Superiori manifestari.

Seclusa tamen stipulatione formali, reatus est aestimandus ex onere et incommodo quod inde passura videtur communitas. Et qui mere dubius haeret de sua perseverantia, temporaria vota experiri potest : huiusmodi enim facultas est eorum naturae apprime consentanea.

2. Quod ad *paupertatis* disciplinam, ex recentibus normis, dominium radicale nequit per actus inter vivos ante vota perpetua abdicari. — Dum vota temporaria durant, alumnus obligationes simplicis voti paupertatis participat [1]. — Per intervalla inter vota et eorum renovationem, plenam recuperat libertatem disponendi de suis bonis, sive per actus inter vivos sive per testamentum, modo ne ius tertii acquisitum laedat [2].

3. Elapso spatio temporariis votis definito, ut quaestionem conscientiae hic omittamus, perfecta linquitur in foro externo optio vel discedendi vel faciendi vota perpetua. Nullatenus autem postulare potest religiosus ut sine votis maneat in Congregatione. Id enim rationi Instituti religiosi eiusque communi bono maxime refragatur. Quare id existimamus Instituto formaliter iniuriosum.

**Votorum temporariorum consideratio in Instituto.** — 1. De *facultate dimittendi.* Fieri potest ut Constitutiones probatae nullam dent Instituto facultatem dimittendi alumnum votis adstrictum. Fieri etiam potest ut tribuant facultatem ita dimittendi ut simul solvantur vota. Institutis autem quae reguntur recentibus normis competit facultas dimittendi professos votorum temporariorum.

---

[1] Has explicavimus tum tomo 1, n. 250, tum, tomo 2, n. 68 sq. p. 142 sq.

[2] Notabilis tamen imminutio patrimonii, ante vota perpetua, si minus paupertati, prudentiae saltem et menti S. Sedis repugnarit.

Haec nullam postulat actionem iudicialem, et exercetur per Superiorem Instituti, ob graves causas, approbatas a maiore parte suffragiorum Consilii generalis. Sed dimissio ista non tollit vota. Quare exspectanda praeterea est dispensatio S. Sedis, quam ipse religiosus, vel eius nomine Superior a S. Congregatione impetrabit.

Dimissio autem facta *sine iusta causa* ipsam laedit iustitiam, si dimissus tenebatur votis. Quid autem elapso votorum spatio? Res ambigi potest. Nonne, dum candidatum recipit, videtur Institutum tacite promittere futurum ut alumnum servet nisi proprio facto se probaverit indignum? Ac tale quid expressa Instituti lege sane sanciri potest. Nisi tamen ita formaliter fuerit cautum, neganda est *iustitiae* obligatio. Per se enim non videtur Institutum maiore teneri obligatione quam ipse subditus, praesertim cum in Ordine religioso minus sit Instituti debitum quam simpliciter professi. Iam vero nulla tenetur obligatione manendi religiosus, elapso spatio votorum temporariorum. Ergo nulla tenetur ipsum Institutum obligatione religiosum servandi. Itaque, sic dicemus:

a) Dimissio alumni, elapso spatio votorum temporariorum, si fiat sine iusta causa, aequitati, non tamen iustitiae repugnat. Querela tamen extra-iudicialis ad S. Sedem semper deferri potest.

b) Iusta causa ab alumni culpa proficisci potest, vel etiam sine reatu oriri: utputa si Instituto facultates desint alendi subditos, v. g. ob dispersionem.

c) Hinc quaeres utrum de his professis valeat regula sancita de simpliciter professis Ordinum religiosorum, quod dimitti nequeunt inviti ob morbum qui post vota inciderit?

Et iure quidem positivo aequa ista dispositio ferri potest. Ita in recentioribus normis, art. 199, legimus, professam votorum simplicium non debere dimitti, si infirmitatem contraxerit in Instituto post emissa vota. Per se tamen non videtur Institutum tale onus in se stricte suscepisse erga alumnum qui solutam servat discedendi optionem.

d) Quid iuris de religioso qui, elapso maximo spatio votis temporariis praefinito, nec ita se probaverit dignum qui tuto ad perpetuo professos accenseatur, nec ita indignum qui videatur expellendus?

Integrum est Instituto, et per se ad officium spectat

Superiorum, religiosum istum dimittere. Temporariorum enim votorum spatium constitutum est tamquam ulterior quaedam probatio, per quam alumnus ad perpetuam professionem se aptum probare debet. Nisi intra fines praestitutos se ostenderit dignum, non est ad perpetua vota admittendus magis quam novicius ad prima. Consonant ceterum verba normarum recentium: « Elapso tempore votorum temporariorum in Constitutionibus praefinito, soror admittenda est ad vota perpetua, *si digna est ; si secus, ab Instituto dimittatur*, »

Potest tamen etiam Superior cum religioso convenire de impetrando a S. Sede novo temporariorum votorum spatio. [1]

**De religioso in sacris.** — 1. Decreto *Auctis admodum*, statuitur, n. V, « Alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerint nuncupata, e claustris exire non posse donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. »

De quo canone istud in primis occurrit observandum, quod ad usum maxime spectare potest, sufficere mansionem in claustris quam vocabimus formalem. Id e. sicut Instituta religiosa, pro varia eorum ratione et lege, non prohibentur religiosis suis committere ministeria exteriora, ipsisque permittere ut per aliquod tempus maneant extra claustra, ita poterunt erga huiusmodi alumnos uti ista facultate, ut per aliquod tempus versentur extra conventum, manendo tamen sub oboedientia Superioris regularis.

2. Vi istius decreti, nec alumnus Institutum deserere, nec Institutum ipsi congruum hospitium negare potest

[1] Supplex libellus ab ipso religioso ita conscribi potest : « X. professus votorum temporariorum in Congregatione.... ad pedes S. V. provolutus, annuentibus Superioribus, humiliter petit gratiam qua possit ad *annum* vota temporaria iterare.

Et Deus, etc. »

Haec autem fere est Indulti formula :

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, benigne remisit Illmo ac Revmo Episcopo.... ut petitam facultatem iuxta preces, pro suo arbitrio et prudentia concedat, non ultra tamen annum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae....

antequam Episcopum reppererit qui vere eum in suum cooptaverit clerum, et antequam, praeterea, ea quam diximus ratione (t. 1°. n. 337 et 338), sibi patrimonium constituerit. Nulla rursus tenetur subditus obligatione emittendi vota perpetua in Instituto.

Hinc fasne ipsi erit sine votis et quasi sine cura commodo frui hospitio? Minime gentium. Ipsa naturali honestate vetamur imponere Instituto onus alimentorum postquam foedus quo cum ipso iungebamur conservare noluimus. Excusandi quidem sumus, si copia nobis defuerit satisfaciendi ecclesiasticae legi qua ad deserendam domum prius habere Episcopum et patrimonium iubemur. Sed, ut haec excusatio nobis prosit, sufficiens diligentia est adhibenda de mediis. Quocirca alumnus in sacris, nisi perpetua facere vota maluerit, Episcopum benevolum receptorem et patrimoninm sedulo quaerere debet.

Quid autem si curam istam detrectaverit, vel ostenderit se Episcopi et votorum aeque incuriosum?

Huiusmodi agendi ratione videtur nobis contineri gravis et externa culpa, in qua si quis obstinate perseveraverit, ut incorrigibilis, servata forma decreti *Auctis admodum*, poterit expelli. Quod si Institutum facultate careat alumnos dimittendi, causa erit ad S. Sedem deferenda.

Immo, quem Institutum iudicet perpetuis votis non esse dignum, potest eum obligare ad sedulo quaerendum Episcopum. Quod ni fecerit, qui a votis perpetuis arcetur fit iterum reus culpae quae, nostra sententia, actionem expulsionis fundare possit.

3. Interea autem, quasi in verum alumnum, servat Institutum in huiusmodi personam omnem suam potestatem et iurisdictionem, idque vi legis ecclesiasticae, quae dum ipsum manere cogit, tacite confirmat eius in foro externo condicionem. Ipse etiam ex lege ecclesiastica omnes exteriores vitae religiosae obligationes servabit. Una perit obligatio votorum coram Deo.

Hac ratione explicamus quomodo possit Institutum causam expulsionis iudicare alicuius qui nullis iam tenetur votis.

N. B. Si alumnus ad Institutum Missionariorum pertinuerit, fueritque titulo missionis ordinatus, prohi-

bebitur, inconsulta S. Sede, missionem suam deserere. Quare in propria missione erit ab Episcopo seu Vicario Apostolico recipiendus, vel obtinenda erit S. Sedis dispensatio.

---

# SUPPLEMENTUM SEPTIMUM

## DE MODO QUO IUBILAEUM, HOC ANNO IN HONOREM IMMACULATAE VIRGINIS CONCESSUM, COMMUNICATUR CUM RELIGIOSIS

De iubilaeo quod encyclicis litteris *Ad diem illum*, 2 februarii 1904, est pia regnantis Pontificis munificentia universo orbi concessum, generalem scribere expositionem ad nostrum quidem propositum minime attinet; illud tamen operae pretium esse videtur, ut regulas quibus in religiosos cadit aliquantisper enucleemus.

### I. De condicionibus

**Principium.** — *Per se*, iisdem condicionibus est a religiosis et monialibus satisfaciendum, quae imponuntur saecularibus ut indulgentiam istam lucrari possint.

Si quae tamen condiciones, ob communem Instituti vel specialem alicuius religiosi seu monialis rationem, religiosis sint imperviae, eae a legitimis confessariis poterunt in singulorum paenitentium gratiam commutari.

**Corollaria**. — Debebunt itaque religiosi, non minus quam saeculares,

1. Iubilaei leges explere intra *spatium temporis* ab Ordinariis locorum praefinitum.

2. *Ter* easdem *visitare ecclesias* quae a fidelibus sunt visitandae, ibique preces fundere, ex parte saltem vocales, ad intentionem S. Pontificis. Satis est, si moram fecerint per tempus insumendum ut quinquies dicantur Pater et Ave.

Visitationes oportet ut sint distincto in ecclesiam ingressu separatae, quamvis una die, immo una occasione omnes fieri possint.

3. *Ieiunare*, eaque die *abstinere omni cibo non esuriali*. In diem ieiunii eligi potest dies qua iam est ieiunandum,

si tamen simul, v. gr. vi indulti, permittantur lacticinia. Ut aliis dicamus verbis, oportet ut aliqua saltem parte opus istud iam non sit praescriptum. Quare, si alicubi, ut Mechliniae, Episcopus usum lacticiniorum concesserit etiam ieiunantibus in ordine ad lucrandum iubilaeum, vel non est hac facultate utendum, vel eligenda dies qua, ex communi Ecclesiae lege, non sit ieiunandum.

Observes cum minores viginti uno annis, tum senes hoc ieiunio per se astringi, nisi legitime opus ipsis commutetur in aliud.

4. *Peccata confiteri* et *sacra refici dape.*

Eadem confessio nequit ad indulgentiam iubilaei et alias indulgentias lucrandas esse utilis. Quare suadendum est ut fiat confessio distincta ab hebdomadaria. Cum tamen, ad lucrandas indulgentias plenarias, confessio stricte hebdomadaria non requiratur, sed satis sit eius confessionis habere *consuetudinem*, certum ex omissione non videtur futurum detrimentum. Indulgentiae tamen istius hebdomadae aliquatenus videbuntur dubiae. Cfr. LEHMKUHL, II, 538; GÉNICOT, II, 405.

5. Esse in *statu gratiae* cum ultimum completur opus.

## II. De Privilegiis

**Notanda.** — Prius quam singula attingamus privilegia, haec sunt recolenda : **a)** Indulgentia iubilaei semel tantum offertur consequenda. **b)** Hac comparata, iam nullus est privilegio locus, etiam si causa utendi postmodum tantum oriatur. **c)** Donec, perfecto ultimo opere, iubilaeum sis lucratus, licet, cum intentione lucrandi iubilaeum, pluries uti privilegiis. **d)** In utente privilegio, intentio lucrandi iubilaeum requiritur. Quod si postea mentem mutaverit, inconstantia ista valori obtentae gratiae non obstabit. Iam de singulis privilegiis pauca.

1. **Electio confessarii.** — a) Religiosi stricte vel late dicti liberam habent optionem confessarii inter approbatos ab Ordinariis locorum; et praeterea, si exempti et clericalis Instituti, inter approbatos a Praelato proprio.

b) Quae tamen moniales, stricte vel late dictae, ex lege universali Ecclesiae vel statuto dioecesano facultatem habere non solent confitendi nisi uni confessario qui, ab Episcopo designatus, ad earum accedit domici-

lium, confessarium eligere non possunt nisi *inter approbatos pro monialibus*.

Exceptio ista est hoc modo intellegenda : **a)** Eligi potest confessarius qui pro uno tantum monasterio, eiusdem tamen dioecesis, sit approbatus. Non requiritur ut generaliorem habeat facultatem pro monialibus. **b)** Eligi potest etiam is confessarius qui pro monialibus fuit approbatus, quamvis actu iam non sit, dummodo ne fuerit formaliter revocata approbatio et actu sit approbatus ad audiendos fideles. Cfr. declarat : BENEDICTI XIV, *Celebrationem*, 749. n. 11 ; BASTIEN, De iubilaeo, p. 133 ; BESSON, REV. THEOL. FRANÇ. 1904, p. 240. **c)** Si vero moniales non sint claustratae, possunt in quibusdam casibus, in Ecclesiis publicis saltem valide apud quemlibet confessarium confiteri. Iidem tunc confessarii erunt pro iubilaeo competentes.

2. **Absolutio a censuris et casibus reservatis.** — Facultas protenditur ad *omnes* casus, sive intra sive extra Institutum reservatos, cum censura vel sine ea, cuicumque personae et a quacumque fuerint reservati, si dempseris crimen absolutionis complicis, vel calumniosam accusationem sollicitationis, et censuras quae iudicis sententia sunt nominatim latae vel declaratae.

Absolutio ista non prodest nisi in foro interno. Danda est servatis servandis et iniuncta salutari paenitentia.

3. **Dispensatio ab irregularitate.** — Haec facultas non habetur nisi de irregularitate *occulta*, quae propter censurae violationem sit contracta.

4. **Commutatio votorum.** — Excipitur votum castitatis perpetuae, absolute emissum ; votum ingrediendi religionem, stricte talem ; et votum a tertio acceptatum. Quare, ex tali facultate, commutari non possunt vota quae pars sunt professionis religiosae, etiam temporariae. - Facultas, in actu confessionis exercenda, non est nisi commutandi ; quare surrogandum est opus fere aequivalens, et iusta requiritur causa.

5. **Commutatio ipsorum operum ad lucrandum iubilaeum necessariorum.** — Ad hoc requiritur ut praescripta opera moraliter fieri nequeant a persona de qua agitur. Sine scrupulo tamen est agendum ; nec, si bona fide res transigatur, videtur de valore esse serio dubitandum. Tutius res componitur in sacramento.

# SUPPLEMENTUM OCTAVUM

## DE CANONICA MONASTERII POSSESSIONE

**Quaestionis occasio et argumentum.** — 1. Cum, in altero volumine nostri tractatus *De religiosis*, de variis disputaremus dubiis iuridicis quae religiosam paupertatem respiciebant, in quaestionem incidimus, non levis profecto momenti, de canonica ratione qua possideantur conventus. Placuit tunc nihil de ista quaestione definite pronuntiare. Quare, p. 33, in parergo, conscriptam a P. V. De Buck de hac re lucubrationem doctorum oculis mere subicere satis habuimus.

Ad hoc consilium adducebamur non tantum intrinseca rei gravitate, sed vel maxime quia deserenda nobis videbatur plerorumque hodiernorum scriptorum auctoritas, quod sane non fit prudenter nisi caute et bene perpensis rationibus.

2. Age vero, quaestionis nodum his arbitramur comprehendere posse verbis : Estne, in iure canonico, inter personas *physicas* et *morales* seu iuridicas admittenda distinctio ita intellecta, ut persona moralis sit ens quoddam ficticium, seu arte factum, a personis physicis etiam collective sumptis discernendum, in quo vera quaedam iura, utputa dominii, ut in vero ac proprio subiecto inesse possint ; an contra, hoc nomine mere designentur personae physicae sub certo respectu et simul consideratae ?

Moderni porro iuris civilis vel canonici interpretes, satis diu, a saec. XVIII exeunte, in hac re vix visi sunt haerere, et personas agnovere morales seu civiles, ita ut iam plura coeperint earum distinguere genera, cum veras a fictis discernerent, aliarumque originem repeterent a natura, aliarum vere a positiva legislatoris humani voluntate. Naturalem enim dicunt personalitatem Status et Ecclesiae : dum personalitas collegii sit iuris positivi.

Huic tamen sententiae repugnabat, in laudata lucubratione, P. V. De Buck ; repugnavit etiam optimus Belgii iurisconsultus, minister iustitiae, D. Van den

HEUVEL [1], et contraria iam increbrescit sententia inter eos qui rationes ad trutinam revocare voluerint. Cfr. v. g. egregium de personis moralibus opus D. DE VAREILLES-SOMMIÈRES, qui Insulis in Gallia est iuris professor [2]. Quam negantem conclusionem, post maturam deliberationem, et nos amplexati sumus, quamquam et argumentis et positiva possessionis explicatione a praedictis scriptoribus nonnihil differimus. De argumento autem isto satis fuse disseruimus in altera nostrarum *Quaestionum iustitiae* editione [3]. Nec ipsa disputatio videtur hic repetenda. Satis nobis fuerit placita nostra clare et distincte hic proferre.

**Vitanda nominis deceptio.** — Imprimis animadvertas, variis verbis et sententiis, quae in iure etiam canonico occurrunt, rem ipsam minime effici vel attingi ; ut cum bona dicuntur ad ecclesiam vel ad monasterium pertinere. Utile enim fuit, immo necesarium, personarum vel rerum universitates uno communi designare vocabulo. Sic etiam dicere solemus fluvium, gregem, bibliothecam, nec tamen distinctum a praesentibus aquis, vel ovibus, vel libris, adesse putamus fluvium, gregem, bibliothecam. Res itaque huc demum spectat, quid praecise veniat nomine *ecclesiae*, *monasterii*, quid his vocibus supponatur, fictum quoddam rationis ens, an contra, sicut nostram iam insinuando mentem dicebamus tom. 2, p. 69 [3], veram fidelium vel religiosorum communionem, in uno loco aut regione consistentem; vel, si malueris, omnes unius parochiae, dioecesis, vel domus seu Instituti fideles vel religiosos, id est, personas physicas simul sumptas et ut certo federe coniunctas.

Haec tamen nominis et rei confusio, errandi ansam praebuisse videtur. Namque ex male intellectis quibusdam iuris romani vocibus, decepti egregii iurisconsulti, potissimum VON SAVIGNY, alios deceperunt, ita ut errorem pene fecerint communem.

Re vera tamen, in romano iure, *corpus habere* (i. e. societatem inire) aliis licebat, aliis non nisi ex Principis

---

1 In aureo suo libello, *La liberté d'association et la personnalité civile*. Ipse tamen aperte declarat se quaestione canonica prorsus abstinere. Sed argumenta quae ex rei natura depromit aeque quadrant in Ecclesiam et in Statum.

2 *Les personnes morales*.

3 *Quaestiones de Iustitia*, quaest. XIV, p. 674 et ss.

auctoritate; sed, hac venia facta, nihil praeterea requirebatur ut socii communes haberent possessiones; nullum exstat vestigium concessionis qua societas praecise permitteretur possidere bona, seu, ut hodie dicerent, erigeretur in personam moralem, et morale quoddam fingeretur iurium subiectum. Quod magis est, error iste doctrinalis, qui ab exeunte saec. XVIII initium sumpsit, leges non infecit nisi recentissimas. Ita plures leges Belgii et Galliae specialis argumenti, quae tamen errorem potius supponunt quam necessario continent; ita Codex civilis imperii Germanici, qui et ipse tamen verae doctrinae non aperte repugnat; ita lex in Gallia lata contra religiosas congregationes, quae, ut rogabatur a Waldeck-Rousseau [1], falsitatem ex professo continuisset; ita maxime Codices Portugalliae et Hispaniae [2]. Quare etiam in Concordia inita inter S. Sedem et Hispaniarum regnum [3], habentur verba de civili personalitate. Faxit Deus, ut, dum iurisperiti ad saniora revocantur consilia, ipsae leges de falsa ista via declinent!

**Vera proponitur doctrina.** — Veritas [4] itaque sic se habet:

1. In iure canonico, non secus atque in romano, bona a physicis personis semper possidentur; sed alia possidentur separatim, alia in communi.

2. Per se, excepto speciali iure Fratrum Minorum, religiosi voto paupertatis, etiam sollemni, non prohibentur bona in communi possidere.

3. Bona igitur quae dicuntur esse monasterii, ad religiosos qui actu sunt ad istud monasterium [5] ascripti, tamquam ad veros eorum dominos re vera pertinent.

Ipsa in monasterium cooptatio est ipsis pro titulo acquisitionis; et, simili tacita pactione, dominium suo discessu amittunt, fere sicut in societatibus suppetiarum mutuarum *(secours mutuels)* societatis emolumenta ingressu comparantur et amittuntur egressu e cœtu. In veris tamen dominis non videntur ponendi novitii, utpote qui precario tantum titulo versentur in monasterio.

---

[1] In lata lege haec pars est omissa.

[2] Cfr. de Vareilles-Sommières. *Les personnes morales*, n. 429-457.

[3] Cfr. hic supra p. 52.

[4] Satis expressa affirmatione nos uti posse arbitramur, cum denique tandem antiquorum redintegremus sapientiora placita.

[5] Qua voce vel domus vel provincia, pro varia Instituti ratione significari potest. Cfr. t. 2, p. 69, art. 2.

**Corollaria.** — 1. Contra itaque ac dicendum est de auctoritate in personas, cuius primum subiectum non est communitas [1], sed quae a Deo, partim ut auctore naturae, partim ut auctore Ecclesiae magis immediate proficiscitur, ius dominii in bona revera est in religiosis simul sumptis, et ab administratoribus exercetur ut a veris eorum delegatis, legitime ad normam Constitutionum deputandis.

2. Sine ulla fraude vel dissimulatione, religiosi affirmare possunt se esse veros rerum monasterii dominos, vero animo domini præditos.

3. Non est tamen haec communis religiosorum possessio cum qualibet indivisa plurium possessione confunda. *Actu* quidem nulla est distinctio. Verum, quando bonum quoddam in communi a privatis personis possidetur, **a)** Hae solent inter se fructus dividere et separatim possidere ; quod religiosis non licet ; **b)** Communio ista est accidentalis, seu in nullum intentum finem communem directa : cedit tantum in singulare plurium bonum. Quocirca instabilis est, et, statim ac dissolvitur, dividuntur bona.

Haec quidem videntur silentio praetermissa in lucubratione P. V. De Buck ; sicut etiam in vitium vertit iuris romani quod mere interpretum errori est imputandum.

4. *Per se*, i. e. si mere ad hanc religiosorum possessionem attendas, possint religiosi de rebus monasterii communi suo consensu disponere. Sed facultas haec circumscribitur ipsa lege qua bona ista fuere recepta. Donatores enim vel alii possessionis auctores bona ista non abdicarunt nisi quatenus a novis possessoribus certo fini deputarentur. Quare, relicto isto fine, bona fuerint de se donatoribus vel eorum heredibus restituenda. Heredes tamen, post multos annos saepe fuerint incerti. Et tunc, novo rei incertae titulo, possent ipsi religiosi res istas usucapere, nisi prudens incidisset legislatoris ecclesiastici provisio, qua, bono consulens communi, ad se revocavit dispositionem bonorum quae communi fini cui deputabantur non iam inserviunt.

N. B. Hinc etiam apparet quomodo sanis principiis

---

1 Cfr. nostras *Quaestiones de Iustitia*, n. 559.

conformior sit haec civilis iuris prudentia, qua bona quae civili lege prohibentur pio fini addici, heredibus testatoris assignantur, quam alter forensis usus quo, neglecta condicione a testatore imposita, extraneorum permittuntur usucapioni. Id enim a testatoris voluntate est per se magis alienum.

**Vera personae moralis ratio.** — Personae moralis intentionalis ratio mere debetur imagini quae ultro oritur ex certo bonorum regimine quod quorundam coetuum naturae est consentaneum. Porro regimen his fere constat notis. **a)** Administrandis rebus communibus plerique abstinent; **b)** Commune tantum patrimonium obligare possunt administratores; **c)** Bona communiter possessa iugiter a possessionibus singulorum (v. g. religiosorum votorum simplicium) distinguuntur; **d)** Sociorum discessu coetus non dissolvitur, sed continuo novorum sociorum accessu conservatur. Ob haec et similia, coetus isti imaginem referunt personae, quae ex ipso regimine orta, posterior est effectibus quos illi ascribebant adversarii.

**Propria vis indulti concessi Belgio, 31 iulii 1878.** (Cfr. t. 2; p. 77.) — His perpensis, Indultum a Leone XIII Belgii regularibus concessum huc demum spectabit: **a)** Ut religiosis, etiam professis, separatam permittat, accedente Superiorum venia, bonorum suorum possessionem; **b)** Ut, quatenus adiuncta istud postulent, possint ipsa monasteria in separatam religiosorum quorundam possessionem venire.

# MONUMENTA

## 23. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *DECRETUM 7 IUNII 1899*

### De Episcopo proprio ordinandorum religiosorum

*Occasio dubii ex facultate facta Congregationibus concedendi litteras dimissoriales.*

**Cum, peculiari** S. Sedis indulto, superioribus generalibus recentiorum Congregationum, in quibus vota dumtaxat simplicia nuncupantur, impertiri soleat, ad certum tempus, facultas concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, ea tamen condicione, ut easdem litteras dirigant ad Episcopum dioecesis intra cuius limites pia domus ordinandi reperitur, nisi hic abfuerit aut ordinationem non sit habiturus, nova quaedam exorta est quaestio, quae ab E^mo^ et R^mo^ S. R. E. Cardinali F. M. B. Richard, Archiepiscopo Parisiensi, huic S. Congregationi Ep. et Reg. neg. et consult. praepositae, nuper subiecta fuit.

*Species facti: plures sodales studiis operam dant in seminario Parisiensi.*

*Quaerebatur ad quemnam Episcopum essent dimittendi.*

Exposuit nempe praelaudatus Archiepiscopus, non raro contingere ut huiusmodi Congregationum seu Institutorum sodales, ubi primam votorum professionem emiserint, quin certae Instituti domui inscribantur, ad seminarium Parisiense a suis superioribus, studiorum causa, mittantur, ibique per unum aut plures annos commorentur, vitam communiter ducentes cum caeteris eiusdem seminarii alumnis. Adiciebat autem quaesitum exinde esse, ad quemnam Episcopum, pro ordinatione huiusmodi sodalium, respectivi superiores generales mittere teneantur litteras dimissoriales, magnamque hac de re obortam esse contentionem, aliis alia sentientibus; quare enixe postulabat ut auctoritate huius S. Congr. decerneretur quid in praefatis casibus servandum sit.

*Casus singularitas demonstratur.*

Porro manifestum est tam legem veterem pro Regularibus votorum solemnium, ad rem, latam, quam recentes S. Sedis concessiones, illud uti certum praesumpsisse, quod quilibet religiosus seu Instituti alumnus alicui semper monasterio seu domui sit addictus: quod quidem, iuxta exposita, reapse non obtigit.

*Decretum S. Congregationis.*

Itaque eadem S. Congr., universa rei ratione mature perpensa, decernendum censuit litteras dimissoriales, in casibus de quibus supra, dirigendas esse ad Episcopum dioecesos in cuius seminario praefati alumni studiis dant operam, dummodo tamen seu postquam ipsi saltem per integrum annum ibidem commorati fuerint; servata in reliquis forma ac tenore indulti respective concessi.

*Approbatio Pontificis.*

Facta autem de praemissis relatione SS. D. N. Leoni d. Prov. PP. XIII in audientia habita ab infrascripto cardinali, die 30 maii 1889, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congr. probare dignata est.

eamque uti legem ab omnibus, ad quos spectat, servari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congr., die 7 iunii 1899. *Dies (7 iun. 1899).*

S. Card. VANNUTELLI, *Praef.*

ANNOTATIONES

1. Accurate est facti species consideranda. Ut hodie pleraque religiosa virorum Instituta conduntur, eorum alumni stabilem non sortiuntur locum nisi in Instituti provincia, minime autem in siugulis domibus, quas facillime, ad Superioris arbitrium, mutare solent. Quare, ex ipsis studiis perficiendis, aeque firmiter, ne dicam firmius, cuipiam domui addicuntur atque ob alius muneris demandatam curam. Qui ergo studiorum causa aliquam sui Instituti domum incolunt, in ea religiosis sodalibus prorsus sufficiens nanciscuntur domicilium ordinationis.

Verum de his agitur religiosis qui in *saeculari* Parisiensis Archiepiscopi seminario studiis dant operam, et simul nulli sui Instituti domui sunt coniuncti seu ascripti. De his ratio erat dubitandi, quia, secluso privilegio, Religiosi suos dimittere nequeunt nisi ad Ordinarium conventus. Nec seminarium loco conventus esse potest, nec ordinandi, in casu, ad aliquem pertinebant conventum.

2. Hos itaque contemplans, Sacra Congregatio statuit dimissoriales litteras dirigendas esse ad Episcopum dioeceseos in cuius praefati alumni studiis dant operam, postquam tamen ibi per integrum annum commorati fuerint.

3. Observes porro regulam statui generaliorem, quae in omnia valeat seminaria, quamvis postulatio non fuerit facta nisi de Parisiensi seminario.

4. Hinc quaeres de iis sodalibus qui, dum in alieno seminario vel religiosa domo studiis incumbunt, simul ad definitam sui Instituti domum pertinere pergunt.

Satis constat eosdem ab Ordinario sui conventus ordinari posse, nec ad Episcopum seminarii dimitti iam *debere*. An autem possint?

Id negat scriptor REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE, 1904, p. 584. Nobis tamen aliter videtur respondendum. Minime enim in iure repugnat, ut habeat aliquis plures Episcopos a quibus possit ordinari; puta Episcopum originis et domicilii. Praesenti rursus decreto, formae generalis, domicilium ordinationis per annum commorationis in seminario religiosis sodalibus constituitur. Iis qui ad nullam religiosam domum actu pertinent ius istud est simul necessarii usus. Quid autem impedit quin iure isto utantur etiam ii quibus copia sit consueti domicilii? Dum iis qui aliud non habent domicilium praecipitur ordinatio facienda ab Episcopo seminarii, decretum non vetat quin alii eiusdem domicilii beneficio utantur.

5. Immo nec repugnamus, quin ipsi *regularium* alumni, in iisdem adiunctis, eodem domicilio ordinationis, ex Superiorum venia, uti possint. Perfecta enim videtur causarum paritas, nec apparet cur, in hac re, severiore regantur iure quam alumni Institutorum votorum simplicium.

N. B. De iis tantum Institutis fit sermo quae privilegium habent concedendi litteras dimissorias alumnis suis. Cfr. nostrum t. 1, *De Religiosis*, n. 483.

# 24. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *RESPONSUM 1 MARTII 1904*

### De reditu Fratris Minoris in pristinum Missionum collegium

*Oratores.*

Nonnulli Superiores Collegiis Missionum in America Seraphico Fratrum Minorum Ordini commissarum praefecti, ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provoluti, sequentia exponunt :

*Regimen describitur de lege qua in collegium Missionum reverti possint qui illud dereliquerint.*

Apostolicae Litterae in forma Brevis quibus Summus Pontifex Pius IX, sub die 12 iunii anno 1877, missiones minoriticas in America exsistentes voluit esse regendas, sub titulo « *De Missionariis in Collegio admittendis et dimittendis* » num. LXI permittunt Religiosis qui in aliquo collegio professionem religiosam tanquam eiusdem filii emiserunt, ut post decennium ab eorum sollemni professione vel ordinatione sacerdotali transactum, prouti respective de laicis vel clericis sermo habeatur, possint, servata Constitutionum Generalium forma, ad aliud Missionum Collegium vel ad aliam Instituti Seraphici Provinciam transmeare. In numero autem LXIV ipsius Apostolicae Bullae edicitur, ut nemo qui Collegium Missionum quacumque ex causa et quandocumque dereliquerit, valeat ad Collegium redire, nisi, perrogata Patrum Discretorum Collegii sententia, duas saltem ex tribus suffragiorum partibus orator sibi favorabiles reportaverit.

*Difficultas interpretationis orta ex novissimis constitutionibus.*

Nihilominus, cum novissimae (antiquioribus hac in re consonae) Costitutiones Generales Fratrum Minorum, ab Apostolica Sede iam die 15 maii anno 1897 approbatae, sub cap. II. paragr. XII num. 83, inhibeat Religiosis agendam in aliena Provincia incorporationem, nisi vel expressa Ministri Generalis facultate muniantur, vel biennium saltem in nova eiusmodi Provincia transegerint ; hinc graviores a multis difficultates excitantur super filiis Collegiorum qui, etsi alibi moram trahant, nihilominus ante biennium expletum sive ante definitivam in alieno Collegio seu Provincia incorporationem, reverti ad Collegium, cuius adhuc secundum generales Ordinis leges sunt filii, aliquando postularent.

*Hinc* **dubium :**

Itaque humillimi oratores enixe Sanctitatem Tuam rogant, ut, omnium concordiae efficacius hac in re obtinendae, sequentia iisdem resolvere dubia dignetur :

*De vi legis ; quosnam respiciat.*

I. Utrum suffragia a Patribus Discretis Collegii unice sint ferenda pro eiusdem filiis qui iam *definitive* in alio Missionum Collegio sive in alia Provincia incorporati, ad suum Collegium reverti petant : an etiam pro filiis ad suum redire Collegium exoptantibus, qui, licet in alieno Collegio seu Provincia moram traxerint, nondum tamen *definitivam* illic adscriptionem impetrarunt ?

II. Et quatenus affirmative detur ad utramque prioris dubii partem responsio : Si Religiosus, reditum implorans, duas favorabiles ex tribus suffragiorum partibus non rettulerit, cuinam Collegio vel Provinciae tunc adscriptus esse censeatur ? Et Deus, etc.

**Responsum.**

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultatio-

nibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in I.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, hac die 1 martii 1904. *Dies (1 martii 1904).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

## 25. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *LITTERAE ENCYCLICAE 19 APRIL. 1904* [1]

### Commissio biblica gradus regularibus conferre potest

*Ex voto Pontificis, habitualis fit Regularibus venia consequendi hos gradus.*

Il S. Padre, desiderando che i membri del Clero Regolare i quali abbiano coltivato gli studi biblici, possano anche essi conseguire i gradi accademici che la Commissione Biblica è autorizzata a conferire in virtù delle lettere Apostoliche di quest' anno, si è benignato disporre che la speciale facoltà di cui abbisognano gli alunni di Ordini religiosi per conseguire gradi accademici, sia accordata dalla S. C. dei Vescovi e Regolari per ciò che riguarda gli studi biblici, *in modo abituale*, e non solo per modo di atto nei singoli casi, come determinano gli statuti dei vari Ordini religiosi, per le altre classi di gradi accademici.

Nel participare alla P. V. tale disposizîone Pontificia, le auguro dal Signore ogni bene.

19 aprile 1904. *Dies (19 aprilis 1904).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

[1] Id est, latine: B. Pater, cupiens ut etiam Regularium Clerici qui scripturisticis studiis operam dederint gradus academicos consequi possint quos Litteris apostolicis huius anni Commissio scripturistica conferre permittitur, disponere dignatus est ut specialis facultas qua, ad consequendos academicos gradus, alumni regulares opus habent, ipsis a S. C. Episcoporum et Regularium *habituali modo* concedatur, quod attinet ad studia scripturistica, nec tantum peculiari actu in singulis casibus quem de aliis graduum academicorum generibus postulant variorum Ordinum religiosorum statuta.

Quam pontificiam dispositionem dum cum Paternitate Vestra communico, ipsi a Domino quaelibet bona exopto.

## 26. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 11 MAII 1904*

### De visitatione canonica et exemptione Regularium

*Orator.*

Guardianus fratrum Minorum in Dioecesi Sancti Hippolyti commorantium atque pertinentium ad regularem provinciam Sancti Bernardini in Austria, praevio sacrorum Pedum Tuorum osculo, humillime exponit:

*Species facti. Ordinarius, ob annexam paroeciam, examinare vult libros Missarum manualium.*

Ordinariatus praefatae Dioeceseos, secus atque in Vindobonensi ecclesiastica provincia ad quam Episcopatus Sancti Hippolyti spectat, immo et contra morem in illa dioecesi hucusque pacifice retentum, a Religiosis minoritis in Conventu ipsius civitatis degentibus exigit, ut exhibeantur sibi libri Missas manuales Coenobii continentes, atque subsecutam earundem applicationem, hocque ratione paroeciae quam illic fratres Ordinis Minorum Monasterio annexam habent. Attamen, cum de re agatur paroeciam et iurisdictionem Episcopi nullimode respicienti, neque sermo fuerit de applicanda Missa pro populo aliisve oneribus parochialibus explendis; ipse Guardianus, non Ordinario Dioecesano, sed Regularibus Praelatis, rationem de Missis manualibus debet, ad normam Apostolicarum Constitutionum atque generalium Ordinis legum, suo tempore exhibere.

*Contra ipsum arguitur.*

Hoc autem loco Constitutionibus Apostolicae Sedis et Seraphici Instituti omissis, quae vigilantiam super Missarum monialium celebratione Regularium Praelatis committunt, ideoque hanc sollicitudinem ab Ordinario locorum avocasse probantur; sufficiat hic auctoritatem clarissimi viri Angeli Lucidi, qui cum aliis auctoribus et canonistis in opere « *De Visitatione sacrorum Liminum* » Romae anno 1866, ita ad rem loquitur in Vol. II. Cap. IV, Append. III, num. 95. XI. agens de iis in quibus Regulares exempti nullatenus Episcopis subduntur, ait: « Non possunt (Episcopi) eos « (Regulares) compellere ad exhibendos libros sacristiae, in quibus « adnotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de « integra satisfactione obligationis debitae ex Legato pio; ex « Decreto laudatae Congregationis (Concilii) in Urbinaten. 10 mar- « tii 1663 ad cap. 18, Trident. sess. 21, lib. 23. decr. p. 456. »

*Supplex libellus.*

Itaque humillimus orator, pacem cum omnibus maximeque cum Ordinariatu loci integram servare cupiens, neque Ordinis iuribus quae Apostolicae Sedis sunt iura volens aut potens afferre nocumentum; enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut significet Episcopo nullam sibi vindicare posse inspectionem super Missarum monialium implemento, cum Apostolica Sedes ordinavit hanc vigilantiam Praesulibus Regularium exemptorum unice competere. Et Deus etc.

**Rescriptum.**

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis quoad dubium propositum a P. Superiore Conventus Fratrum Minorum in civitate S. Hippolyti existentis, responderi mandavit, prout sequitur:

« *Scribatur Ordinario ad mentem.* Mens est, quod exemptio a iurisdictione episcopali Fratribus Minoribus S. Francisci competens extenditur etiam ad Missas manuales; ideoque Episcopus in visitatione canonica nullam sibi vindicare potest inspectionem librorum Missarum manualium in paroecia Fratrum Minorum in casu. »

Die 11 maii 1904. *Dies (11 maii 1904).*

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

---

# 27. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *DECISIO 13 MAII 1904*

### De dimissione ob infirmitatem

Iuvenis [1] quidam, nomine Petrus Salmon, postquam in abbatia Solesmensi Ord. S. Benedicti, a° 1899 in professos votorum simplicium erat cooptatus, novembri mense 1901 est ab Ordine dimissus ob infirmam valetudinem (« neurastheniam ») qua moraliter ita erat affectus, ut futurae dementiae subesset periculum. *Species facti.*

Ipse tamen noluit in suam dimissionem consentire, remque ad Sacram detulit Congregationem, affirmans se velle vivere et mori in Ordine cui se votis astrinxerat. Superiores obiciebant morbum quem ingressu in religionem antiquiorem praedicabant, ne attingi viderentur declaratione 12 iunii 1858, secundum quam: « Nemo ex causa infirmitatis *post professionem votorum simplicium superveniente* dimitti poterit [2]. » Quare etiam, instante Rev^mo Abbate Ordinis Primate, quo magis dubia removerentur, postulata simul est memoratae declarationis interpretatio, duplexque propositum dubium huius tenoris: **Proposita dubia.**

I. An et cuinam latiori interpretationi subiciendus est art. V declarationum 12 iunii 1858: « Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superveniente dimitti poterit. » *1. De legis interpretatione.*

II. An decretum quo iuvenis Salmon, votorum simplicium professus, ab Ordine Benedictino est dimissus, sustinetur in casu. *2. De causa particulari.*

Sacra vero Congregatio Episcoporum et Regularium, in generalibus comitiis die 13 maii 1904 habitis, causam ita diremit. **Decisio.**

*Ad I. Non proposita.* *Ad 1.*

*Ad II. In casu solam infirmitatem non esse causam sufficientem dimissionis.* *Ad 2.*

ANNOTATIONES

1. In hac causa, quae arte cohaeret nostro supplemento quinto (supra, p. 57 et ss.), sit pro prima annotatione votum istud quo

---

[1] Excepta ipsa sententia, quae italicis typis est proposita, narratio ista est privato nostro calamo conscripta, sumpto argumento ex MONITORE ECCLESIASTICO, 1904, p. 201.
[2] Cfr. nostrum t. 2 De Religiosis, p. 354, n. 61, v.

P. Palmieri, S. I. tamquam S. Congregationis consultor, dissolvebat dubium prius, de quo S. Congregatio sententiam dicere noluit. Illud autem, paucis demptis, ex italico idiomate ita reddere esse operae pretium videtur praesertim cum disserat de casu « neurastheniae »; quod maxime ad usum facere potest. « Mutandae legis nullam video rationem. Lex definite dicit: « Nemo ex causa infir-« mitatis post professionem votorum simplicium superveniente « dimitti poterit. » In lege non fit sermo nisi de infirmitate quae post simplicium votorum professionem inciderit: si qua tempore prior fuerit, Superiores solutas sinit habere manus. Inhaerendo verbis legis, si morbus, ante professionem exsistens, dumtaxat post professionem detegatur, donec vere dici possit eundem professioni supervenisse, facultas huiusmodi aegrotos dimittendi a Superioribus non abiudicatur.... Aequabili tamen Superiorum prudentiae hoc committitur, ut ex peritorum et timoratorum medicorum iudicio certiores fiant infirmitatis iam ante vota adfuisse dispositionem, non remotum tantum, ob quam omnes filii Evae dimitti queant, sed etiam proximam.

Hoc iam omisso, quaestio morbos respicit qui post vota simplicia incidant. Et de duobus potissimum movetur : de *phtisi* et *neurasthenia.* De phtisi mihi videtur a ratione alienum quempiam ob hanc causam dimittere invitum. « Non est addenda afflictio afflicto. » Dein verisimile est morbum esse ex religiosis exercitationibus et paenitentiis contractum, nec talis, aegrotus est communitati incommodus, cum soleat in valetudinario pacate agere dies.

Maior nascitur difficultas ex neurasthenia, qui morbus, hodie tam late disseminatus, cum aliquem corripuerit atque evaserit habitualis, eundem ad plura religionis munera facit inhabilem, et saepe non modicam affert communitati perturbationem. Qui neurasthenia laborat id ferre nequit ut diu ac noctu serie successiva actionum definitarum (quae sint hae nec aliae esse permittantur) imperetur ; libertate ipsi opus est et dominio suorum actuum. Gradu tamen inter se differunt huiusmodi aegroti, cum alii aliis magis isto morbo teneantur, et sint qui se continere queant utilemque, quamvis aegroti, communitati navare operam. Hinc nec generali licet uti principio : Qui a medico iudicatus sit « neurasthenicus » ab Ordine vel invitus dimitti potest.

Quid autem si neurasthenia fuerit plena, si aegrotus ad omnia fere religionis officia evadat ineptus, et suis insaniis fiat iis quibuscum vitam degit molestus? Observemus imprimis argui hic non posse ex inutilitate quae ab indole, defectu iudicii vel intellectus sit profecta : huiusmodi enim defectus sunt certissime ipsis votis anteriores, et de ipsis solutam servant Superiores facultatem iudicandi utrum necne his affecti religiosi sint in Ordine servandi. Haec, contra, infirmitas iam supponitur post professionem orta.

Observenus deinde legem istam esse in gratiam religiosi misere aegrotantis directe latam. Quocirca si ipse annuerit atque in suam dimissionem consenserit, cum sufficiens praesto sit causa, a Superioribus dimitti poterit. Quid autem si obstinate noluerit e religione discedere?

Ac fieri potest, quod etiam est observandum, ut optimas ipse habeat nolendi rationes, ut si, extra monasterium, ipsi non suppetant congrua alimenta. Atque etiam hoc praetermisso :

Istud denique est quarto observandum. Vel tanta non est neura-

sthenia quae religiosum ab omni Ordinis officio arceat et magnum gignat communitati incommodum: quo in casu, non est cur invitum dimittas, sed lex prorsus viget; vel ingens invaluit neurasthenia, ita ut aegrotus, prorsus factus inutilis, pacifice aliis convivere nequeat: quo in casu ipse plerumque vel prior postulabit digrediendi licentiam, vel oblata saltem libenter utetur. Raro itaque incidet casus quo aegrotus huiusmodi obstinate perseverare voluerit.

Age porro, propter extraordinarios casus, leges non mutantur; satis est ut occurrenti necessitati per dispensationem prospiciatur. Ceterum, religiosus dimissionem non recusabit nisi quia sibi videatur, ex laudata lege, ius competere manendi. Cum autem sic duo de iure certant, subditus, inquam, et Superior, expedit ut causa alieno committatur arbitrio, i. e. huius S. Congregationis.

Dixerim itaque: in huiusmodi casu recurrant Superiores ad hanc S. Congregationem. Cui recursui ista etiam suberit utilitas, quod S. Congregatio opportune definire poterit an et quaenam alimenta Superior dimisso religioso praestare debeat.

Quare respondendum censeo:

« Legem, prout lata est, immutatam permanere; si quando autem casus occurrat in quo Superioribus videatur talis esse exorta infirmitas ut professus etiam invitus sit dimittendus, recurrendum esse ad hanc S. Congregationem. »

2. Iuvat etiam, ad doctrinam de dimissione simpliciter professi illustrandam, ambo haec referre decreta quae in Monumentis nostris sunt omissa.

A. *Responsum S. C. Episc. et Regul. 19 nov. 1886* [1].

Nonnumquam evenit, ut simpliciter professus dimissionem suam petat, asserens se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam. Quaeritur nunc, utrum haec ipsius assertio, pertinaciter retenta, etiamsi alia causa dimissionis non subversetur, ratio sufficiens iusta eaque rationabilis causa censeri possit eum in finem ut simplici voto obstrictus ex Ordine dimitti queat?

R. Negative, cum vota simplicia de quibus agitur ex parte voventis sint perpetua, eorumque dispensatio sit reservata Summo Pontifici.

B. *Responsum S. Congregationis super statu Regularium, 15 dec. 1893* [2].

An iusta sit et rationabilis causa idem motivum quod fuisset sufficiens ad novitium a professione arcendum, uti a nonnullis gravitate et dignitate praestantibus tenetur, v. g. aptitudinis defectus ad Ordinis officia quamvis minora et respective communia obeunda, sicut praedicationis aut confessionis vel etiam ineptitudo ad obligationes proprii status adimplendas, sive id oriatur ex animi levitate, vel iudicii defectu, ita ut ob huiusmodi causas a Superioribus immediatis recognitas et pro certo affirmatas, professus votorum simplicium potius oneri et perturbationi quam utilitati et aedificationi futurus esset propriae Religioni (exclusa semper infirmitate post professionem superventa, ob quam professus dimitti nequit)?

---

[1] Nouv. Rev. Théol. t. 21 (1889), p. 245, ex Acta Ordinis Minorum, apr. 1889.

[2] Nouv. Rev. théol. t. 26 (1894), p. 167. Mendose in voto P. Palmieri apposita est dies 15 septembris 1875.

R. Non esse interloquendum, cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa iudicio et conscientiae Superiorum.

3. Illud denique addemus: cum de involuntariis agitur causis dimissionis, et non de positive dando virtutis argumento, religioso simpliciter professo favere praesumptionem et possessionem. Quare ut ob infirmitatem dimitti queat requisitarum condicionum afferenda est probatio.

---

## 28. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 14 IUNII 1904*

### De magistri novitiorum habilitate ad examinandos novitios

*Orator.* Prior Maioris Cartusiae ac Minister Generalis Ordinis Cartusiensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentium dubiorum solutionem humiliter postulat:

**Dubia.** *Potestne Mag. Nov. examinare ad professionem vel ad habitum.*

I. Utrum Magister Novitiorum munere Examinatoris, iuxta Decretum « Regulari Disciplinae, » fungi valeat, etiam pro admissione ad professionem et quando agitur de suis Novitiis.

Quatenus negative;

II. Utrum saltem officium hoc exercere possit pro receptione ad habitum, imo, si agatur de Novitiis, quorum curam non habet, pro admissione ad professionem. Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet:

**Responsa.** « Ad I. *Negative;* ad II. *Affirmative.* »

*Dies (14 iunii 1904).* Romae, 14 iunii 1904.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

ANNOTATIO

Decretum *Regulari Disciplinae*, a° 1848 a Pio IX latum, Italiam tantum cum adiacentibus insulis afficere ex ipsis decreti verbis satis constat.

---

## 29. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 5 AUGUSTI 1904*

### De extraordinariis confessariis monialium

*Orator.* P. D. Maurus Serafini, abbas generalis Congregationis Cassinensis a primaeva observantia Ordinis S. Benedicti, ad pedes S. T.

provolutus, humiliter proponit dubium prout sequitur circa decretum quod incipit *Quemadmodum*, datum die 17 decembris 1890 de confessariis monialium.

*Dubii occasio ex opinione quorumdam Superiorum.*

Licet die 17 augusti 1891, S. Congregatio Episcoporum et Regularium responderit ad 2 : « Superiorem teneri subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam » ; insuper ad 3 : « Religiosam petentem eligere posse inter diversos ab Ordinario deputatos, qui sibi munus confessarii impleat », nihilominus nonnullae sanctimonialium vel sororum religiosarum Superiores adhuc contendunt sibi licere, decisis non obstantibus, sorori petenti confessarium, quem prae ceteris mavult, denegare ex motivis, uti aiunt, extrinsecis.

**Dubium** *de facultate negandi Confessarium.*

Quaeritur utrum, saltem ob motiva huius generis, Superiorissa licite possit Confessarium ex deputatis a sorore electum ipsi denegare?

Et Deus, etc.

**Responsum.** *Dies (5 aug. 1904).*

Et S. Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus sedulo perpensis, die 5 augusti 1904 respondit : *Negative;* sed si adsint rationes vere graves, Superiorissa eas subiciat Ordinario, cuius iudicio standum erit.

D. Card. FERRATA, ***Praef.***
***Philippus Giustini, Secretarius.***

ANNOTATIO

Quamvis, e plurium sententia, Superior postulationem volentis peculiari Confessario confiteri abnuere posset et deberet si causa non iusta et fori externi videretur imperata (Cfr. nostrum t. 1, n. 473), maluit tamen S. Congregatio, ad amputandas fraudes et deceptiones, rem permittere Ordinario diiudicandam. Quo suo responso simul tacite permittit ut Superior mandando Confessario tum supersedeat, donec Ordinarius statuerit. Patet autem Ordinarium esse incunctanter de re monendum.

---

## 30. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (1892, 1903, 1904)

### *RESPONSA DE CALENDARIO A REGULARIBUS IN MISSA OBSERVANDO*

A. *Responsum* [1] *17 iul. 1892.*

*Orator.*

Rmus D. Alfridus Leclerc, Sacerdos et Praepositus Generalis Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit nonnullis in locis a Sacerdotibus suae Religiosae Congregationis sacras functiones peragi Missasque ut plurimum celebrari in Oratoriis piarum Sororum seu Religiosa-

---

[1] Responsa ista, quamvis memorata in novissimo rescripto 29 iul. 1904, relata non sunt in *Decreta authentica*.

rum, quae proprium Calendarium non habent. Hinc eidem Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium una cum postulato exhibuit; nimirum :

**Dubia.**

« I. Utrum, in casu, Missae debeant esse conformes Calendario Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo ; an Calendario dioecesano ? Et quatenus negative ad primam partem.

**Petitio privilegii.**

« II. Orator suppliciter efflagitat privilegium, quo omnes sacerdotes suae Congregationis in dictis Oratoriis Missam celebrare valeant iuxta proprium Calendarium, ut ex identitate Missae cum Officio maior in celebrante pietas foveatur.

**Responsa.**

« Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario re mature perpensa, rescribendum censuit :

« Ad dubium : « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. » Ad postulatum « negative. »

B. *Responsum 20 nov. 1903.*

R. P. Thaddaeus Hermans, calendarista Provinciae Angliae Fratrum Minorum, de consensu sui R^mi^ Procuratoris generalis, a S. R. C. solutionem sequentium dubiorum humillime postulavit, nempe :

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

IX Sunt quaedam in Anglia ecclesiae Missionum quae conventum Monialium S. Clarae annexum habent quarum chorus, modo consueto, vel per crates, cum ecclesia communicat. Num istae ecclesiae, quod ad missae celebrationem, habendae sint tamquam ecclesiae Monialium, ita ut inibi missae legi debeant Officio earum conformes ?

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Resp. Ad IX. *Negative.*

C. *Responsum 29 iulii 1904, ad VI.*

Cfr. infra n. **32**,A, ad VI.

---

## 31. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (11 iun. 1904)

### *RESPONSA DE EXPOSITIONE SANCTISSIMI INTER MISSAM*

#### Ord. FF. Minor. Prov. Portugalliae

*Orator.*

Reverendus Pater Dominicus Consalves Sanchez, Seraphicae Provinciae Portugalliae olim Minister Provincialis et Calendarista, ut in functionibus ecclesiasticis omnia ex ordine procedant iuxta Sanctae Romanae Ecclesiae praescripta, hisque adversantes consuetudines tamquam abusus omnino tollantur, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum :

**Dubia.**

*Memorantur frequentes expositiones inter Missam, et*

I. Mos invaluit pluribus in Ecclesiis, etiam in Capellis ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservatur, frequenter Festa Domini, Beatae Mariae vel Sanctorum celebrandi cum eiusdem Sanctissimi publica expositione in ostensorio etiam perdu-

rante Missae celebratione ad maiorem solemnitatem, praehabita Ordinarii licentia, quae semper concedi solet. Saepe vero contingit quod in Capellis, ubi Sanctissimum non asservatur, pyxis non adsit; ideoque sacra Hostia pridie consecranda, in quadam tabernaculi specie inter corporalia asservetur, ibique deinde reponatur, ut sequenti die in Missa celebranda consumetur. Quaeritur, an huiusmodi usus saltem tolerari possint? *modus quo servetur S. Hostia.*

Et quatenus affirmative ad primum et ad primam partem:

II. An praedicta expositio Sanctissimi in Ostensorio adhuc fieri possit ante Missam solemnem celebrandam, in qua Communio puerorum vel aliorum fidelium sollemniter ministranda sit? *Quid per Missam in qua fiat communio?*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit: **Responsa.**

Ad I. Quoad primam partem, id passim ne fiat, et cum venia Ordinarii in singulis casibus obtenta. Quoad alteram partem nempe quod deficiente pyxide, sacra Hostia inter corporalia asservetur, huiusmodi abusus est omnino eliminandus. *Ad I.*

Ad II. Non licere. *Ad II.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Atque ita rescripsit, die 11 iunii 1904.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

Annotationes

1. Quaeres imprimis quae causa subsit cur Missis coram exposito Sanctissimo celebratis satis parum faveat S. Rituum Congregatio. Atque hae videntur a nobis afferri posse. Cum ad idem altare exponitur Sanctissimum in quo sacerdos litatur, a sacrificali actione, quae simplici expositioni Venerabilis longe praestat, fidelium mentes aliquatenus avocantur ut magis in puram intendant adorationem quam in participationem sacrificii infiniti valoris. Addas, per magnam Sacrificii partem ipsum Christum iam in eodem altari sisti praesentem. Exterior quidem expositionis apparatus devotionem fovere potest; quare nec absoluta indicitur prohibitio. Sed, quia consueta vilescunt, sapienter sancit S. Congregatione id passim fiat.

2. Ex ipso responso tria sunt de quibus pauca sunt dicenda: *Ne passim fiat;* atque hoc spectat frequentiam. — *Ne fiat sine venia Ordinarii in singulis casibus obtenta;* quod spectat modum. *Ne fiat inter missam in qua communio sollemniter ministretur;* quae est quaedam exceptio.

3. *De frequentia.* Praesenti responso, frequentia vitanda dicitur in expositione quae fiat *coram populo.* Atque in hac re S. Congregatio principium edidit, die 11 maii 1878 (*Decr. auth.* n. 3448), ubi ad 1 respondit, de missis celebratis coram Sanctissimo Sacramento publice exposito in Ecclesiis ubi non desunt alia altaria: « Non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto. » Sed si ageretur de expositione quae fieret in sacellis religiosarum communitatum, verisimile est aliud futurum fuisse responsum. Interrogata enim ab Episcopo Presmilien. Latinorum, qui anceps

haerebat de frequentibus expositionibus in ostensorio quae in domibus sororum multis fiebant anni diebus vel per totam diem vel saltem post missam et vesperas. S. Rituum Congregatio « rem prudenti arbitrio Ordinarii remisit, ut, remotis cuiuslibet abusus occasionibus, eiusmodi expositiones saepe fiant ubi Ipsemet concedere velit. » (Cfr. *Decr. auth.* n. 3703.)

De ipsa ceterum expositione coram populo dixit retineri etiam posse consuetudinem exponendi Sanctissimum Sacramentum et coram eo missam celebrandi (occasione novemdialis) in qua fit post evangelium praedicatio verbi Dei et in qua populus frequens accedit ad sacram synaxim, dummodo apponeretur velamen ante Sanctissimum dum haberetur concio. (*Decr. auth.* n. 3728, die 10 maii 1890.)

Nec in iudicio de re ferendo omittenda est regionis consideratio. In Belgio, v. g. ob avitam populi devotionem erga Sanctissimum Sacramentum, ipse Innocentius XI pluries per annum Regularibus dioecesis Mechliniensis publicam permisit Sanctissimi expositionem. Cfr. nostrum t. I. *De Religiosis,* n. **510.**

4. *De venia Ordinarii.* a) Quamvis venia haec dicatur in *singulis casibus* obtinenda, non exigitur ut totiens quotiens, distincto postuletur actu, sed verbis satisfit, et ita fert usus, si v. g. Episcopus catalogum expositionum semel approbaverit, ita ut in *singulos casus* cadat ipsius licentia.

b) Responsum loquitur de his quae per se requiruntur, nec, nostra sententia, reprobat *consuetudinem* qua Episcopus concesserit licentiam generalem *semper revocabilem;* i. e. definitionem tacite permiserit prudenti Regularium iudicio. Namque, saltem quod ad expositiones fieri solitas, ipsa S. Congr. Episcoporum et Regularium hanc suasit formam consensus. Cfr. Bizzari, *collectanea* et ipsum responsum S. Rituum Congr. 3 aprilis 1821, n. 2615 ad 4.

Notum est, contra ius Episcopi ordinandi, etiam apud Regulares, publicas Sanctissimi expositiones praescribi non posse. Cfr. nostrum t. I. n. **510.**

5. *De communione inter missam* coram exposito Sanctissimo Sacramento celebratam. Ubi plura sunt altaria, S. Rituum Cong. non semel iussit s. communionem dispensari extra altare expositionis. Ita 11 maii 1878, ad 1. (*Decr. auth.* n. 3448), 18 maii 1878, ad 3. (n. 3449); 13 septembris 1879, ad 1. (n. 3505).

Atque dum id praescripsit, S. Congregatio sollemnem communionis dispensationem a minus sollemni nullatenus distinxit. Quare, in praesenti causa, responsum ad II, *non licere*, minime ex oratoris verbis « sollemniter ministranda » pendere videtur.

Ceterum, sollemnitas ista non alia videtur intellegi posse nisi quae ex exteriore quodam apparatu manarit, utputa cum ministratur communio quae *generalis* dicitur.

# 32. — S. RITUUM CONGREGAT. (29 iulii et 5 aug. 1904)

## *RESPONSA DE VARIIS DUBIIS LITURGICIS*

A. *Varia dubia de Missa et Officio.*

*Ord. FF. Minor. Prov. Anglicae.* — Reverendus P. Taddeus Hermans, Kalendarista Provinciae Anglicae Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Procuratoris Generalis solutionem sequentium dubiorum a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit, nimirum : *Orator.* **Dubia.**

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

III. Utrum Regulares in Anglia et alibi commorantes in recolendo anniversario Ecclesiae Cathedralis, uti limites Civitatis intelligere debeant etiam suburbii Civitatis hodiernae ; an potius eos restringere fines ad primitivam Civitatem seu burgum, quandoque sat exiguum. ubi Ecclesia Cathedralis aedificata fuerat ? *Quid veniat* civitatis *nomine.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

VI. Utrum Sacerdotes Regulares celelebrantes in Oratorio interno sororum cuiuspiam modernae Congregationis et fidelibus minime patenti, Missam iuxta Kalendarium sui Ordinis debeant celebrare ; an potius iuxta Ordines dioeceseos, in qua sorores huiusmodi, Kalendarium proprium ex privilegio vel usu legitimo non habentes moram trahunt ? *De calendario in oratorio Sororum.*

VII. Utrum in die Rogationum, Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et quando ex praecepto rubricarum peculiarium Breviarii Romano-Seraphici, Officium Defunctorum in Choro persolvitur, Missa conventualis de Rogationibus cum Processione coniunctis aut respective de requie debeat celebrari : an potius de duplici vel semiduplici occurrente in Ecclesiis Monialium Officium Divinum habentibus, si una tantum Missa celebretur ? *De unica Missa in ecclesiis monialium, certis diebus.*

VIII. Num Ordinarius praecipere possit, ut sacerdotes tam saeculares quam Regulares in Missis lectis tertium cereum accendant in Canone apud eam dioecesim, ubi sicuti in universa regione mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem iamdudum abierit ? *De tertio cereo in canone Missae.*

X. Cum anniversaria late sumpta ex Decreto SS. RR. Congr. diei 2 decembris 1891 n. 2753 sint ea quae semel in anno a Communitatibus fieri solent : num Ritus duplex sit retinendus pro Officio generalissimo Omnium Defunctorum Ordinis Seraphici et pro Anniversario Omnium Parentum nostrorum ; utque in aliis tribus anniversariis sic vocatis in Ordine celebrari solitis, Ritus semiduplex sit assignandus, tresque orationes in Vesperis et Laudibus ac Missa recitandae ? *De Ritu communium anniversariorum.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit : **Responsa.**

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Ad III. « *Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.* » *Ad III.*

Ad VI. « *Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam* *Ad VI.*

*iuxta decretum* 3927 Parisien. seu Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo 17 iulii 1892 ad 1. [1]

*Ad VII.* Ad VII. « *Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.* »

*Ad VIII.* Ad VIII. « *Affirmative ex rubrica generali Missalis tit.* XX, *et accedente auctoritate Ordinarii, non obstat decretum* 4029, **Postulationis dubiorum**, 9 *iunii* 1899 ad 2 » [2].

*Ad X.* Ad. X. « *Affirmative ad primam partem, et quoad secundam die anniversaria fieri posse sub ritu duplici.* »

*Dies (29 iulii 1904).* Atque ita rescripsit, die 29 iullii 1904.

S. Card. CRETONI, *S. R. C., Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen, Secret.*

B. *De translatione festorum.*

*Orator, proposita concessione transferendi festa B. V. M.* **quaerit.** *Ord. Carmelitar. Excalceator.* — Hodiernus R^mus^ Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, quod per Litteras Apostolicas in forma Brevis Pii PP. VI ad Episcopum Paphensem, Vicarium Apostolicum Wratislaviensem, datas die 19 Aprilis 1788, concessa fuit toti regioni Borussiae facultas, « Ut sollemnia Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis festa (quae omnino retinenda sunt) transferantur in Dominicam diem infra Octavam, ita ut ea ipsa die officia et missae, tamquam illa festa suo loco mota non fuerint, celebrentur, facta in officio et missa commemoratione Dominicae, ipsoque etiam translato in antecedentem sabbati diem ieiunio. » Cum vero a quibusdam dubitetur, num huic legi subdantur Regulares qui proprii respective Ordinis sequuntur Calendarium, et iuxta illud officia Sanctorum ordinata habent, ideo idem Orator, duplicis sequentis dubii solutionem enixe expostulavit, nimirum :

*De vi concessionis quod ad Regulares.* I. Num Regulares qui proprio gaudent Calendario teneantur lege translationis festorum Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis in Regno Borussiae?

II. Et quatenus negative : Num possint tamen praedictae legi se conformare?

**Responsum.** Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative, uti mos est.*

Ad II. *Provisum in primo.*

*Dies (5 aug. 1904).* Atque ita rescripsit, die 5 augusti 1904.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen.*, Secret.

---

[1] Cfr. hic supra, n. **30**.

[2] Haec erant decreti verba. « II. Utrum alia consuetudo servari possit non accendendi tertium cereum in Missis lectis a consecratione ad consummationem? R. Ad. II. « Affirmative. »

## 33. — PII IX SEU S. C. SUPER STATU REGULARIUM

### *RESPONSUM 20 AUGUSTI-1 SEPT. 1875*

### De voce activa professorum votorum simplicium

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, ad pedes S. V. humillime provolutus, postulat declarationem ad sequens dubium circa iura quae professis votorum simplicium competunt. *Orator.*

Ad n. VI. declarationum super votis simplicibus a S. C. super Statu Regularium die 12 iunii 1858 editarum, decernitur, quod *professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus professi votorum sollemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.* *Memorantur duae declarationes 1858.*

Ad n. VIII. autem additur: *Anni professionis qui in dicto Ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent sollemniter professi.*

Cum igitur concessio in favorem professorum votorum simplicium generice sit expressa, ex declarationibus relatis ius etiam suffragandi in noviciorum votationibus videretur praedictis professis competere.

Verum, post relatas declarationes, ad dubium a R^mo^ Magistro Generali Ord. Praedicatorum propositum: « *Cum ex praefati Decreti tenore* (num. 8) *professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent sollemniter professi; quaeritur, an inter huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum sollemnium professionem;* » — eadem S. Congregatio, sub die 7 februarii 1862, respondit: *Negative.* *Et responsum 7 februarii 1862.*

Animadvertens itaque Orator a privilegiis concessis professis votorum simplicium, vi huiusce postremae declarationis, exclusos nominatim fuisse *actus receptionis ad votorum sollemnium professionem*; et perpendens, quod votationes noviciorum inter huiusmodi actus, saltem indirecte, videntur recensendae; ut ex animo suorum subditorum omnis ambiguitas quod ad hoc tollatur, suppliciter petit a S. V., ut dignetur declarare: An in his verbis *Actus receptionis ad votorum sollemnium professionem*, recensitae intellegantur votationes noviciorum pro admissione ad professionem votorum simplicium. *Unde occasio dubitandi de receptione ad vota simplicia.* **Dubium.**

Ex audientia SS^mi^ habita a me infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium, sub die 20 augusti 1875, Sanctitas Sua, audita relatione super dubio proposito a P. Ministro Generali Ordinis Minoritici: An videlicet, ad effectum dubii sub die 7 februarii 1862 a S. C. Super Statu Regularium, super declaratione data die 12 iunii 1858, et sub numero VIII positi, inter actus receptionis ad votorum sollemnium professionem, recensitus intellegatur actus ferendi suffragium pro admissione ad professionem *Dies audientiae SS^mi^.*

*Responsum.* votorum simplicium, ita ut ab eo excludantur ipsi professi votorum simplicium; Responderi mandavit : *Affirmative.*

*Dies (1 sept. 1875).* Romae, datum ex Secretaria S. C. super Statu Regularium hac die 1 septembris 1875.

*S. Archiep. Seleucien., Secretarius.*

---

## 34. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 20 MAII 1904*

### De eodem argumento

*Orator, propositis statutis carthusiensibus,* **Petit**

Prior Carthusiae ac Minister Generalis Ordinis Carthusiensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit quod iuxta statuta praefati Ordinis, monachi, saltem ad subdiaconatum promoti, statim ac professionem emiserint, voce gaudent pro receptione eorum qui in Ordinem admitti postulant. Sed quia, ex terminis declarationum a S. Congregatione super Statu Regularium die 12 iunii 1858 editarum, professi votorum simplicium suffragium habent in actis Capitularibus sui conventus quatenus et prout sunt sollemniter professi, sequitur in re tanti momenti voce gaudere etiam simpliciter professos, ex quo haud levia oriri incommoda exploratum est.

*Ut simpliciter professi suffragio careant in receptionibus.* **Decretum**

Proinde enixe petit orator ut, non obstantibus praedictis declarationibus et quibuscumque contrariis, professi votorum sollemnium soli vocem habeant pro qualibet receptione aut admissione in Ordinem. — Et Deus, etc.

*Suffragio carent. Sanantur praeterita.*

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Eporum et Regarium praeposita, perpensis omnibus, decernendum esse censuit, prout praesentium tenore decernit, professos votorum simplicium, quamvis in subdiaconatus ordine constitutos, vocem non habere pro qualibet receptione. Eadem tamen S. C. omnes et singulas receptiones aut admissiones ad Ordinem hucusque peractas, in quibus contigerit etiam professos votorum simplicium in subdiaconatus ordine constitutos suffragium tulisse, ratas habet atque confirmat.

*Dies (20 mai 1904).* Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, hac die 20 maii 1904.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

### Annotationes ad utrumque decretum modo allatum

1. Bina hic simul proposuimus responsa, quia argumentum idem perficiunt atque illustrant. Post decretum *Sanctissimus*, a Pio IX seu S. C. super Statu Regularium, 12 iuni 1858, de votis simplicibus Ordinum religiosorum editum [1], necessaria fuit specialis declara-

---

[1] Decretum habetur inter *Monumenta* nostra, n. **61**, p. 354, eiusque sanctiones, huc spectantes, memorantur in supplici libello prioris responsi, 1 septembris 1875).

tio 7 feb. 1862, quae vere decreto *Sanctissimus* derogabat, ne professi votorum simplicium in admissione ad vota sollemnia partem haberent [1]. Quare etiam responsum est formali Pii IX iussione ad omnes Ordines translatum.

Contra vero, responsum 20 aug.- 1 sept. 1875 videtur potius merae declarationis indolem praeferre. Quaerebatur etenim utrum necne, eo quod non possent suffragio suo *sollemniter* professos admittere aut reicere, simul prohiberentur simpliciter professi de idoneitate ad simplicem professionem, qua sollemnis praeparatur, ferre sententiam. Atque utriusque casus ratio est a S. Pontifice declarata similis.

2. Hinc, quia, iure communi regularium virorum, postulantes per actum capitularem ad noviciatum admittuntur, quae ipsa admissio viam iam remote parat ad professionem, dubitare licuit num possent etiam in his capitulis simpliciter professi suffragium ferre. Orator, nihilominus, istud non suspicatus, mere formalem petiit eorum exclusionem. Sed S. Congregatio, dum decrevit « *professos votorum simplicium... vocem non habere pro qualibet receptione*, *simul ratas habuit et confirmavit hactenus factas admissiones in quibus simpliciter professi tulissent suffragium.* » Qua ratihabitione simul novam de hac re instantiam amputavit et videtur ius potius *declarasse* quam statuisse [2].

3. Quod si ita res se habent, etiam in reliquis Ordinibus satius erit simpliciter professos his suffragiis prohibere. Atque is praesentis decreti usus sane permittitur. Verum si aliter fiat, S. Congregationem admissiones nihilominus esse ratas habituram ex ipso decreti exemplo colligere fas est.

---

# 35. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *RESCRIPTUM 10 MART. 1902*

## De Ursulinis in unum corpus collegii cogendis

*Compendium instantiae factae.*

*Cum communitates Ursulinarum, quae hactenus sui fuerant iuris, invitatae essent ad unum admittendum caput sub quo, reformatis Constitutionibus, unum efficerent Institutum religiosum, pluresque id ultro recepissent, aliae tamen pristinum regimen retinere maluerunt. Hinc localis quaedam Superiorissa domus repugnantis consociationi anxia esse coepit an forte S. Sedis voluntati obsisteret deberetque suas moniales cogere ad se aliis coniungendas. Verum S. C. Episcoporum et Regularium iussit eam esse bono animo, cum nullum latum esset praeceptum. In qua specie facti, cum liceat S. Sedis fortem simul ac suavem spectare spiritum, adducti sumus ut breve hic proponeremus*

---

[1] Cfr. *Monumenta* nostra, n. **63**, p. 357, vel ipsum supplicem libellum 1875.

[2] Similis sententiae est scriptor Rev. Théol. Franç. 1904, p. 653, 654.

*rescriptum, quod, quamvis ante duos fere annos sit latum, recens tantum est vulgatum.*

**Responsum.** S. Congr. E^morum ac Rev^morum S. C. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit :

*Negative*, sed integram hac de re manere libertatem uniuscuiusque communitatis ad normam litterarum die 21 iulii 1899.

*Dies (10 martii 1902).* Romae, 10 martii 1902.

FR. HIERONYMUS Card. GOTTI, *Praef.*
*A. Budini, Subsecretarius.*

---

## 36. — S. D. N. PII P. X

### *ORACULUM 7 SEPT. 1903*

### Facultates definiens S. Rituum Congregationis

*Ex his facultatibus quas, ut ex conclusione patet, S. Pontifex voluit, salva ipsius venia, immutari vel augeri numquam posse, has excerpere placuit quae magis ad Religiosos respiciunt. Omnes habentur in* REVUE THÉOL. FRANÇ., 1905, p. 27 ss.

EX FACULTATIBUS EXTRAORDINARIIS

10. Benedicendi novum Abbatem die feriali.
23. Chori parvi aperiendi in ecclesiis et oratoriis.
25. Dedicationis Anniversarium una eademque die ab omnibus ecclesiis alicuius Dioeceseos, Ordinis, Congregationis, etc. celebrandi.
33. Calendaria particularia concedendi, reformandi, etc.
34. Missae Conventualis legendae vel non.
39. Missam celebrandi in interiore clausurae sacello.
44. Missam celebrandi feria V in coena Domini pro communitate, cum Communione paschali.
47. Officii recitationem anticipandi ante secundam horam pomeridianam pro aliquo ecclesiastico.
56. Rocheto utendi *pro Episcopo Regulari.*
58. Sanctissimum Eucharistiae sacramentum asservandi ad tempus in Oratorio privato Communitatum et Sanctimonialium.
62. Erigendi alia oratoria, praeter principale, in domibus religiosis, iuxta decretum 4007, *Nivernen.*

EX FACULTATIBUS ORDINARIIS

26. Dispensandi a recitanda IX lectione Officii simplificati, pro Monialibus.
27. Dispensandi quamcumque ecclesiasticam communitatem instantem ab adiunctis Officio feriali, nempe a Psalmis Paenitentialibus et Gradualibus, necnon ab Officio parvo B. Mariae Virginis et Defunctorum.
31. Functiones hebdomadae maioris peragendi in Oratoriis Sanctimonialium, Religiosorum, etc.

32. Functiones supradictas et similes celebrandi, adhibito Memoriali Benedicti XIII, in ecclesiis et oratoriis, praesertim Sanctimonialium, Religiosorum, etc.
35. Matutini privatam recitationem anticipandi.
39. Missas proprias celebrandi in Triduo.
50. Missam de Requie lectam ad nuntium mortis.
57. Officii divini recitandi et Missae peragendae iuxta Calendarium propriae Religionis, *pro Regularibus qui eiusdem Religionis habitu iusta de causa dimisso, in statu saeculari versantur;* usque dum residentiali Beneficio non provideantur.
65. Oratoria privata erigendi in Coemeteriis tum ad familias tum ad Communitates spectantia.
67. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandi sub consuetis clausulis in ecclesiis non parochialibus, oratoriis publicis et semipublicis.
68. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandi cum dispensatione a cotidiana Missae celebratione, iuxta praxim.
76. Privatam Matutini cum Laudibus recitationem anticipandi pridie ab hora prima post meridiem, cum aliqua rationabili causa.

---

## 37. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 2 IULII 1904*

### De valida duorum Fratrum cooptatione in consiliarios

Victor Bourdenne, Superior Generalis Presbyterorum a Sacratissimo Corde Iesu a Betharram, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit solutionem casus sequentis, qui nuper in Collegio Sancti Ioseph in civitate Bonearensi, Americae meridionalis, occurrit: *Orator.*

Renovata est iuxta Instituti Constitutiones, huius Collegii Administratio, Superior scilicet et locale capitulum ex quattuor Consiliariis constans. In quo Consiliariorum numero duo fratres carnales beneficio suffragiorum simul admissi sunt. *Species facti.*

Ex duobus maior natu in primo scrutinio pene unanimi omnium consensu electus est cum duobus aliis Patribus. Minor vero, postquam in tribus aliis scrutiniis ne medietatem quidem votorum tulit, tandem in quinto, quod est ultimum, maioris eligentium partis suffragia obtinuit.

Cum autem illa duorum fratrum in Capitulo de quo agitur praesentia legibus civilibus et Sacris Canonibus adversari videatur, ut ex Constitutione *Exponi nobis* Urbani Papae VIII liquet, et tamen de hoc Constitutiones nostrae sileant, potius habui ad Beatitudinem Vestram querelas hac occasione exortas deferre et pro solutione recurrere, suppliciter postulando: 1. Quid summae Vestrae auctoritati decernere in casu libeat; 2. An prohibitio Constitutionis *Exponi nobis* applicanda sit in similibus consanguineorum in gradu haud remotiori electionibus, sive pro Capitulo cuiusque domus, sive pro Capitulo Generali totius Instituti, si forte *Difficultates motae.* **Dubia.**

obvenerint, puta si avunculus et nepos, si duo consobrini simul ad idem Capitulum Consiliariorum electi fuerint. — Et Deus...

Responsa. Et Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, super praemissis dubiis respondendum censuit :

*Ad I.* Ad I. *Electionem esse validam in casu.*

*Ad II.* Ad II. *Negative in omnibus.*

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 2 iulii 1904.

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Philippus Giustini, Secret.*

Annotatio

Parum idoneus nobis videtur iste interrogandi modus, quo ex C. *Exponi nobis* [1], Urbani VIII (17 nov. 1634) et legibus civilibus quaerebatur argumentum. Quid enim huc attinet lex civilis, et quid, in causa *Congregationis religiosae*, Constitutio quae propria Fratrum Minorum Italiae et Hispaniae ne quidem ius commune continet Ordinum regularium, nedum in Instituta votorum simplicium cadere possit ! Quodpiam robur accessisset ad argumentum si orator, nixus incommodis quae ex istis electionibus oriri possunt, iura civilia et Fratrum Minorum mere tamquam exempla receptae persuasionis incommodorum appellasset. Quamquam nec tunc mutari debuit responsum.

Altero quaesito neglegebatur illud quod probe est tenendum : huiusmodi inhabilitates et causas electionum invalidarum esse stricte interpretandas. Quocirca id quod de fratribus erat statutum nullo pacto in alios consanguineos transferre licebat, ut sapienter pronuntiavit S. Congregatio.

---

## 38. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 12 OCTOBRIS 1904*

### De disciplina monialium simpliciter professarum

*Orator.* Confessarius ordinarius Clarissarum Cortonae, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit :

*Proponitur usus monialium.* Ex antiquo usu, Moniales a S. Clara nuncupatae solebant Cortonae hanc servare normam quoad Novicias. Puellae per annum probatae ad triennalem noviciatum admittebantur, deinde alio anno cum Monialibus Professis commorabantur et postremo sollemnia vota emittebant. Nunc vero, ad mentem Decreti S. Congr. Episcop. et Regul. diei 3 maii 1902 [2], Noviciae puellae emittere debent vota simplicia antequam sollemnem faciant professionem.

---

[1] Cfr. Bullarium Luxemburgense, t. 5, p. 269.
[2] Cfr. nostra *Monumenta*, n. 64, p. 359.

Hinc quaeritur : **Dubium.**

Durante triennio votorum simplicium, debentne Puellae manere in ambitu et sub disciplina Noviciatus, sicut verae Noviciae, an vivere in Communitate, sicut aliae Moniales, sub exclusiva dependentia Superiorissae Monasterii? Si responsum ad 2um erit negativum, humilis orator expostulat, *quid et quomodo sit agendum*? *De regimine simpliciter professarum.*

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita exposito dubio respondendum censuit prout respondit : **Responsum.**

Ad. I. partem *Negative.* *Ad I partem.*

Ad. II. partem *Affirmative.* *Ad II partem.*

Romae, 12 octobris 1904. *Dies (12 oct. 1904).*

A. Card. AGLIARDI.

*P. Giustini, Secret.*

---

# 39. — RESPONSA VARIA

## De Confessariorum penuria apud religiosos

*Operae pretium videtur varias hic coniungere responsiones quibus mens ostendatur S. Sedis de sacramentali iurisdictione ad absolvendos religiosos et regulares.* *Ratio scribendi.*

I. *Responsum S. Congr. Episcoporum et Regularium 23 sept. 1881 de Congregatione* EXEMPTA *Presbyterorum Missionis, seu Lazaristarum.* *Responsum de Congr. exempta.*

« Absque licentia Superioris membrum Congregationis confessionem sacramentalem valide non peragit apud sacerdotem externum approbatum, *dum facile habere possit sacerdotem Confessarium etiam in Congregatione.* »

II. *Responsum S. Paenitentiariae, 14 maii 1902* [1]. *Responsum de Regularibus.*

« Ad I. Si Superior domus aliique confessarii tam diu absint saltem per unum diem ut grave sit religioso paenitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali, is licite et valide absolvitur ab extraneo confessario idoneo, h. e. approbato. »

III. *Responsum R. et U. Inquisitionis* [2]. *Responsum de Instituto votorum simplicium.*

Edito decreto S. R. et U. Inquisitionis 1899 [3], quo monebantur in Urbe Religiosarum Communitatum, Seminariorum et Collegiorum Superiores, ne, excepto aliquo raro casu, suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales Confessiones exciperent, interrogata est S. R. et U. Inquisitio ab aliquo Superiore utrum saltem si quando, ut in missionibus vel domibus inchoatis, unus tantum vel duo sacerdotes forent in domo, quorum alter esset

---

[1] Affertur totum inter *Monumenta*, n. **234**, p. 642. Agitur de Regularibus.

[2] Afferimus ex AMI DU CLERGÉ, 15 mart. 1903, sed dolendum quod nos latent dies et caetera quaesita.

[3] Cfr. *Monumenta*, n. **232**, p. 638.

Superior, possent ambo confratrum et alumnorum Confessiones excipere, haec respondit:

« Standum decreto (1899); et in casu quo praeter Superiorem aut Superiores nullus adsit in domo Confessarius, omnis sacerdos iurisdictionem ab episcopo habens, idoneus reputandus est ad Sacramentales confessiones excipiendas. »

ANNOTATIO

Observes itaque, quod S. Paenitentiaria declarabat de *Regularibus* si quando abessent Superior et Confessarii, id statuit S. Officium de alumnis Congregationis religiosae etiam si soli Confessarii abessent. Atque eius responsum perfecte quadrat ad declarationem S. C. Episcoporum et Regularium, 23 sept. 1883.

Verbo plurali *Superiores* intelleguntur, praeter caput totuis domus, alii qui, veluti *minister* domus, ceteris praeesse solent.

---

## 40. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *IUDICIA IN CAUSIS CONTENTIOSIS*

### Summatim relata

*Causa.* I. **Matritensis.** *Crediti.* (Cfr. CANONISTE CONTEMPORAIN, 1904, p. 610 ss.)

Matriti, anno 1847, cum cuiusdam communitatis monialium a S. Clara duae tantum superessent moniales, Superior Provincialis Ordinis Fratrum Minorum communitatem istam coniunxit alteri, cui prioris traderentur bona. Inter haec bona reperiebatur summa pecuniae civitati Matritensi credita. Hanc, postquam per leges copia facta est, vindicavit suae communitati Abbatissa monasterii quocum unio erat facta. Sed cum ex instructione anni 1867, art. 47. bona communitatum *exstinctarum* addicerentur communi cuipiam arcae operum piorum, Archiepiscopus Matritensis obtinuit ut sibi summa ista adiudicaretur. Causa delata est ad S. C. Episcoporum et Regularium, quae, 12 mart 1904, declaravit summam istam ad moniales, minime vero ad Episcopum pertinere. *Dies (12 mart. 1904).*

*Annotatio.* Cuius solutionis ratio facilis haec est. Ante ipsam instructionem anni 1867, bona communitatis, non simpliciter exstinctae, sed in duabus monialibus subsistentis, ad alteram communitatem quacum legitime facta est consociatio translata erant.

Habes itaque rursus confirmatum principium quod t. 1 n. 94 memoravimus: « Ius collegii bene remanet in uno. »

*Causa.* II. **Melitensis.** *Confraternitatis.* (Cfr. MONITORE ECCLESIASTICO, 1904, p. 385.)

Anno 1806, Patres Carmelitae *calceati* copiam fecerunt erigendi in ecclesia collegiata loci dicti Birchicara (dioecesis Melitensis) confraternitatem B. M. V. ea tamen lege ut si posthac ipsi, in eodem loco vel alio non distante tribus miliariis, conventum obtinerent,

in ecclesiam conventus transferretur confraternitas : sin minus pro exstincta esset habenda. Et re quidem vera, anno 1892, Carmelitis Calceatis obtigit monasterium in loco dicto S. Giuliano, infra tria miliaria a Birchicara, sed confraternitatis translationem non postularunt. Contra, *Carmelitae excalceati*, qui a° 1896 conventum id ipso loco Birchicara exstruxerant, Episcopum adierunt ut confraternitatem in suam ipsorum transferret ecclesiam. Cui petitioni simul obstiterunt Capitulum collegiatae ecclesiae et communitas PP. Carmelitarum Calceatorum, contra vero eidem esse obtemperandum censuit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 29 iulii 1904, his verbis: « *Attentis omnibus, transferendam esse Confraternitatem ab insigni ecclesia parochiali collegiata ad ecclesiam Patrum Excalceatorum, salvo iure Patrum Calceatorum erigendi in propria ecclesia Confraternitatem.* » *Dies (29 iul. 1904).*

Si e stricto iure rem pendas, dixeris confraternitatem fuisse transferendam in ecclesiam Patrum Calceatorum, ut formalis sonabat pactio, salvo iure Patrum Excalceatorum erigendi novam Confraternitatem in propria ecclesia. Verum translatio confraternitatis istius ab uno in alium locum non vacabat incommodis, minusque favebat concordiae et paci in loco dicto Bichircara. Hinc maluit S. Congregatio Ep^orum^ et Regularium, quae solet potius oeconomice quam ad apices iuris dirimere controversias, ex aequo et bono confraternitatem in eodem loco relinquere, facta translatione ad eiusdem loci Carmelitas. *Annotatio.*

III. **Savonen.** *Funerum.* (Cfr. MONITORE, 1904, p. 387.) *Causa.*
Savonae, Antonius quidam Osilia, quamvis honesto loco natus nec opibus destitutus, testamento suo praescripserat ut corpus suum exsequias haberet humillimas, ac sine pompa deferretur in ecclesiam D. N. dictae a Consolatione, quae est ecclesia regularis, ut inde, recepta sacerdotis absolutione, statim in coemeterio humaretur. Voluere tamen heredes ut in eadem ecclesia sollemne fieret funus. Huius quartam funebrem sibi oblatam declinavit proprius defuncti parochus, cum suum existimaret laesum ius funerandi, quippe cui per aliquam sepulturae electionem non esset derogatum. Usus enim cum esset Savonae deferendi pauperum cadavera in ecclesiam D. N. a Consolatione, non longe a coemeterio distantem, ut ibi commodius quam in parochiali ecclesia absolutionem reciperent, contendebat parochus defunctum Antonium mere voluisse pauperes imitari non autem sepulturam sibi eligere.

Verum, plures praesumptiones videntur ad testamentum accessisse; et, die 29 iulii 1904, S. C. respondit, electam fuisse sepulturam, nec iura parochialia fuisse violata. *Dies (29 iul. 1904).*

Per huius causae occasionem, cuius peculiarem rationem neglegimus, duo putamus esse utiliter memoranda.

1. Quamvis possit testator aliam deputare ecclesiam sepulturae, aliam exsequiis celebrandis, nisi istud constet, ad ecclesiam tumulantem pertinet ius persolvendi officium funebre, servata parocho portione canonica. — MOULART, *De sepultura et exsequiis*, p. 231. *Annotationes.*

2. Si officium funebre ab heredibus legitime iubetur celebrari separatum a sepultura, liberam habent tunc ecclesiae optionem, ac de emolumentis talis functionis, quippe quae non sit exsequialis, nihil sibi parochus vindicare potest. Cfr. responsum S. Congr. Rit. 13 maii 1879. (Cfr. *Monumenta* nostra, n. **268**, p. 707.)

# SUPPLEMENTA

## SUPPLEMENTUM NONUM

### CANONICAE SANCTIONES DE MISSARUM ONERIBUS APUD RELIGIOSOS

#### ARTICULUS I. Introductio

**Quaestionis opportunitas.** — Non levem a pluribus saeculis adhibuit curam atque diligentiam S. Sedes ad coercendos perversos usus et scandala quibus temere suscepta aut male adimpleta missarum onera, ex cupiditate, desidia, et levitate hominum, facilem praebent occasionem, praesertim cum per speciem pietatis vel communis utilitatis suspectae artes fere honestari videntur. Quare, tam peculiari Religiosorum iure, quam universalioris legis articulis, plura sunt Religiosis eorumque Superioribus praescripta, quae nuperrimo decreto *Ut debita* partim sunt confirmata, partim declarata et magis accurate definita. Quocirca, ne plura iura quae sunt concordanda cuipiam negotium facessant, et ut quaedam iam nata vel futura dubia pro humilibus viribus solvere possimus, visum est ad religiosorum usum ac commoditatem uno quasi conspectu proponere quae, ex prudenti variarum legum collatione, ipsis in hac re sunt vel praestanda vel vitanda.

**Observanda decreta** sunt :

1. Celebris Constitutio *Nuper a Congregatione*, 23 decembris 1697 ab Innocentio XII edita, qua etiam decreta S. Congregationis Concilii, iubente Urbano VIII, 21 iun. 1625 lata, in specifica forma confirmantur et renovantur [1].

---

[1] Constitutio habetur inter nostra *Monumenta*, ed. 2, n. **206**, p. 575; eamque afferemus servatis numericis divisionibus quas ibi proposuimus.

2. Constitutio *Apostolicae Sedis*, 12 octobris 1869, § 2, n. 12.

3. Decretum S. Congr. Concilii, *Vigilanti Studio*, 25 maii 1893, quo etiam referuntur superiora responsa anni 1874 [1].

4. Decretum *Ut debita*, eiusdem Congregationis, quod in his periodicis foliis dedimus, et paucis annotationibus declaravimus, n. **19**, p. 44 et ss.

**Summa capita** quae proponere paramus attinent ad :

1. *Prudentem onerum missarum susceptionem,*
2. *Vetitam ipsorum reductionem,*
3. *Accuratam eorum exsecutionem,*
4. *Diligentem eorum consignationem et pecuniarum custodiam vel collationem,*
5. *Cautam eorum translationem,*
6. *Rationes reddendas,*
7. *Sanctiones et poenas,*
8. *Vetitam quarundam legum interpretationem,*
9. *Praescriptam lectionem vel communicationem,*
10. *Legum vim et extensionem.*

## ARTICULUS II. Canonicarum sanctionum summaria propositio

### I. *De prudenti onerum susceptione*

1. *Perpetua onera* suscipere nequeunt « saeculares quidem sine Episcopi vel eius generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia, in scriptis et gratis concedenda » (C. *Nuper*, n. 8); nec venia est concedenda antequam, perspectis ante susceptis oneribus, Praelati noverint haec et nova quae accesserint a sacerdotibus expleri posse, et relictos reditus esse, pro regionum moribus, obligationibus congruentes. (C. *Nuper*, n. 9.)

Onera *perpetua* non ea tantum sunt quae stricte in perpetuum sunt imposita, sed etiam quae, spatii diuturnitate perpetuis sunt aequiperanda ; quod spatium 50 annis putamus definiri posse. Assimulatio ista oneris perpetui et diuturni postulatur tum rationabili legis intellectu tum verbis eiusdem n. 8, ubi, praeter manuales, non distinguuntur nisi missae quarum onus dicitur perpetuum ;

---

[1] Decretum istud est ex parte relatum inter *Monumenta* nostra, in nota p. 577.

demum praefatione decreti *Ut debita*, ubi valde diuturna fundatio dicitur esse pro perpetua habenda. Confirmamur auctoritate R. D. MANY, *De Missa*, n. 61.

2. *Manuales missae* suscipi nequeunt, nec positis in ecclesia capsulis peti, nisi ab iis qui pares fuerint oneribus omnibus ferendis, id est qui *probabiliter* possint missas omnes, per se vel per *subditos* sacerdotes, congruo tempore celebrare. Nec concursu qui fit in celebriores ecclesias lex ista tollitur. (C. *Nuper*, n. 51.)

Congruum illud spatium imprimis est quodcumque formali tribuentium eleemosynam voluntate definitur, etiamsi longius vel brevius fuerit quam quod celebrandis missis praestituit generalis regula. (Cfr. de longiore tempore, C. *Nuper*, n. 48 ; de longiore et breviore, decr. *Ut debita*, n. 3.) Omissa hac formali voluntate, onera missarum manualium antea assumi vetabantur nisi antiquis et novis satisfieri poterat *infra modicum tempus*, quod, saltem pro communitate, intellegebatur *infra mensem*. (C. *Nuper*, n. 47. Decl. S. Congr. Conc. [1] in Fragurien. 19 dec. 1630; in Mesanen. 19 mart. 1639; in Regularium, 19 iulii 1655, apud PALLOTTINI, v° Missa, § 2, n. 3.) Nunc vero stari potest normis decreti *Ut debita*, de quibus supra p. 58, n. 4.

3. Ne incaute missae vel perpetuae vel manuales suscipiantur dicendae, praescribitur forma tabellarum et librorum de quibus infra, n. IV.

## II. *De missarum reductione*

1. Ex C. Tridentino, s 24, c. 4 *De Reformatione*, Episcopi in dioecesana synodo, et Abbates ac Generales Ordinum in generalibus capitulis facultatem habuerunt onera reducendi missarum, ut omnibus missis congrua maneret retributio [2]. Huic Tridentinae sanctioni, quae Episcopis mere pristinum conservabat ius, noluit Urbanus VIII vel Innocentius XII aperte derogare, sed prohibuit (C. *Nuper*, n. 4) ne hac facultate uterentur quod ad onera « post C. Tridentinum imposita aut in limine fundationis [3] », quorum causa ad se revocavit S. Sedes.

---

[1] Ante istas declarationes fuere scriptores qui *breve tempus* acciperent duos vel tres annos ! Cfr. SCHMALZGRUEBER, l. 3, t, 41, n. 139.

[2] Cfr. SCHMALZGRUEBER l. 3, t. 41, n. 144 et ss.

[3] Id est, non ex dispositione testatoris vel benefactoris extra fundationem, sed in ipsa beneficii constitutione. Hoc enim casu, accedit vis pactionis mutuae. Integrum erat promissario duriores pactionis leges respuere ; et contra aequitatem foret, post factam pactionem statim ab eius condicionibus recedere. Quare, ne quidem ex C. Tridentino, videtur talis reductio permissa. Cfr. Schmalzgrueber, h. l. n. 153.

Nihilominus, a) Si ex mutua paciscentium stipulatione debentur missae, nulla quidem via directa sternitur ad obtinendam reductionem, cum nec S. Sedes soleat indultis suis ius tollere acquisitum. Verum Episcopus, partes agendo *iudicis*, ad instantiam instituti vel ecclesiae cui, labente tempore, contractus factus fuerit damnosus, pactionem ad aequalitatem revocare et sic indirecte onus missarum deminuere potest [1]. Atque observes, plerumque, in hac re, esse etiam a regularibus Episcopum adeundum, secundum illud : « Actor sequitur forum rei. » Reus enim fere non erit nisi saecularis.

b) Si, sine possidentium culpa, reditus ex parte perierint, re ipsa videtur ipsa obligatio partim perire, sicut cessaret tota, si res missarum onere gravata, ex toto periret. Adeundus tamen videtur Episcopus, qui arbitrium gerat boni viri, ad casum et causam aestimandam [2].

c) Si fundationis auctor aequam reductionem permiserit diserte, hac fundationis lege procul dubio uti licebit. Quod si mere fundum vel summam reliquerit, non definiendo missarum numerum, is numerus est ab Ordinario [3] statuendus pro more loci vel provinciae (*Nuper* 38 et 39), poteritque, imminutis reditibus, rata parte deminui, sicut erit augendus, si fructus pluribus missis aequum praebeant stipendium. Tunc enim relicta est obligatio dicendi missas quae ad redituum copiam aptentur.

d) Conceduntur quandoque indulta generalia, vi quorum licet Episcopis facere onerum reductionem.

e) Ipsa consuetudo, saltem decennalis, cum decretis derogare possit, Praelato regulari permittere poterit ut facultate utatur Tridentina, et Episcopo ut iura sua servet antetridentina. (Cfr. SCHMALZGRUEBER, l. c. n. 155.)

---

[1] Cfr. MANY, *De Missa*, n. 75.

[2] Cfr. SCHMALZGRUEBER, l. c. n. 146; C. D'ANNIBALE, t. 3, n. 75. Sunt tamen, praesertim ex moralistis qui sententiam Episcopi non exigunt.

[3] Ordinarii ii sunt quotquot, ex n. 8 C. *Nuper*, perpetua onera permittere debent. Definitio enim ista videtur inter adiuncta concedendae facultatis; atque ipsis S. Congr. responsis confirmamur. In his enim, ad II (C. *Nuper*, n. 39), numerum missarum praescribere dicitur *Ordinarius*, secundum morem civitatis vel provinciae; dum ad V (C. *Nuper*, n. 42), eleemosyna dicitur praescribenda ab *Episcopo* quando legatis missis testator nullam praescripsit. Notum est etiam a Regularibus standum esse taxa missae si quam voluerit Episcopus imponere. Cfr. MANY, *De Missa*, n. 45. 46.

N. B. Reductiones a S. Sede non conceduntur nisi ex rationabili causa; et gratiae non parum obstat si *malitiosa* et *irrationabilis* spes moverit ad omittendas missas. (C. *Nuper*, n. 59.) Malitiosam dico et irrationabilem: non eam itaque quam bona excusaverit fides; vel quae, quasi licentiam praesumendo, iam onera praestiterit ad normam iusti sperati Indulti.

2. In genus quoddam reductionis recidit, si celebranti non integram solvas eleemosynam, vel merces tradas pro numerata pecunia. De his artibus infra, n. V.

## III. *De onerum exsecutione*

1. Gravissimis verbis praecipitur et inculcatur accurata celebratio tot missarum quot fuerint susceptae vel praescriptae, etiam si minus congrua accepta sit eleemosyna. Revocantur indulta contraria; nec potest simul satisfieri obligationi beneficii et manualis missae. (C. *Nuper*, 5, 6, 19-23, 39-43, 65, 66.)

Huc referenda est necessitas, salva contraria auctoris stipendii voluntate, dicendi missas infra annum, tamquam spatium maximum etiam multis missis concessum. (Decr. *Ut debita*, n. 2, 3; cfr. nostram declarationem, n. 4, c; p. 48).

Quare, si qui ultra annum (civilem, si missa erat dicenda ex fundatione, vel naturalem spatii 365 aut 366 dierum, si missa manualis) oneribus satisfacère distulerint, stipendia istarum missarum *propriis* tradere iubetur Ordinariis, qui modum faciendae traditionis, quantum opus fuerit, definire debent. (Decreta *Vigilanti Studio*, et *Ut debita* n. 4.)

Ordinarii distinguuntur, in hac re, dioecesani et non dioecesani [1]. Hi sunt Praelati saltem provinciales Regularium et Religiosorum exemptorum; atque Abbates monasterii sui iuris; dum Religiosi non exempti sunt, in hac re, dioecesano Episcopo obnoxii [2].

## IV. *De onerum consignatione et pecuniarum collocatione*

**Diligens onerum consignatio.** — 1. Rectores, Superiores et ministri quarumlibet ecclesiarum, cum saecularium tum regularium, seu illarum capitula, conficere et

---

[1] Arguimus ex ipso decreto *Ut debita*, quod n. 4, 5, 6, loquitur de Ordinario proprio, dum n. 7 agit de Ordinariis dioecesanis.

[2] Arguimus ex C. *Conditae*, n. 5, 9, 11. Sic etiam BOUDINHON. CANONISTE, 1904, p. 502.

in loco magis patenti et obvio (qualis est sacristia) proponere debent *tabellam onerum perpetuorum vel temporalium* [1]; ac, si aliis praeterea suscipiendis oneribus sint impares, illud in ipsa tabella exprimere. (C. *Nuper*, n. 60.)

Onerum nomine veniunt hic missae *fundatae*. Atque ex ipsis legis verbis, quae diriguntur ad *ecclesiarum* rectores vel ministros, addita ratione, ne onera supra vires temere suscipiantur, intellegendae sunt missae quae, ut verba imitemur decreti *Ut debita*, in initio [2], in certa ecclesia sunt constitutae, ita ut *per se* ibi missae istae sint celebrandae. Quare non est proponenda huiusmoni tabella pro missis quarum monasterium potius curare debet celebrationem quam eandem in ecclesia sua praestare, id est, si monasterium, instar familiae cuius gravetur patrimonium, mere obligatur ad quotannis competentem tribuendam eleemosynam missarum quae ubivis a quolibet sacerdote celebrari queant [3]. Maxime tamen commendandae sunt cautelae, ne susceptarum obligationum memoria pereat.

2. Praeter *onerum* tabellam, liber habendus est in quo *manuales missae* quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur. Ita decr. *Ut debita*, in fine, quo sic partim temperatur obligatio C. *Nuper*, n. 61. Hac enim Constitutione etiam in librum referendae erant fundatae missae.

3. Requiruntur insuper libri in quibus dictorum onerum (fundationum) et manualium missarum *satisfactio signetur*. (Decr. *Ut debita*, in fine.)

Quamvis libri videantur requiri distincti, id tamen non arbitramur substantiale, dummodo omnia diligenter notentur et signentur.

4. Praeterea, iubet C. *Nuper*, n. 61, quotquot rationem reddere vel exigere debent, curare ut annuae rationes de oneribus, eleemosynis et satisfactionibus, in iisdem libris referantur.

N. B. Haec rursus intellegenda sunt de eleemosynis commissis ecclesiae vel monasterio, seu ecclesiae quas rector seu minister *qua talis* acceperit, non autem qua privatus sacerdos qui sibi personalem contraxerit obligationem cui etiam clam et ubivis satisfacere queat.

**Diligens pecuniarum collocatio.** — 1. Ex C. *Nuper*, n. 8, « pecuniae vel alia mobilia quae ab ecclesiis, etc. monasteriis.... locis omnibus tam saecularibus quam

---

[1] Ex decr. *Ut debita* in fine, tabella exigi non videtur nisi onerum perpetuorum, vel quasi talium.

[2] Missae in nulla ecclesia constitutae eodem decreto dicuntur esse manuales.

[3] Rursus modum loquendi imitamur decreti *Ut debita*, in praefatione.

regularibus, cum onere perpetuo missarum celebrandarum atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda, statim deponi debent penes aedem sacram vel personam fide ac facultatibus idoneam », ut quamprimum in bonis immobilibus et fructiferis collocentur, cum expressa et individua annexi oneris mentione. Perinde tractandum est pretium obtentum ex alienatis his bonis ex apostolica licentia.

Ob mutata rerum adiuncta, plerumque alius erit suadendus pecuniae collocandae modus, qui profecto erit permissus, cum melius ad legis finem aptetur. Satis itaque erit, si meliore quo poterit modo, fructibus ferendis et securitati consulatur « capitalis ».

2. Regularibus praeterea praecipitur ut quaelibet missarum eleemosynae in capsa peculiari reponantur sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera penes religiosum a capitulo conventuali deputandum retineatur : de quibus eleemosinis et celebratione est menstrua ratio exigenda et reddenda coram patribus discretis seu consiliariis. (C. *Nuper*, n. 62.)

Obligatione habendae capsae istius, iam dudum dispensati sunt Fratres Minores, ob peculiarem ipsorum paupertatis rationem [1]; estque satis verisimile eam etiam in pluribus religionibus esse consuetudine abrogatam.

Inculcat tamen dispositio ista utilem omnibus, etiam saecularibus agendi rationem, id est, seponendi celebrandarum missarum pecuniam, nec de ea disponendi, antequam obligationi sit satisfactum.

## V. *De missarum translatione*

**Quatenus liceat vel non transferre missas.** — 1. Distinguenda est imprimis *onerum* translatio et translatio *missarum* ex onere dicendarum.

*Fundatae* missae nequeunt ab ecclesia in qua sunt constitutae transferri absolute, nisi ex auctoritate S. Sedis. Episcopus onera transferre nequit ab uno in alium locum nisi **a**) In ecclesia designata missae impediantur impedimento iuris vel facti. Quare, ubi diruta fuerit ecclesia sine restaurationis spe, perpetua translatio ab ipso C. Tridentino committitur Episcopo facienda, sess. XXI, c. 7 *De Reformatione*. **b**) Facultatem fecerit fundator ; **c**) Obtentum sit apostolicum indultum, quod etiam ut ceterarum ecclesiarum paupertati consulatur, quibusdam tamen servatis legibus, interdum conceditur.

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, l. 5, t. 3, n. 213, fine.

(Cfr. exemplum, ACTA S. SEDIS, t. 27, p. 480.) Si vero transferatur ipsa ecclesia vel monasterium, simul transferentur onera, vel in pristino manebunt loco, prout fundator personas vel locum potissimum respexerit [1].

*Manuales* etiam missae nequeunt per se dici extra locum celebrationi electum nisi ex consensu auctoris stipendii : quod sub gravi vel levi tenet peccato, prout gravis vel levis ratio fuerit eligendi locum [2]. Temporales mutationes potest, ob iustam causam permittere Episcopus.

Quod ad *personales* missarum eleemosynas, seu quae, ex auctoris voluntate, nulli certo loco sunt addictae, ipsae *missae* ab eleemosynas possidentibus *per se* transmitti possunt [3], idque etiam extra dioecesim. (Decr. *Ut debita*, n. 5. Cfr. nostram declarationem, n. 7, p. 49 ; et p. 52). Verum ipso missarum onere te levare non potes, nisi *proprio* Ordinario vel S. Sedi missas commiseris. Quamvis enim alii cuilibet sacerdoti eleemosynas tribueris, casum etiam fortuitum praestare debes ; nec finem habet obligatio, donec celebratae missae fidem sis assecutus. (Decr. *Ut debita*, n. 6.)

De hac sanctione haec sunt observanda. a) Si absque ullius culpa stipendia perierint apud ipsos sacerdotes qui ea receperint, graves scriptores (aliis tamen repugnantibus) ipsorum existimant obligationem cessare, saltem si missarum pecuniae satis a reliquo patrimonio manserint distinctae. Secundum hanc benigniorem sententiam, si sacerdos A. stipendium a fideli quopiam oblatum tradiderit sacerdoti B. apud quem fuerit furto sublatum, B. missam celebrare non debebit ; de suo autem supplere debebit sacerdos A. ex praesente decreto. Nec nimis est istud mirandum. Sicut fidelis offerens suo periculo elegit industriam sacerdotis A. is rursus, suo, non autem fidelis periculo, potuit sacerdotem B. eligere et pecuniam transferre in locum a fideli minime electum.

b) Decreto *Ut debita* necessitas exigendae fidei de celebrata missa sacerdotibus eleemosynas transferentibus directe non imponitur ; dum, in decreto *Vigilanti studio*, cum venia fit Ordinariis acceptas

---

[1] Cfr. SCHMALZGRUEBER, l. 3, t. 41, n. 133.

[2] Cfr. MANY. *De Missa*, n. 65.

[3] Cfr. tamen infra, p. 110, n. 3. In ÉTUDES, doctam scripsit R. D. CHOUPIN decreti *Ut debita* interpretationem, in qua, p. 117 (1905) contendit translationem extra dioecesim statutis synodalibus prohiberi posse. Verum positiva Episcopi potestas quae, etiam seclusa consuetudine, valeat ad istud praecipiendum, fuerit positive demonstranda. Nec satis est afferre exemplum unius concilii particularis cuius decretum est toleratum Romae, in coetu Congr. Concilii. Addas lege approbati concilii non clare definiri quaenam missae non possint extra dioecesim tradi celebrandae.

missas committendi sacerdotibus etiam aliarum dioeceseum directe lex apponitur : « dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores, et *legitima documenta edant* inter praefixum congruum tempus quibus de exacta eorundem satisfactione constet ». Decreto *Ut debita*, hoc unum edicitur : Qui missas tradit alteri dicendas, suo agit periculo, et tacite spondet missas celebratum iri. Hinc nascitur naturalis obligatio curandi ut congruo tempore ab alio celebrentur ; et securitas, per se, sine data celebrationis fide non habebitur. Sed si, pro nota sacerdotis diligentia, ex ipso eius silentio certus esse possis de missis debite celebratis, nihil ultra est tibi faciendum. Verum, ob multa pericula errandi, non potest satis commendari usus exigendi fidem. Decretum tamen ipsum non dicit : Sacerdotes obligari ad exigendam fidem, sed obligatione teneri usque dum « fidem non sint assecuti ». Atque hac ratione intellegenda est 8ª nostra annotatio, p. 49.

c) Ex ipso decreto *Ut debita*, Ordinarii qui missas committant sacerdotibus non subditis, seu alienis, et ipsi obligati manent donec fidem exegerint. Quid autem si missas suis commiserint subditis, vel si ipsi [1] missas tradant Ordinariis non propriis ? Iura tacent ; reicimur itaque ad naturalem iustitiam. Ac nostra quidem sententia, ex quo tibi concreditas missas sine positivo tribuentis assensu alii tradideris celebrandas, fortuito etiam casu teneris. Verum erunt qui benignius respondebunt, a quorum sententia probabilitatem abiudicare nolumus. Ita videtur, saltem de translatione ad Ordinarios, sentire BOUDINHON, CANONISTE CONTEMPORAIN, p. 463, 1904. Sed profecto requiritur ut ei personae transferatur obligatio quae omni vacet suspicione, seu quae, ut dicitur, sit omni exceptione maior.

2. Prohibetur tamen omnis translatio quae turpe sapiat mercimonium vel eius inducat periculum. Qua ratione, id explicavimus supra, p. 49, n. 9. 10.

3. Inhibetur etiam quominus missae studiose colligantur ad eas aliis non subditis tradendas, ob quemcumque finem agatur, nisi cum positivo assensu offerentium eleemosynas fiat earum translatio. Cfr. decr. *Ut debita*, et nostras declarationes, p. 48, n. 5 ; et 50, n. 10.

**Quo modo facienda sit translatio.** — 1. Per se sunt ita missae transferendae aliis, ut hi ex celebratione ius habeant ad missarum eleemosynas recipiendas *totas* et *in propria specie*. Prorsus tamen ultro ac liberaliter aliquid de stipendio remittere poterit celebrans, vel etiam aliam rem pro stipendio acceptare, ut monuimus, p. 49. 50, n. 9 Cfr. C. D'ANNIBALE, t. 3, n. 190. 191.

Ecclesiae tamen vel loco pio qui careat reditibus

---

[1] Ipsi, inquam, Ordinarii ; namque, ex art. 6, *sacerdotes* non videntur se obligatione levare posse, nisi missas tradendo vel S. Sedi, vel Ordinario *proprio*.

unde sufficiat impendiis celebrandarum missarum, licet a missarum ibi celebratarum eleemosinis impendia ista detrahere, dummodo tot celebrentur missae quot ab offerentibus eleemosynas fuerint praescriptae (C. *Nuper*, 7. 44.)

Indulto apostolico opus est, et quidem novo, ut possis ex eleemosynis missarum, decori atque ornamento ecclesiae consulere. (Decr. *Ut debita*, n. 11. 14.)

Observes non dici loci « ubi celebretur », sed loci *ubi sit bene*ne quaerendo loca ubi minore pretio consueverunt missae taxari, *ficium*, indirecte tibi eleemosynae retineas partem.

## VI. *Rationes reddendae et exigendae*

1. Tamquam communis saecularium et regularium obligatio praescribitur *annua ratio*, in libris missarum consignanda, quam ecclesiarum ministri Superioribus suis reddere debent.

2. Debent Ordinarii quilibet sollicite cavere ut a personis et in ecclesiis sibi subditis missae qua par est fide et dillgentia celebrentur, atque etiam ex officio et inquirendo exsecutioni decretorum de missis prospicere. Ita C. *Nuper*, n. 65, 66, qua sollicitudo ista Superioribus regularibus non tantum localibus, sed provincialibus et generalibus diserte imponitur. Etiam decreto *Vigilanti Studio* contrarios abusus Ordinarii saeculares et regulares in visitatione coercere iubentur ; plena etiam decreti *Ut debita* exsecutio ipsorum sollertiae committitur, ita ut nominatim curent ut praescriptae tabellae et libri in ecclesiis habeantur.

3. Praeterea de eleemosynis deponendis in capsa peculiari et de missarum celebratione est a ministris ecclesiarum *regularium menstrua* superiori ratio reddenda coram domestico consilio.

Ubi capsae usus fuerit obsoletus, ratio reddetur de eleemosynis receptis et de celebratione.

4. In *provincialibus* capitulis seu congregationibus, Superiores locales attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus suae domus subscriptam et iuratam exhibere debent, qua testentur, tempore eorum regiminis, omnibus et singulis perpetuis vel manualibus missarum oneribus esse ita satisfactum, ut saltem nullum supersit quod intra breve tempus non possit impleri. (C. *Nuper*, n. 67.)

Obligatio ista, cuius minus aperta est vis et significatio, videtur paucis esse exponenda.

a) Cum provincialia respiciat capitula, lex *praeterire* videtur *eas religiones* quae huiusmodi capitulis carent, ut monacales, quae perpetuos habent superiores abbates.

b) *Res testanda* est adimpletio, *moraliter integra*, onerum missarum ; idque, ut decretum est communiter intellectum, quatenus satisfactio dependet a singulis *religiosis* et quatenus dependet a *Superiore*. Ut aliis utamur verbis :

Dum iuratam hanc subscribunt fidem, singuli religiosi tacite iurant se missas ad praescriptas intentiones re vera celebrasse, nec in hac re esse mentitos ;

Et simul confirmant communitatem praestitisse quod debebat.

c) *De modo* quo id constare debet ut iuramentum emitti possit. Propriae fidelitatis testis erit sua cuique conscientia. Quid autem de fidelitate communi et Superioris ? Observes, in Const. *Nuper*, nullum fieri Superioribus praeceptum suppeditandi subditis plenae investigationis media ; quae media, ceterum, ne ipsis quidem sunt pervia, cum fictae celebrationes cognosci nequeant. Simul tamen aliae eiusdem decreti dispositiones, eae praecipue quae sunt de tabellis et libris, iam satis per se commodam omnibus faciunt rationabilem indagationem. Observes denique, eo minus a singulis exquisitam postulari diligentiam quo plures fidem dare debent. Quare fides est tacitae condicioni obnoxia, *quantum sciam*. Atque, ut eam tuto dare possint, satis erit ut de praetermissis oneribus nulla fama sit in monasterio vel suspicio positiva, et libri sacristiae videantur diligenter conscripti. Quid autem si libros in sacristia inspiciendi singulis non detur copia ? Fieri potest ut positiva occultatio infidelitatis iniciat suspicionem, quae tunc erit diluenda antequam fides subscribatur, ita saltem ut suspicionis causa in formula indicetur. Si vero id ferat usus, nec ullus inde sit suspicioni locus, videntur nobis religiosi iuramentum dare posse *quantum sciant*. Hac duplici movemur ratione. a) Opportunitate non caret tale iuramentum, quo propria singulorum demonstretur fidelitas, et simul constet nullum in monasterio rumorem serpere infidelitatis. b) Nullam Innocentius XII iniunxit specialem sacerdotibus diligentiam, nec ius tribuit exigendi rationes. Itaque, cum nulla est contraria suspicio, videtur ea tantum requiri diligentia, quae onere investigandi fere careat.

d) Quid est *breve tempus* intra quod omnibus oneribus satisfieri possit ita ut affirmari possit moraliter integra adimpletio ?

Est profecto omne tempus implendis oneribus utile ex Decr. *Ut debita*. Tunc enim nullum omissum est officium. Sed etiam si quaedam mora fuerit in quibusdam oneribus implendis, dummodo infra mensem omnia praestari queant, existimamus fidem non esse negandam Superiori.

N. B. De iurata ista attestatione plura refert Reiffenstuel, l. 5, t. 8, n. 214.

5. In fine regiminis debent Provinciales, Vicarii et Visitatores provinciarum seu congregationum, Generali « in forma probante ostendere » se in hac parte munere suo esse functos. (C. *Nuper*, n. 68.)

## VII. *Sanctiones et Poenae*

I. **Peccatum.** — Leges de celebratione Missarun non sunt mere poenales. Obligant itaque ipsam conscientiam, et quidem *per se graviter,* quamvis parvae materiae excusationem non excludant. De reatu isto aliquid diximus, in *Period.* n. 11, p. 50.

II. **Nullitas.** — 1. Nullae sunt reductiones onerum factae contra decreta de celebratione missarum. (C. *Nuper*, 4 )

2. Aliae positivae nullitatis sanctiones in decretis non leguntur. Quare irriti non erunt alii actus vel pactiones, nisi quatenus iniustitiae labe sint infecta. Porro a) Iniuste omittuntur missae indebite reductae quod ad numerum vel qualitatem ; b) Iniuste a *non sacerdote* retinetur pars stipendii traditi pro celebratione missarum ; c) Iniuste *post celebrationem* negatur sacerdoti eleemosyna integra et in propria specie, ad quam ius habet ; d) Iniuste, *ante celebrationem*, nisi liberalis fuerit facta remissio, sacerdoti non promittitur talis eleemosyna quae ipsi, pro suae regionis more fuerit congrua.

Sed, contra, valent onera suscepta sine Ordinarii licentia. Ordinario tamen competit quoddam ius rescindendi actum, saltem si causa accesserit laesionis, vel ecclesia non iam possit omnibus satisfacere oneribus. Cfr. MANY, *De Missa*, n. 63, fine.

III. **Restitutio.** — Si missae indebite fuerint omissae, praeter gravem reatum, induci restitutionem, formaliter definitur C<sup>e</sup>. *Nuper*, n. 5.

De hac restitutione, fac advertas, ad eam plene faciendam requiri ut vel suppleatur missa, vel sic reddatur eleemosyna ut stipendii auctor possit dicendae missae consulere. Facta enim pactione de missa, a sacerdote vel accipiente eleemosynam debetur non eleemosyna vel aliquid eleemosynae aequivalens, sed spirituale subsidium actionis sacrificalis. Haec itaque est praestanda vel compensanda. Quare non satis fuerit stipendium occulte restituere.

Restituendum praeterea erit, quotiens damnosa fuerit commissa iniustitia.

IV. **Censurae latae sententiae.** — 1. C[e]. *Nuper* plura sanciuntur interdicta quae C[e]. *Apostolicae Sedis*, De censuris latae sententiae, sunt abrogatae.

2. Qui rei vel complices fuerint turpis mercimonii descripti decreto *Vigilanti Studio*, si sacerdotes, sunt·

ipso facto obnoxii suspensioni a divinis quae S. Sedi reservatur; si clerici, praeter eandem suspensionem, qua eodem modo afficiuntur, inhabiles fiunt ad superiores gradus; si laici, obstringuntur excommunicatione latae sententiae quae est a iure Episcopis reservata. (Decr. *Vigilanti Studio.*)

3. Etiam committuntur poenae modo enumeratae ab iis qui *ausi sint* (Cfr. dicta p. 50, n. 11) sanctiones violare n. 8, 9, 10, 11 Decr. *Ut debita* contentas, quibus turpis mercimonii avertuntur pericula, vel prohibetur ne, sine novo indulto, pars stipendii retineatur ad consulendum decori et ornamento ecclesiae. Decr. *Ut debita*, n. 12.

4. C^e^. *Apostolicae Sedis*, 52, n. 12, feriuntur excommunicatione S. Pontifici simpliciter reservata, quotquot, ad lucrum captandum, eleemosynas colligunt maioris pretii easque faciunt celebrare in locis (iisdem vel aliis), ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

V. **Aliae poenae latae sententiae.** — C^e^ *Nuper* poenae plures feruntur contra regulares, quae poenae sunt omnes S. Sedi reservatae. Sunt autem sequentes:

a) Regulares onera perpetua admittentes sine Generalis vel Provincialis licentia, ipso facto et absque declaratione, incurrunt in privationem omnium officiorum, inhabilitatem ad alia officia de cetero obtinenda, vocisque activae et passivae (C. *Nuper*, n. 8 & 49.)

b) Superioribus localibus omittentibus (vel ita differentibus ut gravis sit transgressio legis) praescriptam C. *Nuper* legis lectionem, ipso facto indicitur privatio officii et vocis activae et passivae. (C. *Nuper*, n. 12 & 64.)

c) Qui ex munere debitam tabellae, et librorum praefatorum curam neglexerint, et superiores ecclesiarum qui rationem non exegerint vel non caverint ut praepositi libris et tabellae muneri suo satisfaciant, ipso facto, absque alia declaratione, voce activa et passiva, « gradibus et officiis privati sint et intellegantur, necnon ad huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur et inhabilitati sint ». (C. *Nuper*, n. 63.)

d) Ante exhibitam iuratam fidem de qua supra, nullam habent *locales Superiores* vocem activam et passivam in capitulis vel congregationibus provincialibus.

VI. **Poenae ferendae sententiae.** — 1. Ob culpam

neglectarum obligationum in hac re, omnes Superiores regulares, etiam generales, incurrunt in poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum, necnon inhabilitatis ad ea. (C. *Nuper*, n. 66, 67.)

2. Provinciales, Vicarii, Visitatores provinciarum, nisi in fine regiminis probaverint se muneri suo in hac re satisfecisse, ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus sunt admittendi.

3. Ob delictum de quo n. V, c., saeculares incurrunt in poenam suspensionis. (C. *Nuper*, n. 63.)

4. Rectores locorum piorum et operum piorum et ii quibus cura competit tabellarum, etc. in ecclesiis quae ad ordines regulares non pertinent, rationes exigere vel reddere debent « sub poenis arbitrio, et in subsidium excommunicationis ». (C. *Nuper*, n. 69.)

## VIII. *Vetita quarundam legum interpretatio*

Numeris 13 et 70, vetat C. *Nuper* ne fiant suorum decretorum interpretationes. Huiusmodi clausulis non prohibetur simplex verborum expositio, sed tale interpretandi genus, quo, contra simplicem verborum significationem, quaeruntur excusationes et derogationes.

## IX. *Praescripta lectio vel communicatio*

1. Decreta quae C^e *Nuper* continentur debent in sacristia ecclesiarum saecularium retineri *publice exposita*. (C. *Nuper*, n. 64.)

2. Bis in anno, in mensa publica, est a regularibus facienda lectio decretorum eiusdem Constitutionis. (C. *Nuper*, n. 12 et 64.)

3. Ordinarii *saeculares et regulares* debent decretum *Vigilanti Studio* diligenter notum facere et in visitatione contrarios coercere abusus. (Decr. *Vigilanti Studio.*)

## X. *Legum vis et extensio*

1. Decretis *Vigilanti Studio* et *Ut debita* tenentur *omnia Instituta clericorum*, ita tamen ut nomine *Ordinariorum* non veniant nisi Praelati Regularium vel Instituti exempti. Instituta non exempta debent in his rebus subesse Ordinario dioecesano. Arguimus ex C. *Conditae*, 2 parte, n. 5, 9, 11, et ex principio generali,

quod in obligationibus communibus clericorum Instituta non exempta parere debeant Episcopo, cum Congregationes clericales votorum simplicium existimentur esse de corpore *clericorum saecularium* [1].

2. C. *Nuper* omnes obligat *Ordines regulares*, etiam eos qui non solent onera missarum recipere. Ita est responsum in declarationibus, n. 35, quod ad decretum de numero religiosorum in singulis conventibus recipiendo.

Sed oportet ut condiciones adsint quae decretis supponuntur. Quare, si non ipsa domus regularis, sed quidam tantum religiosi, ob peculiares causas, stipendia missarum accipiant, eae tantum partes decretorum de eleemosynis sunt applicandae quae cadunt in simplices sacerdotes et eorum superiores.

3. *Instituta votorum simplicium*, cum exempta tum non exempta, proprias regularium obligationes non participant. Quare C<sup>e</sup>. *Nuper* non obligantur nisi ut sacerdotes vel clerici saeculares. Illud tamen interest inter exemptas et non exemptas Congregationes, quod exemptae Congregationes uti possunt Superioribus suis tamquam Ordinariis, dum non exemptae pro Ordinario habent Episcopum dioecesanum.

Hinc, a) Omnia Instituta afficiuntur prohibitione reducendi missas et praecepto celebrandi tot missas quot fuerint praescriptae.

b) Ad acceptanda onera perpetua, Instituta non exempta opus habent licentia Episcopi vel Vicarii generalis.

c) Publica decretorum lectione et poenis Regularium non tenentur Instituta votorum simplicium.

N. B. 1. Quamvis Superiores Congregationis non sint proprie Praelati Regulares, evidens tamen causae paritas demonstrat ipsos etiam posse *subditis* accipere et quaerere eleemosynas, ut de Praelatis Regularibus statuit decretum *Ut debita* n. 1.

2. Si quando, ex eleemosynas offerentium consensu, missas acceperis aliis sacerdotibus transferendas, re vera hi primum *per se* obligationem contrahunt missas celebrandi. Quocirca, si ex designatione personarum quibus missae sint a te tradendae, vel alia ratione perspiciatur te non esse nisi mandatarium ad missas mittendas, nec ipsam celebrationem esse tuae fidei commissam, facta translatione mandato tuo es functus, nec ulla praeterea teneris tu obligatione.

3. Re vera, de missis quas Ordinarii suis subditis committant celebrandas, decreto *Ut debita* nihil novum edicitur.

---

[1] Cfr. causam a S. C. Ep. et Reg. diremptam die 16 sept. 1864, apud Bizzarri, *Collectanea*, p. 796, ed. 1.

# SUPPLEMENTUM DECIMUM

## DE VARIIS DUBIIS

I. *De speciali iure paupertatis quo utuntur Religiosi Belgii et Hollandiae.*

**Quaestionis occasio.** — Quamvis de vi Indulti a Leone XIII Regularibus Belgii concessi iam dixerimus in supplemento sexto, t. 2, p. 77 et ss. et in duodecimo, p. 180 et ss., rei momentum et cotidianus usus id habent ut novae oriantur dubitationes de quibus hic breviter dicere nobis in animo est.

**De Superioris potestate.** — Quaeritur utrum necne possit Superior religiosos prohibere ne quidpiam sibi, excluso monasterio, acquirant religiosi, praeter hereditates et legata vel dona consanguineorum.

Respondemus id non tantum fieri posse, verum etiam esse laudabile. Ideo enim est indultum concessum ut civili religiosorum prospiciatur incolumitati, minime autem ut perdatur vita communis, cui tantopere favet S. Sedes. Iam vero multis privatis possessionibus de hac derogari quis non videt? Quare, cum non liceat religiosis Belgii vel Hollandiae quidpiam acquirere nisi dependenter a Superioribus, merito negantur licentiae quae religiosae vitae et paupertatis spiritui sint contrariae.

**De efficacia prohibitionis.** — Quaeritur num dispositio facta a religiosis non dependenter a Superioribus sit mere prohibita an etiam invalida.

Respondemus, prohibitiones Superiorum vel licentiae defectum valori actuum non obstare. Memorato enim Indulto aufertur absolute inhabilitas regularium ; dein, quod ad usum, obnoxii dicuntur suis Superioribus. Sed actus personae habilis per se valet, nisi pronuntietur eius nullitas.

II. *De litteris testimonialibus petendis ante ingressum in Institutum religiosum.*

Perspicua iuris sanctione prohibentur Superiores religiosi quempiam ad habitum admittere, antequam litteras obtinuerit testimoniales Ordinariorum cum originis tum locorum omnium in quibus postulans, 15 an-

nos natus, ultra annum moratus fuerit. Cfr. nostrum *De Religiosis*, t. 1, n. 166 et ss.

Hinc occurrebat quaestio, utrum annus commorationis intellegendus esset *continuus*, an etiam *interpolatus*. Ac sufficere interpolatum, respondimus in eodem opere, p. 102, nota 1, sententiam imitati scriptorum libelli periodici MONITORE.

Recens autem, 25 iunii 1904, prodiit responsio S. Congregationis Concilii de litteris testimonialibus requisitis ad *ordinationem*, qua pronuntiavit: « Ordinarium non teneri sub poena suspensionis ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de *trimestri vel semestri moraliter continuis*, salvo iure Episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minore vel discontinua commoratione, aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit [1]. »

Iam vero, cum in iure canonico litterae testimoniales severius postulentur pro ordinationibus quam pro religiosi habitus susceptione, arbitramur nos eo responso uti posse, ut supra memoratam sententiam emolliamus, et negemus litteras iure positivo requiri, si per spatia tantum separata candidatus annum in dioecesi una compleverit.

Observes tamen non esse opus anno *physice* continuo, sed qui *moraliter* sit talis. Quare sic dicemus: a) Cum litterae non exigantur nisi candidatus *ultra annum* in eadem versatus sit dioecesi, oportet ut re vera ibi fuerit per 365 dies plenos, ita ut etiam anni bisextilis habenda sit ratio quam ante explicavimus (Cfr. supra, p. 3).

b) Commoratio per istud tempus debet fuisse moraliter continua. Morali continuitati non obstant pauci dies, vel etiam hebdomadae quibus extra dioecesim sit versatus. Immo si animus fuerit revertendi, ne maius quidem spatium obstabit. Sic, si quis per ferias soleat abesse, redire autem tempore scholarum, tempus ante ferias moraliter continuabitur cum tempore ferias consequente. Et quotiens candidatus in vulgari aestimatione dicere debeat, « per integrum anni spatium moraliter in tali versatus sum dioecesi », totiens erunt litterae testimoniales ab illius dioecesis Ordinario postulandae.

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 380.

III. *Qua formula petatur et obtineatur prorogatio votorum temporariorum ultra legitimum spatium,* habes in hoc exemplo :

Beatissime Pater,

N... Soror Instituti....., obtenta Superiorum venia, Sanctitatem Vestram humillime rogat quatenus ipsi concedere digneris gratiam emittendi ad annum vota temporaria, quamvis tempus legitimum temporariae professionis sit elapsum. *Petitio.*

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SS^mo Domino Nostro concessarum, S. Congr. Em^orum ac Rev^morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, benigne remisit E^mo Archiepiscopo Mechliniensi, ut petitam facultatem iuxta preces, pro suo arbitrio et prudentia concedat, non ultra tamen annum. *Rescriptum in forma commissoria.*

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 29 iulii 1904.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

*Ph. Giustini, Secret.*

# MONUMENTA

## 41. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

### *INSTRUCTIO 24 IULII 1899 ET PRIVILEGIA*

### De triduana vel octiduana celebratione beatificationis vel canonizationis

I. *Instructio 24 iulii 1899.*

*Triduana sollemnia, quid sint et qua ratione celebranda.*

Haec triduana sollemnia consistunt in cultu et honoribus Altarium prima vice per tres dies continuos novo alicui Beato tribuendis. Huiusmodi cultus caerimoniae praecipuae *stricte liturgicae* sint oportet, quae nimirum Missam sollemnem et etiam, si commode fieri possit, Vesperas sollemnes complectantur. Permittuntur autem praeter illas et aliae functiones ecclesiasticae, uti preces quaedam cum interposita Oratione Dominica et Angelica salutatione, Litaniae Lauretanae, necnon, praevio tamen consensu Ordinarii, sollemnis Benedictio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

*De oratione panegirica.*

Oratio panegirica fiat inter *Missarum sollemnia* post cantatum Evangelium, quae in casu habebitur velut Homilia; vel etiam sive ante sive post Vesperas recitari poterit. Tertia vero die non omittatur cantus sollemnis *Te Deum,* cum oratione solita *pro gratiarum actione.*

*Praescripta gratiarum actio.*

*Instructio est servanda in octavariis.*

Haec dispositio, quae pariter in Octavariis sollemnibus occasione alicuius Canonizationis servanda est, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in audientia diei 24 iulii 1899 approbata fuit.

*Approbatio pontificia.*

*Dies (24 iulii 1899).*

Datum ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 24 iulii 1899.

C. Card. MAZZELLA, *Praef.*

*D. Panici, S. R. C. Secret.*

II. *Privilegia quae in triduo vel octiduo sollemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione per Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis a summo Pontifice concedi solent* [1].

*Missarum qualitas.*

I. In sollemniis, sive triduanis pro recenter Beatificatis, sive octiduanis pro recenter Canonizatis, quae celebrari permittuntur, Missae omnes, sive sollemnes sive privatae, inter Votivas recensendae sunt. Ob peculiarem vero celebritatem, Sanctitas Sua indulget,

[1] Qua die haec privilegiorum forma sit a S. Rituum Congregatione probata, non constat; prodiit autem in libellis periodicis, anno 1901-1902.

ut omnes ac singulae dicantur cum *Gloria* et *Credo*; semper autem habebunt Evangelium S. Ioannis in fine, iuxta Rubricas. Missa tamen sollemnis dicatur cum unica Oratione : reliquae vero privatae cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed Collectis exclusis. *Ritus.*

II. Missam sollemnem impediunt tantum duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae, quae praefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In Duplicibus tamen primae classis addatur Orationi diei unica commemoratio de Beato vel Sancto sub unica conclusione: in duplicibus autem secundae classis Orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis Missis, praeter Orationem de Beato vel Sancto, omnes quas ritus exigit commemorationes occurrentes, Collectis, ut supra, exclusis. Similiter in reliquis privilegiatis diebus Missae sint iuxta ritum diei, commemoratione de Beato vel Sancto semper suo loco addita. Quod Praefationem spectat, serventur Rubricae. *Dies impeditae. Quisnam ritus tunc servandus.*

III. In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam Conventualem vel Parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit. *Ne omittatur Missa conventualis vel parochialis.*

IV. Si Pontificalia Missarum ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona : quae tamen Hora minor de Beato vel Sancto semper erit, substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit. *Hora canenda ante Pontificalia Missarum ad thronum.*

V. Quamvis Missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de Beato vel Sancto sollemniores facere licebit absque ulla commemoratione : quae tamen cum votivi rationem induant, pro satisfactione inservire non poterunt. *Quae Vesperae permittantur.*

VI. Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum sollemnia, vel vespere Oratio panegyrica, analogae ad Beatum vel Sanctum fundendae preces, Litaniae lauretanae, et maxime sollemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero Tridui vel Octidui die Hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* et Orationibus de SS^mo Sacramento ac pro gratiarum actione, sub unica conclusione, sollemniter decantandus, nunquam omittetur. *Aliae functiones permissae. Non omittendus hymnus* Te Deum, *etc.*

VII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Beatos vel Sanctos impensius fovendam, Sanctitas Sua, thesauros Ecclssiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus qui vere paenitentes, confessi ac sacra synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana sollemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis, benigne concedit : iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enuntiato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in iis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio exsistentibus, indulget. *Indulgentiae.*

## 42. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

***RESPONSUM*** [1] ***21 NOV. 1902.***

### De abdicandis reditibus bonorum ante simplicem professionem

*Dies (21 nov. 1902).* **Dubium.** Die 21 novembris anni 1902, S. Congr. Episcoporum et Regularium, proposito dubio : « Se possa un religioso, prima della professione, disporre che i frutti del suo capitale accumulino al capitale stesso, » respondendum censuit : [2]

**Responsum.** *Negative.*

Ita reperitur in fasciculo supplicum libellorum quod asservatur in archivio S. Congr. Episcoporum et Regularium.

In cuius fidem, etc.

*Communicatio.* Datum Romae, ex eadem Secretaria, hac die, 29 novembris 1902.

*Philippus Giustini, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Ratio istius responsionis, quae contraria est solutioni quam dedimus, t. 1, n. **246**, 3, videtur ad omnes pertinere quotquot faciunt simplicem professionem, nisi a probatis Constitutionibus aliud edicatur.

2. Quod ad vim decreti : **a**) Non prohibet quin ex reditibus solvantur omnia impendia necessaria vel utilia ad patrimonium servandum integrum ; **b**) Nec vetat, quin in finem pium novicius velit per aliquot annos servari reditus donec, v. g. perficiatur summa quaedam isti fini sufficiens ; **c**) Cum simplici paupertatis voto radicale servetur dominium, contraria dispositio, quamquam illicita, non tamen fuerit invalida ; **d**) Tam generalem putant esse contrariam multorum religiosorum persuasionem scriptores REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE, ut nondum ausi fuerint ob sic editam declarationem rem religiosis stricte imponere. Cfr. p. 396, t. 9 (1904). **e**) Quod si ex Instituti *consuetudine*, a decem saltem annis recepta, ista fructuum conservatio non videatur repugnare disciplinae paupertatis ut est, silentibus Constitutionibus, intellecta, huiusmodi consuetudinem hac responsione tolli vel improbari non arbitramur.

---

1 MONITORE ECCLESIASTICO, t. 16 (1904), p. 252.

2 Id est latine : Potestne religiosus, ante professionem suam (simplicem), statuere ut patrimonii sui fructus ipsis bonis accrescant.

## 43. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (29 Iulii 1904)

### *DE VARIIS DUBIIS SPECTANTIBUS SACROS RITUS APUD REGULARES*

**Ordinis Fratrum Minorum Prov. Angliae** [1]

Reverendus Pater Thaddeus Hermans, Kalendarista Provinciae Anglicae Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Procuratoris Generalis, solutionem sequentium dubiorum a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit, nimirum: *Orator.* **Dubia.**

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

III. Utrum Regulares in Anglia et alibi commorantes, in recolendo anniversario Ecclesiae Cathedralis, uti limites Civitatis intellegere debeant etiam suburbia Civitatis hodiernae; an potius eos restringere fines ad primitivam Civitatem seu Burgum, quandoque sat exiguum, ubi Ecclesia Cathedralis aedificata fuerat? *III. An suburbia pars sint civitatis.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

VI. Utrum Sacerdotes Regulares celebrantes in Oratorio interno Sororum cuiuspiam modernae Congregationis et fidelibus minime patenti, Missam iuxta Kalendarium sui Ordinis debeant celebrare; an potius iuxta Ordinem dioeceseos in qua Sorores huiusmodi, Kalendarium proprium ex privilegio vel usu legitimo non habentes, moram trahunt? *VI. Calendarium Oratorii Sororum.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

VIII. Num Ordinarius praecipere possit, ut sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares, in Missis lectis tertium cereum accendant in Canone apud eam dioecesim, ubi, sicut in universa regione, mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem iamdudum abierit? *VIII. Praeceptum Ordinarii restituens morem liturgicum.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

X. Cum anniversaria late sumpta ex Decreto SS. RR. Congr. diei 2 decembris 1891, n. 3753, sint ea quae *semel* in anno a Communitatibus fieri solent: num Ritus duplex sit retinendus pro Officio generalissimo Omnium Defunctorum Ordinis Sacraphici et pro Anniversario *Omnium Parentum nostrorum;* atque in aliis tribus anniversariis, sic vocatis, in Ordine celebrari solitis, Ritus semiduplex sit assignandus, tresque orationes in Vesperis et Laudibus ac Missa recitandae? *X. Ritus anniversariorum communium.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: **Responsa.**

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Ad III. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. *Ad III.*

Ad VI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. *Ad VI.*

Ad VIII. Affirmative ex rubrica generali Missalis, tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii, non obstat decretum 4029, *Postulationis dubiorum*, 9 iunii 1899, ad 2 [2]. *Ad VIII.*

---

[1] ACTA S. SEDIS, t 37 (1904-1905), p. 118 ss.

[2] « Utrum alia consuetudo servari possit non accendendi tertium cereum in missis lectis a consecratione ad communionem? — Affirmative. »

*Ad X.* Ad X. Affirmative ad primam partem; et, quod ad secundam, tria anniversaria fieri posse sub ritu duplici.

*Dies (29 iulii 1904).* Atque ita rescripsit die 29 iulii 1904.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

ANNOTATIO

Responsio ad VIII dubium mira iudicari possit, cum solutio exemptioni Regularium videatur contraria. Verum iamdudum, teste Fagnani [1], S. Congregatio Concilii, nixa decreto Tridentini Concilii, c. un. s. XXII, *De observandis et vitandis in celebratione missarum*, existimavit esse a Regularibus praestanda quaecumque ab Ordinariis Locorum de observandis et vitandis in missarum celebratione statuerentur.

---

## 44. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (11 nov. 1904)

### *RESP. DE PRIVILEGIO CONFRATERN. SS. SACRAMENTI* [2]

**Goana**

*Orator* **Dubia.** Hodiernus Rmus Dnus Antonius Sebastianus Valente, Archiepiscopus Goanus, Patriarcha Indiarum Orientalium, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit, nimirum :

*Vis privilegii praecedentiae.* I. An ex eo quod Confraternitati Sanctissimi Sacramenti competit loci praecedentia in processionibus eucharisticis, eidem etiam prae caeteris confraternitatibus ius adsit sustinendi hastas baldachini sub quo Venerabilis Eucharistia deducitur, necnon portandi ad utrumque baldachini latus lucernas elatas ?

*Mos contrarius.* II. Et quatenus affirmative, an ab Ordinario mos permitti possit, cuius vi aliae confraternitates in titularis sui festo processionem cum venerabili Eucharistia peragentes consuevere hastas baldachini et utrimque lucernas elatas portare, data de cetero loci praecedentia Confraternitati sanctissimi Sacramenti ?

**Responsa.** Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

*Ad I.* Ad I. *Affirmative.*

*Ad II.* Ad II. *Negative.*

*Dies (11 nov. 1905).* Atque ita rescripsit, die 11 novembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

[1] In 1 Decret. t. 31, *De Officio Iudicis Ordinarii*, c. *Grave*, 19, n. 46.

[2] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 341. Privilegium memoravimus, t. I *De Religiosis*, n. 556 et 558.

## 45. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 12 NOV. 1904*

### De consuetudine temperante legem clausurae [1]

Responso 24 aprilis 1903, quod dedimus supra, p. 15, S. Congr. certis legibus permisit consuetudinem dioecesis Zamorensis, secundum quam sacerdotes plures clausuram monialium ingredi solebant ad funus honestandum defunctarum monialium. Hinc quaesitum est ab Italiae Episcopo utrum responso isto uti posset ad permittendum usum similem Ursulinarum in pago Cannobio, praesertim cum sorores difficile possent corpora defunctarum in publicam deferre ecclesiam. Cui quaesito his verbis respondit S. Congregatio : *Summa supplicis libelli.*

« S. Congr. Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concurrentibus, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet : *Enuntiatam consuetudinem tolerari posse.* *Responsum.*

Romae, 12 novembris 1904. *Dies (12 nov. 1904).*

A. Card. FERRATA, *Praef.*

*Philippus Giustini, Secretarius.*

---

## 46. — S. CONG. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA [2] 25 NOV. 1904*

### De admissione ad professionem et dimissione ab Ordine

In Constitutionibus Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum, cap. 42, par. 6, *De approbationibus noviciorum*, n. 2 et 3, legitur : *Memorantur Constitutiones Ordinis.*

« In anno approbationis Novicii ter proponantur Capitulo conventuali, ut iudicet an, attentis eorum vita et moribus, digni sint ut ad professionem admittantur... Post quartum mensem a receptione habitus proponantur prima vice Novicii dicto Capitulo, secunda post octavum, tertia post decimum mensem. Ut Novicius censeatur approbatus, debet habere maiorem partem suffragiorum secretorum ; quod si eam non habuerit, statim habitu spolietur, et modeste dimittatur. At semel approbatus a Capitulo, habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius Capituli conventualis ; vel saltem consentientibus et convenientibus Ministro et Magistro et Patre Generali vel Provinciali ».

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 441.
[2] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 443.

*Usus hodiernus.* Usque modo observata fuit haec constitutio tamquam non opposita Decreto Pii PP. IX diei 25 ianuarii 1848 exordiente *Regulari disciplinae.* Nunc vero cum exortum sit dubium, humillimus infrascriptus orator quaerit :

**Dubia.** *De legitimitate usus.* I. Utrum supradicta constitutio eidem Decreto opponatur? Et quatenus affirmative :

II. Utrum ad dimittendos extra Ordinem Novitios ante decimum mensem a receptione habitus sufficiat consensus Ministri domus noviciatus et Noviciorum Magistri, an insuper requiratur assensus Patris Generalis vel Provincialis?

**Responsa.** Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, propositis dubiis respondendum esse censuit, prout respondet:

*Ad I.* Ad I. *Affirmative.*

*Ad II.* Ad II. *Standum esse Decreto* Regulari disciplinae, *diei 25 ianuarii 1848.*

*Dies (25 nov. 1905).* Romae, 25 novembris 1904.

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Philippus Giustini, Secret.*

Annotationes

1. In primis observandum est omnem istam quaestionem non attinere nisi ad Italiam et insulas adiacentes, ad quas regiones vis decreti *Regulari Disciplinae* [1] est conceptis verba contracta.

2. Legenti generalem istam S. Congregationis responsionem, statim occurrit quaestio quid in Constitutionibus *Ordinis SS. Trinitatis* de noviciorum approbatione et dimissione decreto *Regulari Disciplinae* definite repugnet. Istud in responso S. Congregationis tacetur, nec rem versant periodicae canonici iuris ephemerides, si unam demas Revue théologique française, p. 226 sqq. Hanc porro quaestionem pro viribus ordinatim solvere nobis in animo est, ita ut, indicatis prius punctis quae desiderentur vel sint mutanda, subiungamus dein alia quae servari posse videantur. Itaque:

a) *Quae desiderentur in usibus Ordinis SS. Trinitatis,* ut decreto *Regulari disciplinae* fiat satis.

α) Personalis exploratio voluntatis novicii, duobus ante professionem [2] mensibus facienda a Provinciali vel ab eius delegato; dein secreta de novicio interrogatio tum magistri noviciorum, tum Religiosorum, etiam conversorum monasterii; et conventus capitularis cui idem Provincialis vel delegatus praesit, et in quo de novicii admissione ad professionem per secreta suffragia sententia feratur. Cfr. n. III 2ae partis decreti.

---

[1] Decretum reperitur inter *Monumenta* nostra, n. **34**, p. 289; et n. **35** adduntur declarationes.

[2] Professionem intellegas simplicem, quae ante sollemnem est facienda. In ordine enim ad simplicem professionem est observandum decretum *Regulari disciplinae.* Cfr. decl. 19 martii 1857, 5°, inter *Monumenta* nostra, n. **34**, p. 334.

β) Relatio actorum capituli a Provinciali tribus saltem examinatoribus provincialibus communicanda. Quinam sint isti examinatores, habes ex decreti priore parte, n. II et IV. Examinatores isti una cum Provinciali et magistro noviciorum convenire debent ; in quo coetu, facto prius ob omnibus iuramento « se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exsecuturos », excipitur de novicio relatio magistri noviciorum, quam is, si impeditus fuerit, iuratam et a se signatam mittere potest ; et per secreta suffragia Provincialis et examinatorum suffragia definitur utrum necne novicius iis dotibus sit praeditus quae religiosa professione exigantur. Cfr. n. IV 2ae partis eiusdem decreti.

γ) Relatio istius scrutinii, si novicio faverit, facienda a Provinciali ad Generalem, et huic libera relicta facultas novicium, non quidem admittendi si reiectus fuerit, sed dimittendi approbatum, si ita in Domino ipsi videatur. Cfr. n. V, ibidem.

b) *Quae servari posse videantur.* Initium dicendi sumimus ab articulo VII 2 partis decreti *Regulari disciplinae:* « Si quid ulterius exigant Constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis noviciis ad professionem, id servandum erit in ea duntaxat parte quae tenori huius decreti minime contraria sit. » Hinc, ita dicimus :

α) Servari possunt tres conventus capitulares, de quibus in supplici libello, et duo priores quidem ea forma quae hactenus est usurpata. Tertius tamen, ne, post decimum mensem, parum utiliter bis de eadem re congregetur capitulum, aptari debet ad formam modo sub littera a) indicatam.

β) Ex Constitutionibus Ordinis SS. Trinitatis, suffragiis capituli conventualis haec vis inest, ut dimittendus sit novicius qui in eodem fuerit reprobatus. Quaeritur itaque num dispositio ista servari possit. Quod negant scriptores REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE, hac fulti ratione, quod rei arbitrium ex decreto *Regulari disciplinae* scrutinio provinciali committatur. Nos potius in affirmantem propendemus sententiam. Decretum enim *Regulari disciplinae* non eo fine est conditum ut novicium protegat contra dimissionem, sed ut Ordinem a parum idoneis tueatur sociis « ut ii tantum recipiantur qui, superna vocatione ducti, morum honestate ceterisque dotibus praediti religionem ingrediuntur cupientes Deo inservire, etc. [1] » Maiorem ergo severitatem saepe memorato decreto minime adversari arbitramur, sed oportet ut ius repellendi novicium servetur etiam scrutinio provinciali et Superiori Generali Ordinis.

γ) Simili ratione solvendam ducimus alteram quaestionem ab oratoribus S. Congregationi propositam, cui haec mere respondit servandum esse decretum *Regulari disciplinae.* Etenim, cum hoc decreto de dimissione novicii ante decimum noviciatus mensem nihil edicatur, suus cuique Ordini usus permittitur, modo nullum afferatur praeiudicium iuri expellendi novicium quod, post decimum mensem, est examinatoribus provincialibus et Superiori Generali concessum.

---

[1] Decretum, in praefatione.

## 47. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (14 dec 1904)

### *RESCRIPTA DE TITULARIBUS ABBATIAE EXSTINCTAE*[1]

**Dubiorum**

**Dubia**
*De functionibus pontificalibus.*

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. An Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate etiam regia titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praeposituræ iampridem destructae, aut penitus exstinctae, functiones pontificales celebrare possint?

*De insignibus.*

II. An saltem iidem Abbates vel Praepositi titulares, insignia quibus utuntur Abbates mitrati, sive pontificalium usum habentes, uti sunt crux pectoralis, mitra et baculus, gestare unquam possint?

*De benedictione.*

III. An iidem, qua tales, benedictionem ullam recipere possint, et praesertim illam quae invenitur in Pontificali Romano?

**Responsum.**

Et sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis die 29 novembris hoc labente anno ad Vaticanum coactis, exquisita prius sententia Commissionis Liturgicae, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit:

*Negative in omnibus.*

Atque ita rescripsit.

*Dies (14 dec. 1904).*

Die 14 decembris 1904.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotatio

Solet S. Sedes Praelatos quorundam Ordinum monasticorum titulo Abbatum decorare, concessis insignibus et externis honoribus cum benedictione. De iis hic non agitur, verum de alio genere quod aliquo modo imitatur genus Episcoporum titularium, cum titulum ferant exstinctae Abbatiae, sicut Episcopi titulares ab ecclesia quae est in potestate infidelium seu haereticorum mutuantur nomen. Verum dum Episcopi titulares a S. Sede nominantur, Abbates de quibus hic est sermo a potestate civili vel a qualitate beneficii nomen accipiunt.

---

## 48 — S. CONGREGATIONIS CONCILII

### *RESPONSA 19 DEC. 1904 ET 27 FEBR. 1905*

**De Decreto « Ut debita », 11 maii 1904**

N. B. Decreti *De Observandis et vitandis in missarum manualium satisfactione* (supra, p. 44) is est usus idque momentum, ut fieri non potuerit quin S. Congregationi plures subicerentur dubi-

---

[1] Acta S. Sedis, t. 37 (1904-1905), p. 389.

tationes et libelli supplices. Porro hic visum est casus, quatenus nobis innotuerunt, una simul proponere, et deinde, in annotationibus apponi solitis, ex istis responsis mutuari lumen ad ipsum decretum magis magisque illustrandum.

I. *Rescriptum* [1] *19 decembris 1904 ad Episcopum Aliphanum* [2].

*Orator* **Dubia.**

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad decretum *Ut debita*, editum a S. Congregatione Concilii die 11 maii 1904.

*De qualitate missarum.*

I. An missae quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

*De exsecutione per alios extra Ecclesiam fundationis.*

II. An Sacerdotes quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum missarum, in Ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna, etiam extra Ecclesiam propriam.

*De missis cappellaniarum.*

III. An sacerdotes fruentes capellaniis fundatis, sive ecclesiasticis sive laicalibus, possint aliis sacerdotibus missas suarum capellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

*De potestate Episcopi ferendi censuras.*

IV. An episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cuiuslibet anni ad sibi tradendas missas quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim?

*Dies (19 dec. 1904).*

Die 19 decembris 1904.

**Responsa,**

Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres praedictis dubiis ita respondendum censuit:

*Ad I.* Ad I. Habendas esse ad instar manualium.

*Ad II.* Ad II. Non posse.

*Ad III.* Ad III. Negative et servandas esse dispositiones articuli XI decreti.

*Ad IV.* Ad IV. Contra transgressores articuli IV citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris.

VINCENTIUS Card. Episc. Praenestin. *Praef.*

*C. De Lai, Secret.*

II. *Responsa in Bredan.* [3] *27 febr. 1905.*

**Dubia.**

*1. Usus cedendi cumulative partem stipendiorum pinguiorum in iustam compensationem.*

« 1° In dioecesi vicarii in domo parochi tamquam eius familiares degunt, communi utentes victu. Parochis pro vicarii victu et servitio salarium modicum ex ecclesiae reditibus solvitur, quod ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est, ut pro victu et servitio vicarii parochis in cumulo cedant fructus missarum pinguiorum, et vicariis tribuatur stipendium ordinarium missae lectae, unius floreni. In hoc casu stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 521.
[2] In Italia.
[3] In Hollandia. Causam afferimus ex ANAL. ECCLESIASTICA, 1905, p. 70 ss.

*2. Usus retinendi partem stipendiorum missarum quae alio loco celebrantur.*

« 2° Ad providendum honestae suae sustentationi, parochi in pluribus dioecesis locis missas non in determinata ecclesia fundatas, anniversaria necnon alias missas manuales quae per annum a fidelibus offeruntur quaeque parochi eorumve vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant et alibi celebrari curant, retenta sibi parte stipendii pro administratione et publicatione. Ita, v. g., pro missis quae ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0,60, a fidelibus saepe offertur stipendium unius floreni. Quoad missas fundatas et anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis fere communis est ac populo haud raro nota. Quoad alias missas manuales hic usus solummodo viget in parochiis ubi cum consensu Ordinarii e suggestu publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, retentum iri pro sustentatione parochi, missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri.

*3. Usus celebrandi missas ad intentionem parochi, in compensationem.*

« 3° Una alterave adest parochia, ubi vicarii omnes fere missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae determinatam obtinent pensionem. »

**Responsa.**

Responsum est : Attentis omnibus,

Ad I et ad III. Consuetudinem sustineri.

Ad II. Non sustineri et ad mentem.

III. *Rescriptum* [1] *27 febr. 1905 ad Episcopum S. Deodati* [2].

*Orator.*

Episcopus S. Deodati ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit :

**Dubia.**

*I. Mos cedendi eleemosynas pro alimentis apud parochum.*

I. Mos invaluit in sua dioecesi ut Vicarii apud parochos in domo Curiali degentes pensionem non argento exsolvant, sed missae suae cotidianae, sive lectae, sive cantatae eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri.

*II. De concessa binantibus parte stipendii.*

II. Vigore plurium Indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda missa, vel pro missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur. Porro, vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens, idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumque sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam Episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, id est lib. 1,50. Quaeritur an haec Episcopi concessio sit legitima.

*Dies (27 febr. 1905).*

Die 27 februarii 1905

*Responsa.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit :

*Ad I.*

Ad I. *Affirmative*, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur super quo Ordinarii erit vigilare.

*Ad II.*

Ad II. *Negative.*

VINCENTIUS Card. E. Praenest., *Praefectus.*
*Caietanus De Lai, Secretarius.*

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 524.
[2] In Gallia.

IV. *Rescriptum* [1] *27 febr. 1905 ad Episcopum Leopolien.* [2]

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, relate ad Decretum S. Concilii diei 11 maii 1904 quoad missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum. *Orator.*

**Dubia.**

I. An iuxta art. 2 termini persolutionis statui possint: *I. De legitimo celebrationis tempore.*

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| usque ad | 10 | missas | 1 | mensis |
| » | 20 | » | 2 | mensium |
| » | 40 | » | 3 | » |
| » | 60 | » | 4 | » |
| » | 80 | » | 5 | » |
| » | 100 | » | 6 | » |

et ita porro pro quibuslibet 20 missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intellegantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intellegi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua sollemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una missa, omnes hae missae in termino sex mensium persolvi debeant. *II. De modo intellegendi terminos.*

III. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit. *III. De missis quae Ordinariis fuerint commissae.*

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint. *IV. De eodem argumento.*

V. An liceat Ordinario omnibus his missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent. *V. De eodem argumento.*

Die 27 februarii 1905 *Dies (27 febr. 1905).*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit: **Responsa.**

Ad I. Rem relinqui discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta Decretum et regulas a probatis Doctoribus traditas. *Ad I.*

Ad II. *Affirmative*, ad primam partem; *negative* ad secundam, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum. *Ad II.*

Ad III. *Affirmative*, id est obligationem incipere a die quo sacerdotes missas celebrandas ab Ordinario recipiunt. *Ad III.*

Ad IV. Episcopus curet ut quatenus fieri possit missae, a pluribus receptae, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant. *Ad IV.*

Ad V. Sufficere ut sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii; qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae. *Ad V.*

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

*C. De Lai, Secretarius.*

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1904-1905), p. 525.

[2] In Austriaco imperio.

### V. *Rescriptum*[1] *27 febr. 1905 ad Congregationem Spiritus Sancti.*

*Orator.*

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto humiliter postulat:

**Dubia.**

*I. Quinam veniant nomine Ordinariorum.*

I. An ad art. 7 Decreti *De Observandis*, diei 11 maii 1904, sub nomine Ordinariorum veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis?

*II. De missis quae aliis traduntur Ordinariis.*

II. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assecuti.

*Dies (27 febr. 1905).*

Die 27 februarii 1905

**Responsa.**

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

*Ad I.*

Ad I. *Affirmative.*

*Ad II.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; negative ad secundam.

† Vincentius Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

*Caietanus De Lai, Secretarius.*

### VI. *Rescriptum*[2] *27 febr. ad Societatem SS. Salvatoris*[3].

*Orator.*

Pater Pancratius Pfeiffer, Procurator Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit.

*Pristinis propositis Indultis quibus fruebatur Soc. SS. Salvatoris,*

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio quo obligationibus missarum persolvendarum, exceptis missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. C. Visitationis Apostolicae cum stipendio reducto unius libellae, tradita quarta parte harum missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quae indiget quam maxime auxilio amicorum et benefactorum, missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequat, humilis Orator enixe supplicat:

**Gratias** *novas petit.*

*I. De acceptandis missis.*

I. Ut praefata Societas etiam in posterum quasvis missas accipere possit, etiam si praevideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

*II. De legitimo celebrationis tempore.*

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis quas accepit statim persolvendas.

*III. De obligatione celebrationis.*

III. Ut attestatio missarum acceptarum, licet nondum persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

*IV. De retinenda parte eleemosynae.*

IV. Denique supplicat idem humilis Orator ut Societas S. Missarum partem aliquam, a Sancta Sede statuendam, in utilitatem Collegii Mariani Romani eiusdem Societatis retinere possit.

---

1 Acta S. Sedis, t. 37 (1904-1905), p. 526.
2 Acta S. Sedis, t. 37 (1904-1905), p. 522.
3 Est Congregatio religiosa.

Die 27 februari 1905

*Dies (27 febr. 1905).* **Responsa.**

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, vigore facultatum a SS^mo^ D^no^ Nostro Pio PP. X sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus quaerere. *Ad I.*

Ad II. Pro gratia iuxta petita. *Ad II.*

Ad III. Pro missis S. Sedi, Episcopis dioecesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, *affirmative*. Pro missis privatis Sacerdotibus commissis, *negative*, et servetur dispositio Decreti *De Observandis*. *Ad III.*

Ad IV. Pro gratia retinendi duas pro singulis centenis. *Ad IV.*

Praesentibus ad quinquennium valituris.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus*.
*Caietanus De Lai, Secretarius.*

## ANNOTATIONES

Separatim ponemus declarationes et concessas gratias. Et prius quidem de declarationibus.

### I. DECLARATIONES

1. *Observatio de modo quo decretum citatur.* Leges et generalia S. Sedis decreta ex primo vel primis eorum verbis allegare consuevimus. Hinc, sicut sermo fit de decretis *Quemadmodum*, — *Auctis admodum*, — *Vigilanti studio*, etc. praesens decretum designandum fuit verbis *Ut debita*, unde exordium sumit. Nihilominus, interdum, et semel quidem ab ipsa S. Congregatione, appellatur primis verbis ipsius tituli, *De Observandis*. Quod nobis videtur esse indicio, ipsum titulum ad authenticum pertinere decretum. Porro titulus iste, quem supra, p. 44, dare omisimus, is est: *De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.*

2. *De missarum qualitate.* Sunt ne, ad effectum decreti, manuales an fundatae, missae quae in nulla ecclesia sunt constitutae, quarum tamen perpetuum onus patrimonium afficit ecclesiae, monasterii vel loci alicuius pii? Id quaesivit episcopus Aliphanus, et ratio dubitandi poterat haec esse, quod in decreto sermo quidem fiebat de missis quarum perpetuum onus onerat *privatum* patrimonium, nullus autem de missis quae simul in nulla ecclesia sunt constitutae et *ecclesiasticum* onerant patrimonium. Verum similem esse utriusque generis rationem non videbatur ambigendum. Quare utramque ad manuales missas adscripsit S. Congregatio. Quo responso confirmatur prima ex nostris annotationibus, data p. 47.

3. *De tempore utili vel legitimo*, non una est facta interrogatio.

a) Ex norma et exemplis propositis in ipso decreto, n. 2°, tempus implendae obligationi concessum accuratius definire voluit archiepiscopus Leopoliensis, atque hinc inventas regulas approbandas misit ad sacram Congregationem. Haec vero rem istam sapienter prudentiae et conscientiae permisit sacerdotum. Ut enim diximus

p. 48, varia sunt perpendenda adiuncta quae vix possunt generalibus comprehendi regulis; nec nimio rigore mathematico est rei facienda aestimatio.

Ut de ipsis regulis, supra descriptis, dicamus, videntur *per se* teneri posse quales proponebat dictus archiepiscopus, atque indicationi S. Sedis satis respondere, nisi quod severius ponuntur 10 missae esse intra mensem celebrandae. Nostras indicationes conferas, p. 48, n. 4. Hanc porro normam statuit R. P. Ferreres [1]: « Quicumque numerus missarum eidem sacerdoti ab eodem committatur dicendus, trium dierum spatium celebrandis singulis binis missis conceditur, ultra mensem qui primae dicendae missae deputatur. »

b) Quaesitum deinde est de modo quo tempus istud sit computandum. Atque, ex responsis, haec constant:

α) *Singulorum* qui missas rogaverint est habendus respectus; nec possunt coniunctim sumi, ad ampliandum spatium, stipendia a pluribus oblata, sive in variis occasionibus, quod satis per se patet, sive etiam in una eademque occasione (Resp. ad archiep. Leopoliensem, ad 2). In posteriore tamen casu, facilius ex benigna offerentium intentione, ut si, v. gr. communi egerint consensu, maior erui poterit facultas.

β) Quas missas sacerdotes ab Ordinariis dioecesanis acceperint celebrandas, possunt, ad computandum tempus, considerare quasi ipsi Ordinarii sint stipendii auctores. Hi tamen debebunt pro viribus satagere ut missae intra definitum *lege* spatium celebrentur, nec ipsi possunt eum missarum numerum quaerere et accipere cui intra definitum lege temporis spatium per se vel per subditos sacerdotes satisfacere nequeant (Decreti art. 1). Excipe missas a subditis sibi traditas ut exuberantes, secundum n. 5 decreti.

In responso, sermo fit de episcopo, sed res videtur transferri posse ad praelatos regulares, secundum responsum datum ad S. C. Spiritus, si tamen contigerit ipsos in iisdem versari adiunctis.

Minime autem, contra atque existimat Rev. théol. fr. note p. 273, regula ista valet in missas acceptas a *sacerdote* qui nequeat intra legitimum spatium suscepta onera *per se* exsequi.

In hunc enim finem facultas omnibus fit transferendi eleemosynas, ut missae possint congruo tempore celebrari, non autem ut transferendo missas in alium possint viri neglegentes veluti privilegium concedere maioris dilationis. Debent itaque sacerdotes qui oneribus implendis impares sint, vel proprio Ordinario tradere missas, vel quaerere sacerdotem qui missas celebrare queat tempore quod lege definitur et ab oblata a fidelibus eleemosyna initium sumit.

Immo, quominus de sacerdotibus qui missas a se acceptas aliis committunt celebrandas perinde dicas ac de Ordinariis, duplex nobis obstare videtur ratio. Ordinarii, non autem privati sacerdotes, quasi ex officio recipiunt exuberantes missas, quae numero tot esse possunt ut, perspecta etiam conjunctae eleemosynae exiguitate, omnino aequum sit ipsis faciliores imponere leges curandae tempestivae celebrationis. Praeterea, ex ipso decreto *Ut debita,* perspi-

---

[1] Lo que debe hacerse, etc. (Commentarium canon-mor. decreti *Ut debita*) n. 23. (Matriti 1905.)

citur S. Sedes conscientia et prudentia Ordinariorum magis fidere quam quorumlibet sacerdotum. Sic tradendo missas aliis Ordinariis, Ordinarii iam omni obligatione solvuntur, non autem si easdem extraneis commiserint sacerdotibus celebrandas.

4. Per eandem occasionem, quaesitum est de modo quo missas celebrantes intentionem suam concipere deberent, ubi sic missae plures ab Ordinariis committerentur aliis dicendae. Atque aliis, iam ante datis, responsis inhaerens, S. Sedes:

a) Hortatur ut intentiones sacerdotibus celebraturis *distincte* manifestentur : hac ratione iuvatur celebrantis devotio, qui facilius movebitur ad precem fundendam particularem, variis intentionibus aptatam ; et plenius satisfit votis offerentium stipendia.

b) Istud tamen non praecipitur ; stricte enim, satis est, si sacerdotes ad mentem celebrent Ordinarii, is autem intentionem suam concipiat secundum regulas a probatis traditas scriptoribus. Regulae istae huc fere redeunt. In partiendis stipendiis, poterit coniunctam cuique intentionem distinguere ex libris quibus omnes inscribi debuerunt; vel, si id fieri difficile queat, numerum inter plures dividere ita ut velit missas celebrari eo ordine quem praevalens quarundam ius postulaverit; quod si absit alia ratio iura distinguendi, saltem eo ordine quo fuerint oblata stipendia [1].

5. *De sanctione episcopali, addenda decreto « Vigilanti.»* Potest Episcopus etiam censuris compellere administratores piarum causarum, etc. ut observent obligationem tradendi proprio Ordinario missas quae in fine anni fuerint reliquae, et prohibere ne eas mittant extra dioecesim, quatenus id repugnet decreto *Vigilanti* quod est n. 4. Decreti *Ut debita* confirmatum. Cfr. Responsa ad episcopum Aliphan. ad IV.

6. *Quinam sint Ordinarii et a quibusnam sit exigenda fides.* Ut est Ci S. Spiritus responsum, etiam in art. 7 decreti *De observandis* qui incipit: *Ordinarii dioecesani,* nomine Ordinariorum veniunt etiam Praelati regulares. Quo porro spectet ista declaratio, statim additur, in eodem rescripto, ad 2. Confirmando enim opinionem quam probabilem diximus esse, p. 110, c., S. Congregatio respondit, Ordinarios qui aliis Ordinariis tradiderint stipendia, ipsa hac ratione omni levari onere. Quod si regulares Praelati nomine veniunt Ordinariorum, consequens est Episcopos vel Praelatos regulares non iam de celebratione sollicitos esse debere, statim ac missas aliis Episcopis dioecesanis vel Praelatis regularibus tradiderint.

*Per se* non sunt Praelati nisi qui, Ordinibus vel Institutis exemptis praefecti, ecclesiastica pollent iurisdictione. Sed in hoc decreto, ex art. 1, vox videtur latius sumi posse de quolibet vero Superiore Instituti etiam non exempti [2]. Quod hic valere arbitramur.

---

[1] Ratio concipiendi intentionem satis fuse proponitur apud REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE, p. 275-27.

[2] Missae tamen quae in fine anni tradendae sunt *Ordinariis propriis* (Decr. *Vigilanti*) tradi nequeunt nisi Praelatis Ordinis religiosi proprie dicti, vel Instituti plene exempti. Alumni Congregationis religiosae non plene exemptae easdem Ordinario loci tradere debent. Sic etiam REV. THÉOL. FR. p. 266. 267 ; appellans etiam relatorem causae *Compostellanae,* de qua superius, p. 51.

Dum REV. THÉOL. FRANÇ. vim responsi ad Cong. S. Spiritus in prima

7. *De vetita commutatione in alias res.* Gravior et difficilior quaestio videtur proposita esse ab episcopo Bredanensi et ab Episcopo S. Deodati. Quaerebatur etenim, utrum necne, pro victu apud parochum recepto, possent vicarii, ibi hospitio recepti, facta pactione, cedere vel cotidianas missarum eleemosynas vel ratam partem stipendiorum pinguiorum. Ac prima specie videntur tales pactiones repugnare verbis n. 9 decreti, quo absolute iubetur ut stipendium integrum et in propria specie tradatur celebranti. Sed si consideres, eo, ex art. 6, spectare legis dispositionem, ut omne de missarum eleemosynis supprimatur mercimonii genus, et absoluta verba n. 9 poni ut consectaria numeri proxime superioris (« Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt ») concludes id non prohiberi, sicubi omne absit mercimonii genus. Omne vero, in allegata specie abesse, apparet :

a) Ex qualitate parochi, qui negotiari prohibetur, et nulla pro hospitibus quaerit eleemosynas ut eos hospitio recipiat ; b) Eo quod nulla fit collectio stipendiorum, nec spe stipendiorum alliciuntur vicarii ad talem conventionem admittendam.

Quare S. Congregatio sapienter respondit consuetudinem istam sustineri posse. Et iam ante similis pactio permissa erat a S. Congregatione, in Trevirensi, 11 maii 1888.

De eadem responsione illud praeterea observandum est, eam vi cuipiam consuetudinis nullatenus inniti. Namque, ut apparet ex supplici libello, consuetudo non erat centenaria vel privilegiata. Sed verbis decreti « Contrariis quibuslibet non obstantibus, » consuetudines particulares non privilegiatae sunt suppressae.

Res itaque ipsa videtur legi non repugnare. Quocirca, in similibus causis, illa responsione prudenter uti licebit ut ipse in sua relatione innuit Congregationis secretarius. Atque ad haec duo est potissimum attendendum: Ut studiosa vitetur stipendiorum collectio, neque ad obtinenda stipendia sacerdotes ad pactionem ineundam adducantur. Quare, si hospes quidam velit, conquisitis prius stipendiis, efficere ut sacerdotes apud se hospitentur, id fuerit prorsus a decreti dispositionibus alienum ; contra autem poterunt sacerdotes sic pro victu cuilibet cedere partem stipendiorum quae ipsos sibi conquisituros esse sperent.

8. *De non retinenda parte stipendii missarum quas aliis tradas celebrandas.* Duplex est exceptionis forma S. Congregationi proposita.

a) In Bredanensi dioecesi, missae parochis commissae et ab iis alio transmissae, in ecclesia nihilominus e suggestu populo nuntiari consueverunt. Pro qua nuntiatione et ipsa rei administratione partem stipendii retinebant, eamque non exiguam, cum pro uno floreno (fr. 2,12) retinerent 40 cent. (90 cent.)

---

refundit verba n. 7, « *Ordinarii dioecesani,* » observabis eiusdem usum praecipuum a nobis referri in verba postremae partis istius articuli : *aliis Ordinariis.* Etenim ob regimen paupertatis, raro fiet ut regulares propriis Praelatis exuberantes missas tradere debeant ; sed hoc rescire magni interesset, utrum necne, tradendo missas Superioribus regularibus, Episcopi et alii Ordinarii obligatione sua levarentur.

b) In dioecesi S. Deodati, ubi, ex privilegio pontificio, episcopi permittere possunt ut pro missa binationis accipiatur stipendium, operi pio applicandum, ipsi sacerdotibus celebrantibus cedere solent quicquid ultra fr. 1,50, pro missarum eleemosyna receperint.

Age vero, utramque formam improbavit S. Congregatio. Et merito quidem. Ex iam diu recepta iurisprudentia, et art. 11° decreti *Ut debita*, prorsus prohibetur quominus de oblata eleemosina quicquam detrahatur; et severius etiam obstat S. Sedis vetitum, quominus ex missis binationis privatum percipiant emolumentum sacerdotes.

Praeterea, ut observat ipse Congregationis secretarius, pars a parochis Bredanensibus retenta, nimia est ut laborem nuntiationis compensare videatur. Quae tamen nuntiatio, contra atque idem opinatur, nec otiosa nec inutilis est, cum per eam defunctorum memoria populo commendetur, eaque familiae defuncti sit acceptissima.

Verum, cum episcopus Bredanensis, ad parochos excusandos, necessitatem arguebat prospiciendi honestae eorum sustentationi, S. Congregatio negativam responsionem temperavit verbis, *Ad mentem*, quibus, ut verisimile est, meliorem indicavit modum eidem fini consulendi, v. g. per pontificiam concessionem. Contra, usum dioecesis S. Deodati simpliciter abolevit.

9. Denique, de missis cappellaniarum, mere confirmavit claram decreti dispositionem, secundum quam, beneficiati, si missas aliis tribuant celebrandas, non ad arbitrium suum eleemosynam aestimare possint, sed eam dare debeant quam definiat synodalis taxa loci ubi est beneficium.

## II. Indulta

Iuvat etiam paucis recolere gratias hactenus concessas, ut hinc quid, iustam ob causam, a S. Sedis benignitate sperari possit intotescat. Itaque,

1. Ne ob piam quidem causam, permisit S. Congregatio, ut missae conquirerentur ultra earum numerum quas Ordinarii per se vel per subditos tempore debito celebrari possent; concessit tantum ut sponte oblatae admitterentur. (Responsum ad Soc. SS. Salvatoris.)

2. Eidem Societati aliquantisper fines dilatavit legitimi spatii celebrationi concessi ita ut, exceptis missis quarum causa urgeret, et quae statim ex promissione essent persolvendae, aliae possent intra tres menses dici.

3. Noluit S. Congregatio eandem Societatem eximere cura de missis quas privatis committeret sacerdotibus celebrandas; immo, eam dixit obligatione non solutam nisi per translationem factam ad Superiores generales Ordinum vel Congregationum religiosarum, vel ad Ordinarios dioecesanos. Attamen, dicta Societas uti poterit alia declaratione, qua omnes Praelati regulares Ordinariis dioecesanis assimilantur.

4. Permisit denique ut, ad pios fines, retinerentur 2 % ex missarum stipendiis.

## 49. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (27 ian. et 3 febr. 1905)

### *RESPONSA DE CALENDARIO ECCLESIAE*

*De Ecclesiis quae concreditae sunt Regularibus.*

I. **Ratisbonensis,** 27 ian. 1905.

Plures in dioecesi Ratisbonensi exsistunt ecclesiae tum parochiales vel annexae, tum tales, quae a fidelibus peregrinationis causa pio animo frequentari solent, quae, licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen Sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem sacramentorum ex officio deserviant.

**Quaeritur** *Quodnam sit earum Calendarium.*

Hinc expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione :

Utrum in praedictis ecclesiis etiam Episcopus et parochus parochiae saecularis eiusque vicarius atque beneficiatus propter beneficium ecclesiae canonice adscriptus in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare teneantur ?

**Responsum.**

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia commissionis Liturgicae reque mature perpensa, respondendum censuit : *Affirmative* iuxta Decreta n. 3862 *Urbis et Orbis* 9 decembris 1895, et n. 4051 Urbis 15 decembris 1899 ad II.

*Dies (27 ian. 1905).*

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 27 ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

† *D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

II. **Ordinis S. Benedicti,** 3 februarii 1905.

*Orator.*

Hodiernus caerimoniarum magister in monasterio Ordinis S. Benedicti ad S. Stephanum, Augustae Vindelicorum in Bavaria, ut omnia rite fiant, de consensu sui R^mi Abbatis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humilime expetivit, nimirum :

**Dubium.**

In ecclesia S. Stephani, quae ante erectionem monasterii fuit ecclesia parochialis, ex pia dispositione et fundatione ultimi parochi, sacerdos saecularis, qui est etiam beneficiatus vicinae ecclesiae S. Galli, Missam celebrare, fidelium confessiones excipere, aliasque sacras functiones peragere debet. Cum vero ecclesia S. Stephani aliquot abhinc annis in possessionem monasterii legitime venerit, quaeritur : An praedictus sacerdos beneficiatus in celebrando sacrosancto Missae sacrificio suum calendarium, nempe dioecesanum sequi debeat, vel calendarium monasterii ?

*De calendario ecclesiae possessae a monasterio.*

**Responsum.**

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis una cum exquisita informatione R^mi D^mi Episcopi Augustan. Vindelicorum et suffragio Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit :

*Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam*, iuxta Decreta n. 3862, *Urbis et Orbis*, 9 decembris 1895, n. 4051, *Urbis*, 15 decembris 1899, ad II, et *Ratisbonen.*, 27 ianuarii 1905.

*Dies (3 febr. 1905).*

Atque ita rescripsit. Die 3 februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

ANNOTATIO

Decreta ista explicare omittimus, cum nobis propositum sit de ecclesiis regularium diserte disserere in nostris *Monumenta et Supplementa periodica.*

---

# 50. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *IUDICIA IN CAUSIS CONTENTIOSIS*

### Summatim relata

I. **Parisien.** *Exemptionis.*

Causae istius, quae ad forum paenitentiale attinet, argumentum ita in ACTA S. SEDIS, t. 37, p. 513 describitur.

*Species facti.* Pluribus abhinc annis, in Congregatione missionariorum S. Vincentii a Paulo agitabatur quaestio, num ipsorum Institutum, votorum dumtaxat simplicium, quod ad approbationem confessariorum pro alumnis internis, a iurisdictione Ordinariorum exemptum esset. Anno 1878, Revmus P. Fiat, Superior Generalis, H. S. C. sequens dubium proposuit : « Utrum presbyteri Congnis missionis, a Visitatore in unaquaque domo designati ad audiendas confessiones suorum confratrum, iurisdictionem accipiant immediate a Superioribus vi exemptionis ab Ordinariis, Brevibus Apostolicis concessae; vel necesse sit ut approbati sint ab Ordinario iuxta praescriptionem Regularum et fere omnium Italorum Missionariorum sententiam ». Et S. C. die 23 sept. 1881 reformato dubio ex officio : Utrum membrum Congnis Missionis possit, absque licentia Superioris, confessionem sacramentalem valide peragere apud sacerdotem externum approbatum, dum facile habere posset confessarium etiam in Congregatione [1], respondere censuit : « Negative ». **Causa.** *Memoratur pristinum responsum.*

Haec autem sententia pluribus eiusdem Sodalitatis presbyteris minime arrisit, qui, contendentes H. S. C. quaestionem generalem dirimere noluisse, beneficium novae audientiae petierunt et tandem obtinuerunt, reproposita controversia sub infrascriptis dubiis.

Dubia. I. Se debba confermarsi o revocari la decisione della S. C. dei VV. e RR. del 23 settembre 1881 vel caso [2]. Et quatenus *negative* ad primum, et *affirmative* ad secundum : **Dubia.**

II. Se la dipendenza dei Missionari dalla giurdizione degli Ordinari si estenda anche ad altre materie de fero interno [3].

Resolutio. Et S. Congr. EE. et RR., re mature discussa, die 11 decembris 1903 rescripsit : *Dies (11 dec. 1903).*

---

[1] Responsio affertur superius, p. 99, n. 39.

[2] Quod ita latine reddimus : Debetne confirmari an rescindi causae definitio quae a S. C. Episcoporum et Regularium dii 23 septembris 1881 est facta.

[3] Utrum necne, etiam in aliis rebus fori interni, Missionarii iurisdictioni subsint Ordinariorum.

**Sententia.** Ad I et II. Ad mentem. Mens est quod alumni Congregationis Missionis valide confiteri possint penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, facto ad cautelam verbo cum SSmo.

Facta de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefectum relatione, Sanctitas Sua relationem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 24 decembris labentis anni 1903.

*Annotationes.* 1. Allata potissimum sunt in causa : a) Bulla *Salvatoris Nostri*, Urbani VIII, 12 ian. 1632 : « Quo vero ad Missiones tantum, etiam Ordinariis locorum.... subesse debeant (socii), adeo ut in reliquis dictus Superior generalis in omnes domos.... et personas omnimodam superioritatem et auctoritatem habeat. » b) Breve *Ex commissa*, Alexandri VII, 22 sept. 1655 : « Statuentes ut dicta Congregatio Missionis exempta sit a subiectione locorum Ordinariorum, excepto quod.... subsint ipsis Ordinariis tantum quod ad Missiones et ea quae illas concernunt, utque dicta Congregatio... sit de corpore cleri saecularis. » c) Breve *Exponi nobis*, Benedicti XIII, 17 febr. 1725, quo ex actis Urbani VIII et Alexandri VII agnoscitur Superioribus Congregationis Missionis facultas concedendi litteras dimissorias ad Ordines. d) Regulae communes Instituti : « Sicut non licet ulli ex Nostris, nisi ab Ordinario sit approbatus, confessiones tam nostrorum quam externorum audire... »

2. Perpensis argumentis quae in utramque partem sunt allata, videtur S. Congregatio in definiendo iure haesisse dubia. Verum, cum hodie satis animo inclinet in maiorem dandam optionem eligendi confessarium, validas declaravit confessiones quas sodales istius Instituti peragerent apud confessarios a solo Ordinario loci approbatos. Quod profecto magis congruit cum qualitate *Presbyterorum saecularium* [1], quam S. Vincentius a Paulo suis alumnis vindicavit. Ad cautelam tamen S. Congregatio de re verbum fecit cum Sanctissimo.

Hoc respondendi modo satis in medio relinquitur alterum causae quaesitum, num responsum ad alias res fori interni sit transferendum. Apparet tamen S. Congregationem ad affirmantes partes potius accedere.

**Causa.** II. **Ventimilien.** *Iuris associandi cadavera.*

Innixi statuto synodali et allegata a se consuetudine, capitulum et parochus ecclesiae collegiatae loci dicti *S. Remo* contendebant PP. Capuccinis dicti loci non licere, etsi invitatis ab heredibus, parochum in funere ducendo comitari, nisi simul invitarentur aliquot canonici et clerici civitatis. *Dies (19 nov. 1904).* Die 19 novembris 1904, proposito dubio « *An PP. Cappucini possint associare cadavera absque interventu canonicorum Collegiatae et cleri parochialis, quando seorsim ab heredibus defuncti invitantur in casu ;* » respondit **Sententia.** S. Congregatio, *Affirmative*.

*Annotatio.* Quo responso mere confirmatur certum heredum ius quoscumque voluerint eligendi religiosos et clericos qui funus sua praesentia honestent [2]. Huic iuri non poterat derogare lex synodalis, saltem quod attinet ad religiosos exemptos ; contraria autem consuetudo non videtur esse argumentis probata.

---

1 Cfr. nostrum *De Religiosis*, t. 1, n. 56.

2 Cfr. plura responsa S. Congregationis et scriptores canonicos.

III. **Tusculana.** *Exemptionis ac iurium* [1]. **Causa.**

Causa ita paucis verbis reperitur descripta in ACTA S. SEDIS.

In oppido *Monte Compatri* nuncupato, Tusculanae dioecesis, Carmelitae Excalceati, praeter coenobium et ecclesiam S. Silvestri, habent extra claustra publicum Oratorium, ubi prodigiosa imago sub titulo *B. M. V. del Castagno* recolitur, quae in nonnullis sollemnitatibus ad loci paroeciam transferri et publicae fidelium venerationi exponi solet. Hac in re duplex exorta est quaestio. Prima agitatur inter Curiam dioecesanam et Carmelitas, qui contendunt Oratorium de Castaneo esse ipsorum proprium, immo et exemptum ab Ordinarii dioecesani iurisdictione, ideoque pro dictae iconis translatione, etiam temporanea, consensum Religiosorum requiri. Altera movetur a locali parocho adversus eosdem Carmelitas, quippe qui, eius inimicis nimium indulgentes, tum sollemne funus cuiusdam filiae in die tertia a morte, persolutis dumtaxat iustis funebribus in coemeterio absque exsequiali Missa, celebrarunt, tum in festo S. Antonii Abbatis sollemnem quorundam animalium benedictionem publice peregerunt.

**Dubia.** Hinc dubia proposita, quae in eodem libello periodico sic latine redduntur:

*I. An constet de proprietate Capellae seu Oratorii B. V. de Castaneo favore Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus S. Silvestri ad Tusculum.* — Et quatenus affirmative: *II. Utrum dictum Oratorium dicendum sit exemptum a iurisdictione seu visitatione E^mi Episcopi Tusculani favore pariter dictorum Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, necne. III. An E^mus Episcopus dioecesanus, sine consensu praedictorum Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, transferre possit vel licentiam dare alio transferendi, ex. gr. in parochiam Montis Compatrum, etiam ad breve tempus Imaginem B. V. de Castaneo in dicto Oratorio exstantem. IV. Num in iure et in facto approbanda sit vel non agendi ratio Rev^mi P. Prioris coenobii S. Silvestri prope Montem Compatrum quod ad celebrationem Missae exsequialis in casu. V. Num in iure et in facto approbandus sit vel non agendi modus eiusdem Rev^mi P. Prioris quoad benedictionem animalium in festo S. Antonii Abbatis in casu.*

S. C. EE. et RR. omnibus ad trutinam revocatis, die 13 maii 1904, respondendum censuit: *Dies (13 maii 1904).*

**Sententia.** Ad I. Reformato dubio hoc modo: *Num constet Capellam seu Oratorium B. V. de Castaneo a Fratribus Carmelitanis Excalceatis Conventus S. Silvestri Tusculani legitime possideri;*

*Affirmative.*

Ad II. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV et V. *Quod ad ius, affirmative et ad mentem; mens est quod P. Prior Conventus S. Silvestri in similibus casibus prudentius se gerat.*

*Annotationes.* 1. Dubium primum reformatum est a S. Congregatione, non quod ecclesias existimaverit esse (ut videtur arguere scriptor ACTA S. SEDIS, p. 585, n. 10) in solo Dei dominio, sed quia deesse vide-

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37, p. 575-585.

bantur argumenta demonstrandi dominii, ita ut causa debuerit ex possessione dirimi.

2. Responsio ad alterum dubium huic innititur rationi, quod ecclesiae a monasterio separatae religiosorum exemptionem non participant (cfr. n. **365**, t. 1, *De religiosis*), ita saltem ut ecclesiae istae possint ab Ordinario visitari canonice.

3. Tertio autem responso sapienter docet S. Congregatio ius visitandi ecclesiam non confundi posse cum iure exigendi a religiosis quae videantur bona vel utilia episcopo, et disponendi de rebus ecclesiae quasi ecclesia fuerit saecularis.

4. Quarto denique responso, a) Confirmatur quod scripsimus supra, p. 101, in fine, liberam esse ecclesiae optionem ad peragenda funera separata a sepultura, quamvis iure suo prudenter uti debeant Superiores religiosi, et a laedenda caritate cavere.

b) Sollemnem animalium benedictionem in festo S. Antonii abbatis ad iura parochialia minime pertinere.

IV. **Caietana** [1]. *Iurisdictionis.*

**Causa.** Cum Archiepiscopus Caietanus sacerdoti Augusto L., alumno Congregationis Pretiosissimi Sanguinis interdixisset ne extra propriae Congregationis ecclesias sacris operaretur, eundemque a confessionibus audiendis suspendisset, is ad S. C. Ep. et Reg. recurrit, sibi obiecta crimina negans. Arguebatur porro, quod aes fecisset alienum et in municipalibus dissidiis habuisset partem.

**Dubium.** Age vero, simul disputabatur de iure sacerdotis ad non exemptam congregationem pertinentis. Quaerebatur enim utrum necne posset Episcopus sua dioecesi pellere religiosum ex ista dioecesi oriundum, et cooptatum in Congregationem quae facultate careat concedendi suis litteras dimissorias ad ordines recipiendos: Quocirca dubium erat his fere verbis [2] propositum: *An Sacerdos Augustus L. esset, in casu, restituendus in pristino statu quem in dioecesi Caietana habuerat.* *Dies (27 ian. 1905).* Verum, die 27 ian. 1905, S. Cong. reformato prius dubio, ita ut mere quaereretur utrum necne confirmandum esset decretum Archiepiscopi respondit, *Negative et amplius.* **Sententia.**

*Annotatio.* Causam istam ideo duximus referendam, quia sunt qui velint ex ea argumenta haurire de iure religiosorum. Ita, v. g. CANONISTE CONTEMPORAIN, p. 412, 413. Verum frustraneo conatu id fieri arbitramur. Plures enim rationes esse potuerunt ob quas episcopale decretum iudicatum sit infirmandum, atque ea vel maxime quod ipsa crimina probarentur falso obiecta. Addas ex ipso reformato dubio apparere voluntatem vitandi quaestiones iuridicas.

V. **Utinensis** [3]. *Iurium et exemptionis.*

**Causa.** Ecclesia quaedam S. Antonio dicata in oppido Gemonensi, dioecesis Utinensis, ad FF. Min. Conventuales prius pertinuit. Ab iis, in turbis exeuntis saec[i] XVIII in potestatem transiit municipii, evasitque « succursalis » ecclesiae paroecialis. Anno deinde 1845, est FF. Minoribus, una cum monasterio, tradita a municipio, facta pactione, ut ob quamcumque causam regulares loco cedere cogerentur, simul omne amitterent ius, quod sic ad municipium

---

1 Gaëte.
2 His, inquam, ferme verbis, namque ea reddimus ex italico sermone.
3 Udine.

rediret. Et re quidem vera, a° 1867 discesserunt FF. Minores. Cura tamen ecclesiae est a municipio commissa quibusdam religiosis, quorum Superior parochum prohibere voluit ne, sicut ab a° 1845 fieri consueverat, ecclesiam istam adiret celebraturus S. Antonii festum et SS. Rosarii sollemnitatem.

Hinc lis mota apud S. C. Ep. et Reg. quae, de iure parochi interrogata, die 27 ian. 1905 respondit : « Quod ad sacras functiones in diebus festis S. Antonii et Sacratissimi Rosarii, excluso quocumque alio onere, servetur solitum, et ad mentem. » Mens autem fuit ut, ad amputandas controversias, ab Archiepiscopo et P. Provinciali ex *aequo et bono* conficeretur catalogus functionum quae parocho permitterentur. **Dubium.** *Dies (27 ian. 1905).* **Sententia.**

Quo respondendi modo S. Congr. animum rursus manifestavit quo oeconomicas solutiones iuridicis anteponere consuevit. *Annotatio.*

# 51. — S. CONG. SUPER NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

## *RESCRIPTA* [1] *(EX AUD. SS^mi) 17 FEBR. ET 24 NOV. 1903*

### Gratiis foventia missiones Ord. S. Benedicti in Belgio, Germania et Hollandia

A. *Rescriptum 17 febr. 1903.*

Dom Gottard Heigl, Bénédictin de la Congrégation Cassinienne de la primitive observance, Abbé Visiteur de la Province de Belgique, prosterné aux pieds de Votre Sainteté, la supplie humblement de daigner accorder à ceux de ses religieux qui donnent les Missions les mêmes faveurs et privilèges qui furent accordés aux Pères Dominicains pour l'Allemagne et la Belgique. — Que Dieu, etc. *Orator,* **Petitio.**

*Ex Audientia SS^mi, die 17 februarii 1903* *Dies (17 feb. 1903).*

SS^mus Dominus Noster Leo divina Providentia PP. XIII, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, oratoris precibus benigne annuens sequentes spirituales gratias concedere dignatus est : **Rescriptum.**

1. Indulgentiam plenariam ab omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus lucrandam, qui sacris Missionibus quas praedicti Religiosi O. S. B. in Belgii dioecesibus peragent interfuerint, et saltem dimidiam partem sacrarum contionum adierint ; dummodo vere paenitentes, sacramentaliter confessi et sacra Communione refecti aliquam ecclesiam visitaverint, ibique iuxta mentem Sanctitatis Suae devotas preces Deo effuderint ; quam quidem plenariam indulgentiam idem SS^mus Dominus etiam ipsis religiosis Missiones habentibus benigne est impertitus. *1. Indulgentia pro iis qui missiones frequentant et tradunt.*

2. Facultatem iisdem religiosis impertiendi in fine Missionum benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria pro fidelibus *2. Benedictio apostolica.*

[1] CANONISTE CONTEMPORAIN, juin 1905, p. 429-431.

qui Benedictioni adstiterint, sacris Missionibus saltem quinquies interfuerint, et sacramenta confessionis et Communionis ut supra receperint, et Deum iuxta mentem SSmi Patris oraverint; adhibita pro benedictione Crucifixi imagine, servatisque praescriptionibus Const. Benedicti XIV quae incipit *Exemplis Praedecessorum*.

*3 et 4. Cruces missionum cum coniunctis indulgentiis.*

3. Erigendi et benedicendi, de consensu Ordinariorum, in fine Missionum Cruces ferreas vel ligneas, iisdemque applicandi: *a*) Indulgentiam tercentorum dierum pro omnibus fidelibus qui earum erectioni devote interfuerint; *b*) Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum semel in die pro omnibus qui corde saltem contrito coram praedictis crucibus ter *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* recitaverint in memoriam trium horarum Agoniae D. N. I. C., et unum iuxta mentem S. S.; *c*) Indulgentiam septem annorum septemque quadragenarum recitantibus, ut supra, coram crucibus, septem *Ave Maria* in honorem septem Dolorum B. M. V.

4. Plenariam indulgentiam, adimpletis condicionibus ab Ecclesia praescriptis, pro omnibus fidelibus in die anniversaria erectionis Crucis Missionis, aut, si hic dies est ferialis, Dominica sequenti, necnon in festo Inventionis et Exaltationis S. Crucis, aut Dominica sequenti ut supra.

*Indulgentiae applicabiles.*

Huiusmodi vero indulgentias applicabiles animabus Purgatorii eadem Sanctitas Sua misericorditer in Domino est impertitus.

*Commutatio in gratiam puerorum et infirmorum.*

Denique SSmus Dominus potestatem fecit iisdem religiosis commutandi in confessione sacramentali sacram communionem in aliud pium opus pro pueris qui nondum ad illam sunt admissi, et contionibus assistentiam pro infirmis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

*Petrus Archiep. Caesaren., Secret.*

B. *Rescriptum 24 nov. 1903*

*Orator,* **Petitio.**

Dom Gottard Heigl, Bénédictin de la Congrégation Cassinienne de la primitive observance, Abbé Visiteur de la Province de Belgique, prosterné aux pieds de Votre Sainteté, la supplie humblement de daigner étendre aux Religieux Bénédictins qui donnent les Missions en Hollande et en Allemagne les mêmes privilèges accordés par rescrit du 17 février 1903 aux Bénédictins Missionnaires en Belgique. — Que Dieu, etc.

*Dies (24 nov. 1903).* **Rescriptum.**

*Ex Audientia SSmi, die 24 novembris 1903*

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne annuit pro gratia iuxta preces in forma et terminis dictae concessionis per Rescriptum diei 17 februarii 1903. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die, mense et anno praedictis.

*Petrus, Archiep. Caesaren., Secret.*

# 52. — S. C. SUPER NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

## *INDULTUM* [1] *(EX AUDIENTIA SS^mi) 9 FEBR. 1904*

*(Granaten.)* **Asservatio Eucharistiae in sacellis Monialium**

Superiorissa Generalis Instituti Sororum, vulgo *Mercedarias*, iam definitive a S. Sede approbati, dioecesis Granatensis in Hispania, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluta, suppliciter rogat ut ad spiritualem consolationem Sororum, in omnibus sacellis tam publicis quam privatis dicti Instituti SSmum Eucharistiae Sacramentum asservari possit. Et Deus, etc. *Oratrix* **Petitio.**

*Ex Audientia SSmi, die 9 februarii 1904* *Dies (9 febr. 1904).*

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente infrascripto S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne indulsit ad quinquennium, ut in Oratoriis publicis Sororum, de quibus in precibus sermo est, de conscientia et prudenti arbitrio Ordinarii loci, asservari possit SS. Eucharistiae Sacramentum, servatis praescriptionibus SS. Rituum Congregationis et dummodo Missae sacrificium pluries in hebdomada in iisdem Oratoriis celebretur. *Concessio ad quinquennium, certis legibus pro oratoriis publicis.*

Quoad Oratoria privata, idem SSmus Dominus remisit preces Ordinario loci cum facultatibus necessariis et opportunis illis annuendi pro sua conscientia et prudenti arbitrio, dummodo in pia domo saltem tres Sorores commorentur, Missa ter in hebdomada in sacello celebretur, Sacrae Hostiae saepius renoventur, lampas ante Tabernaculum indesinenter lucescat et clavis eiusdem Tabernaculi penes Sacerdotem diligenter custodiatur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Pro privatis, res commissa Ordinario loci.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congr., die, mense et anno ut supra.

*Petrus, Archiep. Caesaren. Secr.*

ANNOTATIONES

1. Legenti indultum patet concessam SS. Eucharistiae asservationem, esse, etiam in oratoriis publicis, aliquo modo auctoritati Episcopi obnoxiam. Inter publica et privata oratoria illud tamen interest, quod asservationem in publicis oratoriis concedit ipse Pontifex ita ut Episcopi arbitrium prohibendos spectet usus imprudentes, dum integrum fecit Episcopo asservationem in privatis oratoriis permittere vel prohibere.

2. Inter impositas leges, observes non iam praecipi ut missa cotidie in oratoriis celebretur, sed satis esse si pluries in hebdomada fiat.

Inculcatur iterum condicio quam indesinenter, nescio an effica-

---

[1] CANONISTE CONTEMPORAIN, 1905, p. 432.

citer, imponit S. Rituum Congregatio [1], id est, clavem Tabernaculi esse penes Sacerdotem custodiendam.

## 53. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQU.

### *RESCRIPTUM* [2] *14 DEC. 1904*

### Gratiae concessae FF. Min. Capuccinis

*Orator.* **Petit** *(pro Superioribus vel Religiosis).*

Pater Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ad osculum s. Pedis humiliter prostratus, exponit quod, cum iam summarium Indulgentiarum, Facultatum et Indultorum dicto Ordini concessorum, necessariae S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum approbationi submiserit, modo Sanctitati Vestrae supplicatur, ut favoribus spiritualibus iam tributis adhuc sequentia benigne addere dignetur facultates atque indulta :

*Facultatem erigendi Confratern. Chordigerorum.*

I. Facultates. — 1° Superioribus Ordinis, erigendi, praevio Ordinariorum consensu, in propriis ecclesiis cum respectivis Indulgentiis et gratiis spiritualibus, Confraternitates Chordigerorum, in illis locis in quibus non exsistunt conventus aut ecclesiae PP. Conventualium, iuxta normas traditas a Sixto V in Const. *Ex supremae dispositionis*, diei 19 novembris 1585, et a Paulo V in Const. *Super Archiconfraternitate*, diei 11 martii 1607 ;

2° Superioribus legitime impeditis subdelegandi alium Religiosum pro confessionibus approbatum, ad benedicendas Chordas S. Francisci, et impertiendi Chordigeris, semel in anno, benedictionem papalem, scilicet in festo Immaculatae Conceptionis ;

*Erigendi cruces, etiam plures, inter missiones.*

3° Religiosis, Missiones tradentibus, erigendi Cruces, semper de Ordinarium consensu, ipso Missionum tempore, in loco ubi istae institutae fuerunt, et quidem erigendi etiam plus quam unam in parochiis multum diffusis, per longum earum tractum, ita ut una ab altera saltem unum chilometrum distet ;

*Impertiendi benedictionem papalem.*

4° Religiosis, impertiendi benedictionem papalem cum adnexa indulgentia plenaria in fine Missionum et spiritualium exercitiorum, omnibus fidelibus qui, vere paenitentes et confessi ac S. Communione refecti, eam recipient et ad Summi Pontificis intentionem orabunt, dummodo saltem contionum medietati intervenerint.

*Lucrandi facilius certas indulgentias.*

II. Indulta. — 1° Lucrandi indulgentiam plenariam pro spiritualibus exercitiis, eadem peragendo per solos tres dies loco decem dierum, uti praescriptum esset.

2° Confitendi, in locis Missionum, semel singulis quindecim diebus ad lucrandas indulgentias in eos incidentes ;

[1] De ista custodia hanc habet Gasparri, postquam severa rettulit responsa S. Rituum Congregationis : « De facto in domibus religiosis cum votis simplicibus, clavis tabernaculi, absque speciali apostolico indulto, saepe custoditur a sorore in sacrario, quando scilicet non est sacerdos oratorio addictus. » *De SS. Eucharistia*, t. 2, n. 999.

[2] Canoniste contemporain (1905), p. 341.

3° Recipiendi privatim, scilicet post sacramentalem confessionem, absolutiones in vigilia festorum quibus affixae sunt, et pro personis legitime impeditis etiam in uno die octavae eorum; *Recipiendi absolutiones generales.*

4° Benedicendi, tempore Missionum et spiritualium exercitiorum, e suggestu Scapularia, adhibendo formulam in numero plurali, et quin imponantur, et sine obligatione inscribendi in catalogo nomina fidelium qui scapularia recipiunt, eaque respectivis exhibendi Confraternitatibus, uti praescriptum esset. *Benedicendi scapularia e suggestu.*

Quae, etc.

SSmus Dominus Noster, Pius PP. X, in audientia habita die 14 decembris 1904, ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. **Indultum.**

Datum Roma ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 14 decembris 1904. *Dies (14 dec. 1904).*

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

(Pro Secretario) *Ios. M. Can. Coselli, Substit.*

---

## 54. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESCRIPTUM* [1] *30 IAN. 1905*

### De aggregatione Congregationum Tertiariorum ad Ordinem Fratrum Minorum

Auctis admodum ex utroque sexu Tertiariis in communitate viventibus emittentibusque simplicia vota, qui exemplo et opere optime de re catholica merentur, Apostolica Sedes per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis et Reliquiis praepositae datum sub die 28 augusti anno 1903 statuit universim, ut Ecclesiae Tertiariorum huiusmodi, dummodo ipsi Ordinibus a quibus nomen et habitum mutuantur, legitime sint aggregati, « *iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur* ». *Causa petendi privilegium concessum ecclesiis Tertiariorum, et coniuncta condicio.*

Nihilominus, sanctione hac generali per Apostolicae Sedis benignitatem edita, plurima inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis Sancti Patris N. Francisci enascebantur dubia, quae prohibent quominus Seraphici Instituti Sodales eundem Tertium Ordinem Regularem amplexi, assecutam gratiam pacifice obtineant. Neque enim singulae Congregationes colorem lanae naturaliter subnigrae seu fulvae, qui italice dicitur *marrone* in suo ipsarum habitu retinent, prouti servant Fratres Ordinis Minorum ex num. 107 Constitutionum Generalium apostolico munitarum robore; neque omnes Tertiariorum Regularium Domus Ecclesiam proprie dictam adnexam habent, sed passim Capellam sive Oratorium parvum,

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 37 (1905), p. 685.

quae non semper, utpote interna, fidelium commodis patent, atque passim vel Sanctissimae Eucharistiae asservandae venia destituuntur.

*Rationes dubitandi.*

Perplexitates vero rationabiles equidem videntur, si attendatur: 1º Decretum Sacrae Congregationis consultationibus Episcoporum et Regularium praepôsitae, die 18 martii 1904 datum [1], quo Monialibus Tertiariis ad Ordinem Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum pertinentibus iniunctum esse dicitur in approbandis earum Constitutionibus, ut colorem habitus in Ordine ipso SSmae Trinitatis consuetum, qui albus est cum Scapulari cruce rubea ac caerulea insignito, Sorores acciperent loco habitus caeruleo in integrum colore, quem hucusque retinuerant; et quo, ad effectum Indulgentiarum primi Ordinis assequendarum, permittitur quidem iisdem Sororibus, ut adhibitum eousque colorem in habitu retineant, ne habitus primi Ordinis intuentium oculos percellat, sed sub promissione quod Moniales interius tunicam albam cum Scapulari Ordinis perpetuum gerant.

2º Decretum Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 22 augusti anno 1842 in *Verdunen.* evulgatum, quo declaratur ad implendam Ecclesiae vel Oratorii publici visitationem, in Rescriptis Indulgentiarum requisitam, minime censendum esse publicum Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis aut aliis Conventibus canonice dedicatum, ad quod tamen Christiana plebs non soleat accedere.

*Hinc orator, eiusque* **Petitiones:**

Itaque hodiernus Procurator Generalis, Supremi Fratrum Minorum Moderatoris iussu, ne tot Regulares Tertii Ordinis Fratres ac Sorores, qui bonum Christi odorem verbo et exemplo ubique diffundunt, prohibeantur primo ac secundo Fratrum Minorum adscribi et inde tot Indulgentiarum lucro potiri; enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut in favorem Sodalium Tertio Ordini S. Francisci Regulari adscriptorum viventiumque sub regulis saltem ab Ordinario loci approbatis, qui Fratrum Minorum Ordini petant accenseri, sequentia opportune Indulta dignetur elargiri:

*De Dispensatione a colore vestitus;*

I. Ut Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, quamvis colorem habitus in Ordine Fratrum Minorum ultimo praescriptum non assumant, possint eidem Ordini aggregari: hoc etiam attento, quod Fratribus praefati Ordinis, ante probatas anno 1897 per Apostolicam Sedem Constitutiones Generales, nullus *proprie* erat color, quem officialem nuncupant, sed aliae Provinciae alium colorem retinebant; et quod plura Tertiariorum Tertiariarumque Instituta ante annum illum 1897, aut ab Apostolica Sede aut ab Ordinario loci probata sint cum suis Constitutionibus, ubi diversum atque nunc in Ordine Fratrum Minorum consuetum reperimus colorem cum forma speciali ordinatum, qui nunc absque intuentium admiratione et exorituris inter diversa Instituta contentionibus, mutari amplius minime possit.

*Sanatione aggregationum;*

II. Ut aggregationes hucusque factae Sodalium huiusmodi Tertii Ordinis Regularis, quatenus opus sit, in radice sanentur, quin iis condicio imponatur colorem habitus interius deferendi; prouti nempe plures Tertii Ordinis Franciscani Coetus, vi Constitutionum Apostolico robore pollentium, Ordini Fratrum Minorum iam sunt adscripti, neque iis praeceptum imponebatur colorem habitus interius umquam gestandi.

---

[1] Cfr. supra, n. 15, p. 40.

III. Ut deficiente Ecclesia vel Oratorio publico Tertiariorum Domibus adnexo, possint interim Fideles lucrari Indulgentias Ecclesiis et Oratoriis publicis primi ac secundi Ordinis Fratrum Minorum concessas, in Oratorio interno ac principali earundem Domorum, quamvis illic Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservetur; hoc maxime attento quod Oratoria eiusmodi, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis *super Oratoriis semipublicis* sub die 23 ianuarii anno 1899 datum atque sub num. **4007** in novissima collectione insertum: « *etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt* », inter semipublica accensentur, in quibus « *omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent* », et Sacramenta recipere. *De loco requisito lucrandis indulgentiis.*

Et Deus etc.

**Rescriptum.** *Conceduntur petita, excepto tertio de quo adeunda alia Congregatio.*

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio EEmorum et RRmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne commisit Patri Ministro Generali Ord. Min., ut praevia, quatenus opus sit, sanatione quod ad praeteritum, petitam aggregationem pro suo arbitrio et conscientia concedat, imposita tamen Sodalibus utriusque sexus Congregationum in futurum aggregandarum condicione aliquod distinctivum Ordinis exterius deferendi. Quod ad tertium postulatum, eadem Sacra Congregatio mandavit rescribi: Recurratur ad S. Congregationem Indulgentiarum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 30 ianuarii 1905. *Dies (30 ian. 1905).*

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*Philippus Giustini, Secret.*

ANNOTATIO

Narrat moderator ephemer. ANALECTA ECCLESIASTICA, se ab officialibus S. Congregationis rescivisse in arbitrio esse positum Ministri Generalis Ordinis FF. Minorum ut insigne istud definiret. Gratiam pro qua Orator iussus est aliam adire Congregationem hic inferius subicimus n. **59**, p. 152.

---

# 55. — S. CONG. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## *RESPONSUM* [1] *1 FEBR. 1905*

### Absolutionis generalis ritus et extensio

Fr. Iucundus a Montonio, Ord. Min. Capuccinorum Procurator Generalis, Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia solvenda proposuit: *Orator* **Dubia.**

1. Quaenam sit formula adhibenda ad impertiendam Absolutionem generalem Regularibus modo privato, id est, immediate post sacramentalem Confessionem? *1. De Formula.*

---

[1] ANALECTA ECCLESIASTICA, 1905, p. 259.

## 58. — S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *RESPONSUM* [1] *8 MARTII 1905*

### De pluribus Congregationibus Tertii Ordinis saecularis, in una Ecclesia

*Orator, Proposito facto.* Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum, in regulari Provincia Immaculatae Conceptionis apud Rempublicam Brasiliensem commorantium, praevio sacrorum pedum osculo, humillime Sanctitati Tuae exponit, apud unam eandemque Ecclesiam Conventui Fratrum Minorum adnexam, et maxime in Dioecesi Curitybensi, exstare quattuor Congregationes, vel plures paucioresve, Tertii Ordinis Saecularis Sancti Francisci, propter diversas Sodalium nationes, ita ut unaquaeque habeat suos ab invicem independentes officiales, proprios coetus, sub proprio Directore spirituali. Inde quaerit:

**Quaerit,** *An factum probetur?* I. — Utrum liceat eiusmodi diversas Congregationes in una eademque Ecclesia, sive in iisdem sive in diversis Ecclesiae Capellis, habere?

*An obtineantur Indulgentiae?* II. — Utrum sic Indulgentias lucrari valeant Confratres, qui ad diversas eiusmodi pertinent Congregationes?

Et Deus, etc.

**Responsum.** Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat: Nihil obstare, quominus Sodalium Tertii Ordinis Saecularis Sancti Francisci Congregationes constituantur, prout exponitur, simulque gaudeant Indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis et privilegiis ipsis concessis.

*Dies (8 mart. 1905).* Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 8 martii 1905.

(Pro Secretario) *Iosephus M. can. Coselli, Substitutus.*

---

## 59. — S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *RESCRIPTUM* [2] *22 MARTII 1905*

### De sacellis Religiosorum Tertiariorum

*Occasio quaestionis.* Cum per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 augusti 1903, concessum sit, ut Tertiariorum Ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur, quaesitum est ab hac Sacra Congregatione:

---

1 Analecta Ecclesiastica, t. 13 (1905), p. 212.
2 Acta S. Sedis, t. 37 (1905), p. 721.

« Num quando agitur de lucrandis praefatis Indulgentiis sub nomine *Ecclesiae* Tertiariorum veniant non solum Oratoria publica, sed etiam semipublica, in quibus, ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis, diei 23 ianuarii 1899, non modo qui sunt de Communitate, sed alii etiam Christi fideles satisfacere queunt diebus festis praecepto audiendi Sacrum ? » **Dubium** *de oratoriis semipublicis.*

Et Sacra Congregatio, audito etiam Consultorum voto, respondendum mandavit : **Responsum.**

« Negative : et supplicandum Sanctissimo, ut benigne extendere dignetur etiam ad Oratoria semipublica Tertiariorum privilegium lucrandi Indulgentias, de quibus in casu, sed favore tantum eorundem Tertiariorum ceterarumque personarum cum ipsis in Communitate degentium [1] ».

De quibus facta relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, in Audientia habita die 22 martii 1905, ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne confirmavit, simulque petitam extensionem concessit. *Confirmatio pontificia.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 22 martii 1905. *Dies (22 mart. 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

## 60. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (22 mart. 1905)

### *INDULTUM DE FORMULA ABSOLUTIONIS GENERALIS TERTIARIORUM RELIGIOSORUM*

### Ordinis Minorum Capuccinorum

SSmus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens humillimis precibus Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in absolutione generali modo privato, id est immediate post sacramentalem absolutionem, Regularibus impertienda, adhiberi valeat formula brevior quae pro Tertiariis Saecularibus concessa fuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 martii 1905. *Orator.* *Indultum.* *Dies (22 mart. 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus,*

*N. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.*

---

[1] An. Eccl., p. 213, addunt : Rescriptum tamen istud minime censetur pro Oratoriis semipublicis suffragari, si Ecclesia vel Oratorium publicum Domibus Tertii Ordinis Regularis adnexa reperiatur ; et his etiam deficientibus, pro uno Oratorio tantum seu principali favet, in quo et solae Tertii Coetus regularis quorumcumque Ordinum Personae vel Alumni et contubernales, ne religiosa unquam disciplina laedatur, Indulgentias Ecclesiarum respectivi I ac II Ordinis proprias valent obtinere *(Ex Actis Ord. Min.)*.

## 61. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (1 aprilis 1905)

### *DE FESTO DEDICATIONIS ECCLESIARUM IN GALLIA* [1]

#### **Missionariorum Africae**

*Orator.*

Hodiernus Moderator Generalis Societatis Missionariorum Africae (*Pères Blancs*) Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia circa festum Dedicationis pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum :

**Dubia.**

*Vis decreti C. Caprara in regionibus postea subiectis Galliae.*

I. Utrum obligatio celebrandi festum Dedicationis Ecclesiarum, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per Decretum Cardinalis Caprara imposita *omnibus Ecclesiis Gallicanis*, extendatur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subjectas, v. g. Sahara, Soudan, sine ulla praevia concessione Sanctae Sedis vel expressa declaratione Praelati ecclesiastici, sive ibi sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae.

*Obligatio persolvendi Officium Dedicationis.*

II. Utrum obligatio persolvendi Officium Dedicationis, de qua agitur in decreto n. 3752 *Vicariatus Apostolici Senegambiae* [2] d. d. 28 novembris 1891, pro Missionariis dicti Vicariatus, extendatur etiam ad eos Missionarios qui Calendario proprio gaudent, diverso scilicet a Calendario Vicariatus, vel Dioeceseos.

*Quid, cum festum omittatur in proprio calendario.*

III. Et quatenus *Negative*, utrum tamen isti Missionarii in dioecesi ubi festum celebratur commorantes, in Oratorio proprio (semipublico), extra civitatem posito, celebrare debeant sollemnitatem Dedicationis in praefata Dominica, ex eo quod nulla dies pro tali festo in Calendario Societatis designatur.

**Rescriptum.**

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit :

*Ad I.*

Ad I. *Affirmative, iuxta Decretum Cardinalis Legati Caprara pro reductione festorum d. d. 9 aprilis 1802 et alterum Generale S. R. C. n. 3863* Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae *9 iulii 1894 ad III.*

*Ad II.*

Ad. II. *Affirmative, nisi indultum obtentum fuerit a Sancta Sede celebrandi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum, iuxta Decretum n. 3861* Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandiae, *22 iunii 1895 ad I, et n. 3925* Ordinis Minorum Capuccinorum *10 iulii 1896 ad V.*

*Dies (1 april. 1905).*

Atque ita rescripsit, die 1 aprilis 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

*A. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.*

---

[1] Acta S. Sedis, t. 37 (1905), p. 599.

[2] Quamvis in Vicariatu isto duae tantum forent consecratae ecclesiae, respondit S. Congregatio : « Omnes Missionarii tenentur officium Dedicationis persolvere eadem die qua in Gallia festum recolitur Dedicationis omnium ecclesiarum. »

## 62. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (15 aprilis 1905)

### *DE MUSICIS INSTRUMENTIS INTER SACRA* [1]

### Compostellana

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iosephus M. Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus ad Sacram Rituum Congregationem mittens elenchum tum festorum quae in sua ecclesia cathedrali sollemniter celebrantur, cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquestra;* tum instrumentorum quibus musici utuntur in iisdem sollemnitatibus; atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis quae Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra statuit, nempe: « Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente episcopo, ut Caerimoniale Episcoporum praecipit », eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, videlicet: *Orator. Occasio dubiorum.*

**Dubia.**

I. An et in quibus festis permitti possit usus instrumentorum, quae (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas* [2]) in elencho recensentur? *I. De usu quorundam instrumentorum.*

II. An permitti possit usus instrumentorum in Officio et Missa defunctorum? *II. De usu instrumentorum in Off. et Missa Defunct.*

III. An proscribendus sit in ecclesiis parochialibus et conventualibus usus organi dicti *harmonium* in Officio et Missa defunctorum? *III. Quid tunc de « harmonium »?*

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis super Musica et Cantu sacro, rescribendum censuit: **Rescriptum.**

Ad I. Ad primam partem, *Affirmative;* ad secundum partem, in illis functionibus et temporibus in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caerimoniali Episcoporum, a praedicto *Motu proprio* et a Decretis S. R. C., uti in *Pisana*, 20 martii 1903, et in *Compostellana*, 8 ianuarii 1904 super Triduo Maioris Hebdomadae; verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam aut aliam probatam. *Ad I.*

Ad II. In Officio *negative;* in Missa et Absolutione post Missam, prouti in responso ad I et servatis servandis, ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur, et sileant instrumenta cum silet cantus, iuxta Caerimoniale Episcoporum, lib. I, cap. 28, n. 13. *Ad II.*

Ad III. Provisum in praecedenti. *Ad III.*

Atque ita rescripsit. Die 15 aprilis 1905. *Dies (15 april. 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

[1] Acta S. Sedis, t. 37 (1905), p. 663.

[2] Id est, gallice: *violons, violes, violoncelles, contrebasses, flûtes, clarinettes, bassons, trompettes.*

ANNOTATIO

Hoc rescripto clarius apparet quo genere instrumentorum uti liceat accedente venia Ordinarii. Verum, ne id frequentius quam par est contingat, simul monemur in venia ista inesse rationem cuiuspiam dispensationis a lege communi.

---

## 63. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM* [1] *5 MAII 1905*

### Constitutiones interpretans Missionariorum Filiorum Imm. Cordis B. M. V.

*Orator.* **Dubia.**

Moderator Generalis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, exponit ut sequitur :

*I. De capitulo congregato ob vacans Generalis munus.*

I. In Constitutionum cap. III, n. 6 haec habentur : « Superioris Generalis electio fiet in Capitulo Generali suffragiorum pluralitate non quidem relativa sed absoluta : hoc autem Capitulum duodecimo quoque anno convocabitur ». Deinde in cap. XXII, n. 37, de iisdem Capitulis Generalibus statuitur : « Duodecimo quoque anno celebrabuntur a Superiore Generali convocata tempore et loco, quae ipsi opportuniora videantur ». In numero vero 39 eiusdem capitis : « Capitulum Generale praeter tempora dicta habebitur... cum ob Directoris Generalis mortem vel destitutionem novus erit eligendus ». Ex horum locorum collatione hoc dubium exsurgit : Capitulum convocatum ad electionem novi Superioris Generalis ob mortem vel destitutionem antecessoris, qui defunctus vel destitutus fuit antequam tempus duodecim annorum ab electione lapsum fuisset, habendumne est ut Capitulum ordinarium, in quo proinde eligi debeant Consiliarii, Minister et Procurator Generales, immo et Secretarius Generalis ; vel potius est extraordinarium, ideoque solus in eo Superior Generalis eligendus usque ad proximum Capitulum Generale ordinarium, in quo eligentur Superior Generalis, eius Consiliarii, Secretarius, Minister et Procurator Generales ?

*II. De supplendo Consultore Provinciali.*

II. Caput V *de Consultoribus Generalibus*, n. 19 haec statuit : « Cuiuscumque (Consultoris) defectus per alium a Directore et reliquis Consultoribus electum suppleri debebit ; idemque servandum proportionaliter in aliorum Superiorum seu Consultorum defectu ». Ex hoc loco sequens eruitur difficultas : Electio pro supplendo defectu alicuius Consultoris Provincialis competitne Directori Generali cum suis Consiliariis ; vel Superiori Provinciali cum altero Consultore Provinciali ; nam iuxta nostras Constitutiones Superior Provincialis duos tantum habere debet Consiliarios Provinciales ?

---

[1] ANALECTA ECCLESIASTICA, 1905, p. 239.

III. Inter officia Superiori Generali designata in cap. III, n. 8 nostrarum Constitutionum, hoc etiam habetur: « De omnibus, quae ad admissionem Domuum et Collegiorum, et ad Congregationis bonum spectabunt permagnam habere sollicitudinem ». Quaeritur ergo utrum Superioris Generalis officium sit nominare seu eligere prima vice Superiores vel Consultores Collegiorum, Domuum et Residentiarum quae de novo erigantur; vel electio sit muneris Superioris Provincialis cum suo Consilio in cuius Provincia Collegium, Domus aut Residentia constituitur? *III. De nominandis Praepositis novarum domorum.*

Sacra Congregatio EE^morum^ ac. RR^morum^ S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concernentibus respondendum censuit: **Responsum.**

Ad. I. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam. *Ad I.*

Ad. II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam. *Ad II.*

Ad. III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam. *Ad III.*

Romae, 5 maii 1905. *Dies (5 maii 1905).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

Annotatio

Responsio ad I Oratoris votis congruere perspicitur. Dubitamus tamen an non futurum sit ut ipse usus vota ista mutet. Cum enim ad personam Generalis attemperandus sit delectus Consiliariorum, etc. non vacare incommodis arbitramur quod Praepositus Generalis, quotiens in locum defuncti eligitur, eodem Consilio quo antecessor eius uti debeat.

---

# 64. — SS. D. N. PII PP. X

## MOTU PROPRIO [1] 8 MAII 1905

## De Ursulinis in unum corpus cogendis

Apostolicae Sedi id semper in votis fuit, ut religiosa Instituta, nominatim ea quae iuventuti imbuendae dant operam, sese mutatis temporum et rerum adiunctis, immutato manente spiritu, congruenter aptare studerent. Quod si opportunum hoc fuit quolibet tempore, aetate hac nostra esse necessarium res ipsae plane demonstrant. *Temporum ratio opportune habenda.*

Quamobrem, cum Decessor Noster f. r. Leo XIII compertum perspectumque haberet, Ursulinarum Ordinem, cui vel illud praecipuae laudi vertendum, quod nobile munus instituendi adolescentulas maturrime suscepit, novis rerum necessitatibus non perfecte nec ex omni parte respondere, eo praesertim quod monasteria *Opus congregandi Ursulinas inchoatum a Leone XIII.*

---

[1] Acta S. Sedis, t. 37 (1905), p. 679.

quibus coalescit, cum sui quaeque iuris essent, nec se invicem adiuvare et praesidio esse, nec mutua virtutis aemulatione ad meliora et maiora se excitare valerent; idcirco huic rerum condicioni opportuna atque salutaria afferenda censuit remedia. Et re quidem vera a cunctis Ursulinarum domibus, ubique terrarum exsistentibus, litteris die 21 iulii 1899 datis, exquiri mandavit num scilicet Instituto universas domos complectenti habentique sedem principem in Urbe, si quando per auctoritatem S. Sedis exsurgeret, libenter accederent; et cum supra sexaginta ex illis sese id libentissime velle respondissent, idem Pontifex primum pro temporum natura vivae vocis oraculo, die 28 novembris 1900, deinceps per decretum a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 17 iulii 1903 editum, praedictam Unionem approbavit.

*Hactenus a se facta memorat Pontifex.*

Quod ad Nos attinet, iam a primordiis pontificatus Nostri dicti Instituti Constitutiones, item per decretum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 14 septembris 1903 datum, ratas habuimus; nec ullam praetermisimus occasionem, singularem, qua illud prosequimur, benevolentiam Nostram testificandi, laetissimo etiam cernentes animo alias atque alias domos paullatim ad illud convenire.

*Denuo approbat Constitutiones.*

Nunc vero, cum uberes fructus quos Ursulinarum coniunctio peperit per Nos Ipsos perspexerimus, cumque uberiores quos in futurum est paritura prospiciamus: Nos non solum unionem hanc feliciter initam, sed et Constitutiones eidem Instituto datas, auctoritate Nostra iterum plenissime approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adicimus.

*Indulgentiam concedit.*

Volentes insuper specialibus favoribus dictum Ursulinarum Institutum augere, omnibus et singulis eiusdem Instituti Sodalibus, redeunte anniversaria die qua Ursulinarum unio ab Apostolica Sede approbata fuit, videlicet die 28 novembris, in perpetuum plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino impertimus. Quam indulgentiam etiam animabus fidelium Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse concedimus.

*Instituti optat incrementum; Episcopi suaviter ad consociationem adducant haesitantes Ursulinas.*

Ex his sponte elucet quantum Nos optemus, ut Institutum tam fauste inceptum, aucto in dies adhaerentium numero, in maius provehatur, latiusque pateat. Quapropter vehementer adhortamur illas quae adhuc extra Institutum versantur familias, ut sese eidem adsciscere velint. Neque dubitamus quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi, in quorum dioecesibus huiusmodi Ursulinarum domus exsistunt, non solum earundem votis obsecundent, verum etiam cunctantes, si quae fuerint, ad optatam consociationem suaviter flectant, persuasum plane habentes, quod dicti Instituti Constitutiones ita sint concinnatae, ut quarumlibet nationum consuetudinibus atque indoli aptissime congruant.

*Praecepta divulgatio Litterarum.*

Volumus autem ut praesentes Litterae ad singulos, de quibus supra, Episcopos mittantur, eorumque cura in linguam vernaculam ad verbum diligenter versae, in qualibet Ursulinarum domo, speciali ad id indicto conventu, legantur.

*Clausula derogans.*

Haec ad maius Ursulinarum Instituti bonum atque incrementum edicimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (8 maii 1905).*

Datum Romae, apud S. Petrum, die VIII maii an. MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

ANNOTATIONES

I. De ipso Ursulinarum Instituto pauca quaedam enarrare videtur operae pretium. S. Angela Merici, quae passim effertur ut fundatrix Ursulinarum, nullam quidem instituit congregationem religiosam, sed, auspiciis gloriosae virginis ac martyris S. Ursulae, anno 1535, piam potius constituit consociationem virginum quae operibus caritatis et praecipue instituendis christiane puellis operam daret. Ipsa autem e vita excessit Brixiae, anno 1540, ante impetratam pontificiam Instituti confirmationem, quae a Paulo III est 9 iunii 1544 concessa. Diffundendae huic rationi vivendi plurimum allaboravit S. Carolus Borromaeus, qui etiam a Gregorio XIII obtinuit ut Ursulinae communem agerent vitam. Hinc non tantum per Italiam propagari coeptae sunt, sed in Galliam atque in alias Europae et Americae regiones. Mox etiam pluribus domiciliis indulta sunt vota sollemnia, et constitutae sunt plures Ursulinarum congregationes, genere vivendi aliquantisper dissimiles, quibus tamen hae notae conveniebant communes: quod regula utebantur S. Augustini, substantialia religionis vota habebant, instituendarum puellarum potissimam curam exercebant, et singulas domos sui iuris esse sinebant. De instituendis puellis plures speciale nuncupabant votum.

Ex his Congregationibus potissimae fuerunt Parisiensis, Burdigalensis ac Lugdunensis, quae a Paulo V sunt ordine approbatae 13 iunii 1612, 5 februarii 1618, et 23 maii 1619.

Gallica exeuntis saec. XVIII perturbatione dispersae sunt multae Ursulinae. Sedata tamen tempestate, plures restitutae sunt communitates variisque uti coeperunt legibus ac vestitu, ita tamen ut a primario Ursulinarum fine minime recederent. Sic fit ut in Germania sollemnia servarint vota, quae in Belgio et in Gallia simplicia tantum esse possunt. In Gallia plures stricta (non omissa crate) utuntur clausura; dum in Belgio, contra, contentae sunt partiali ista clausura quae, in nostris partibus, fini huius disciplinae prorsus sufficere, ex ipsa diuturna experientia comprobatur. Hic etiam, quo facilius possint caritatis exercere opus, aliquanto minus contemplationi vacant quam in Gallia et in Italia.

Porro potissimus Ursulinarum in Belgio auctor fuit piae memoriae sacerdos Lambertz, parochus pagi Thildonck (prope Lovanium in Brabantica provincia). Is, iam anno 1831, a congregatione Burdigalensi mutuatus est leges, quae deinde, ex Episcoporum auctoritate, ad nostras regiones sunt perfecte accommodatae; atque in sua paroecia domum condidit quae et ipsa est florentissima et multorum conservatoriorum est in Belgio et in Anglia alma parens. A paucis vero annis sunt inter domos quae in Belgio sunt binae conflatae societates, quarum altera, dioecesis Mechliniensis (cui adhaerent etiam domus quaedam Angliae), omnes ferme illius dioecesis domos complectitur, altera Ursulinas congregat Leodiensis dioecesis. Sui tamen iuris manent singula conservatoria; sed huc spectant coniunctionis commoda, ut in communi domo (saltem per priorem probationis annum) instituantur noviciae, utque facilius possint, ob iustas causas, ab una in aliam domum migrare Ursulinae. Addas magis ordinatam rationem tuendi disciplinae fervorem.

Exemplum istud videtur movisse Superiorissam quandam mona-

sterii Blesensis (cui nomen Mater a S. Iuliana), quae recreandi languentem domum Calvensem et Romanam assumpserat munus ut simili foedere domos nonnullas e Gallia et Italia coniungeret.

Subinde vero maioris moliminis initum est consilium, variasque Ursulinarum congregationes vel domos in magnum collegii corpus cogere meditatus est Leo XIII, ita tamen ut sufficiens singulis domibus permitteretur autonomia. Cetera in ipso Motu Proprio referuntur. Constitutiones de quibus sermo ibi fit sunt ad tres annos probatae.

II. Supra, n. **35**, p. 95 responsum dedimus 10 martii 1902, quo plena relicta erat optio admittendi vel declinandi Unionem. Nunc autem omnium in unum corpus congregationem se vehementer optare non dissimulat Summus Pontifex. Votum tamen istud, cui nemo sane maximam auctoritatem detrectabit, cum praecepto confundi nequit. Adiuncta enim esse possunt, in quibus ex ipsius Pontificis mente, impediatur voti exsecutio. Quod in praesenti causa iam contigit. Ne enim universalis ista congregatio, sub capite extraneo, a Gubernio civili aegre feratur, Ursulinae Germaniae ad novum Ordinem non adscribentur.

Septima enim iunii 1905, Episcopi Borussiae, congregati Fuldae, litteras scripserunt ad S. Pontificem in quibus propositam Unionem minus sibi placere declarant « tamquam publicis patriae legibus contrariam et ad adiuncta Germaniae minus quadrantem. Simul S. Pontificem rogabant ut sua auctoritate alteram probaret Ursulinarum Societatem cuius constitutiones, a Superiorissa Oenipontana conscriptae, illius regionis legibus et adiunctis melius congruerent.

Has litteras ab Emo Card. Kopp ceterisque Borussiae episcopis obsignatas excepit responsum Card. Secretarii Status, datum 13 iunii 1905, in quo declarat numquam SSmum Dominum eius fuisse animi ut societatem domorum Germaniae cum Romano domicilio commendaret, sed ut Unionem hanc foveret quantum fieri posset nec inexsuperabiles obstarent difficultates.

Iuvabit ipsa Emi Secretarii Status exscribere verba

*Bezüglich der Vorstellung wegen der Ursulinerinnen hat Seine Heiligheit erklärt, es sei niemals seine Absicht gewesen, die Vereinigung der in Deutschland bestehenden Klöster mit dem in Rom gegrundeten Hause anzubefehlen, sondern dieses nur zu empfehlen soweit es möglich sei oder auch wenn sich nicht unüberwindliche Schwierigkeiten dazwischen stellen.*

*Inzwischen ist die erwähnte Vorstellung an die heilige Kongregation der Bischöfe und gleichzeitig diese wohlwollende Willensmeinung Seiner Heiligkeit zur Kenntnis zu bringen.*

*(gez) R. Card. Merry del Val.*

III. Quam superiore numero II scripsimus declarationem motus proprii 8 maii 1905 confirmarunt plura acta recentiora, quae hic commemorari iuvabit. Etenim :

1. Idem C. Kopp, cum alteris litteris, 6 augusti 1905, iterum de ista Unione S. Sedem interrogasset, missum 13 aug. a Cardinali Secretario Status responsum accepit « nullam in motu proprio contineri iussionem. Esse itaque Ursulinarum familiis integrum de hac re libere decernere quid ipsis videatur. Quam normam proponi posse etiam aliis, qui a C. Kopp SSmi Domini mentem rescire cupierint. »

Quocirca C. Kopp omnes quorum intererat certiores fecit, esse in Ursulinarum arbitrio positum ut Unioni romanae darent vel declinarent nomen.

2. Sed et similes indicationes datae sunt eiusdem Cardinalis Secretarii Status litteris 12 aug. ad Episcopum Waterfordiensem, in Hibernia, qui 7 aug. ipsum adierat consultum.

3. Die etiam 13 septembris 1905, Card. Secretarius Status pari prorsus modo rescripsit Cardinali Goossens, Archiepiscopo Mechliniensi in Belgio, votum Motus proprii non esse loco praecepti habendum, solutamque Ursulinis servari optionem.

4. Neque aliter aperuit mentem suam Pontifex Episcopo Ruremondensi in Hollandia. Is tamen, litteris suis 8 mensis huiusce octobris, simul addidit, Sanctissimo Domino opportunum, ne dicatur necessarium, videri, si Ursulinarum constituatur dioecesana vel regionalis Congregatio; idque tamquam formaliter expressam Pontificis voluntatem communicari posse.

IV. Quae causa cum hoc modo dirempta videatur, restat ut in ipso Motu Proprio 8 maii 1905 memorata acta hic subiciamus, id est, litteras 21 iulii 1899, quas referemus ut gallice erant conscriptae, et decretum S. C. Episc. et Reg. 17 iulii 1903. Quod statim praestamus in proximo articulo.

---

# 65. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *LITTERAE 21 IULII 1899 ET DECRETUM 17 IULII 1903*

## De Ursulinis in unum corpus cogendis

A. *Litterae 21 iul. 1899.*

Éminence [1] Révérendissime et Très Vénéré Seigneur,

Parmi les Instituts Religieux auxquels a été confiée, avec l'approbation du Siège Apostolique et sous la surveillance des Evêques, la noble tâche d'élever les jeunes filles dans la piété et dans la science, se distingue non moins par son ancienneté que par ses vertus et ses mérites, l'Ordre des Religieuses, dites de Ste Ursule. *Munus et nobilitas Instituti Ursulinarum.*

---

[1] A Son Éminence le Cardinal Goossens, Archevêque de Malines. Hoc enim exscribimus litterarum exemplum.

*Desideratur domorum consociatio. Cur.*

Bien qu'unis par la charité, les Couvents des Ursulines ne sont pas rattachés entre eux par le lien d'une véritable association; il s'ensuit qu'assez souvent certaines de ces Communautés se trouvent impuissantes à atteindre facilement le but qu'elles se sont proposé, parce qu'elles ne sont pas suffisamment pourvues des moyens nécessaires à cette fin, et qu'il n'y a pas d'espoir pour elles de les obtenir des autres Communautés du même Institut, attendu qu'elles sont séparées les unes des autres et sans aucun lien qui les unisse.

*Hinc vota quorundam Antistitum, et ratio agendi huius S. Congregationis.*

Dans le but d'obvier à ces inconvénients et à ces difficultés, cette Sacrée Congrégation des Evêques et Réguliers a cru devoir, l'année dernière, accueillir avec bienveillance les demandes de quelques Evêques tendant à amener une certaine union entre les Communautés des Ursulines; et en conséquence, par son Décret du 8 octobre 1898, elle a statué que toutes les fois que des Communautés Religieuses Ursulines, établies dans les différentes parties de la Chrétienté, demanderaient à se réunir en congrégations particulières, on ferait volontiers droit à leurs prières et à leurs désirs.

*Recens quaedam Domus perfectam Instituti unitatem postularunt.*

Tout récemment, quelques Communautés d'Ursulines, établies même dans des pays différents, ont écrit à Rome en vue d'obtenir que l'Institut tout entier des Ursulines fût réuni en un seul corps, à la manière des Congrégations qui ont pris naissance ce siècle-ci et ont été approuvées par le Siège Apostolique.

*Videndum prius quid adiuncta suadeant.*

Assurément, il n'est pas dans les usages du S. Siège de changer à la légère ce qui a été établi régulièrement et consacré par un long laps de temps, à moins que les changements que l'on demande ne semblent être plus en rapport avec les nouvelles circonstances des temps et ne soient de nature à faire atteindre d'une manière plus avantageuse et plus efficace le but proposé.

*Hinc interrogantur Ordinarii et Ursulinae.*

Aussi, avant de décider quoi que ce soit relativement à la question qui lui est soumise, la Sacrée Congrégation estime qu'il est très opportun de connaître à cet égard l'avis des Ordinaires des lieux et celui des Religieuses elles-mêmes.

Votre Éminence voudra donc bien examiner cette question avec le plus grand soin, et faire connaître son sentiment à cette Sacrée Congrégation, après avoir préalablement sondé les dispositions de ces mêmes Religieuses.

Et comme il importe que les Religieuses manifestent en toute liberté ce qu'elles pensent à ce sujet, il est bon qu'on leur accorde un temps convenable, pour peser devant Dieu toute cette affaire, et qu'ensuite chacune d'elles exprime son avis par vote absolument secret.

*Qua ratione unitas ista sit concipienda.*

Les Religieuses doivent bien comprendre les trois points suivants:

1º L'union dont il est question a uniquement pour effet d'établir de commun accord ce qui est jugé propre et nécessaire au gouvernement de l'Institut tout entier, en conservant, autant que possible, à chaque Communauté, les lois, constitutions et usages qui la régissent légitimement.

2º La forme de cette union pourrait être établie comme suit: *a*) La Supérieure Générale, élue pour un temps déterminé par des déléguées (une de chaque Communauté), aurait sa résidence à Rome avec son Conseil Général qui serait élu également par les mêmes déléguées; *b*) L'Institut tout entier serait divisé en différentes Provinces, qui auraient chacune à leur tête une Supérieure Provinciale avec son Conseil particulier.

3° On se servira partout de la même formule de Profession religieuse, comprenant les trois vœux d'obéissance, de pauvreté et de chasteté, sans y faire aucune mention d'un quatrième vœu, de celui de se consacrer à l'éducation des jeunes filles, qui est émis actuellement par quelques Communautés. Ce dernier vœu est évidemment compris dans le vœu d'obéissance émis d'après la teneur des Constitutions de l'Institut.

*Salutatio.*

Telles sont les communications que Notre Très Saint Père le Pape Léon XIII m'a chargé de faire à Votre Eminence, dont je baise très humblement la main.

*Dies (21 iul. 1899).*

Rome, 21 juillet 1899.

De Votre Éminence

le très humble et très dévoué serviteur,

S. Card. VANNUTELLI, *Préfet.*

*A. Panici, Secrétaire.*

B. *Decretum 17 iulii 1903.*

*Narrantur instantiae factae et superiora acta S. Congregationis.*

Anno 1899 decurrente, ex plerisque Ursulinarum Familiis in diversis etiam regionibus commorantibus transmissae fuerunt litterae, ad hoc ut universus Ordo ad unius corporis compaginem redigeretur, ad formam Institutorum, quae hoc saeculo exorta et ab Apostolica Sede approbata fuerunt. Verumtamen haec Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium antequam quicquam hoc super negotio constitueret, peropportunum censuit cognoscere quid locorum Ordinarii quidque Moniales ipsae ad rem sentirent. Quapropter per litteras diei 21 iulii 1899, E^mus Cardinalis huius Sacrae Congregationis Praefectus, de mandato SS^mi Domini Leonis Papae XIII, a cunctis Episcopis, in quorum dioecesibus exstabant Monasteria Ursulinarum requisivit, ut hac de re sententiam suam Sacrae Congregationi panderent, exploratis in antecessum earundem Religiosarum animis. Iamvero, ex datis responsis constat 70 monasteria, annuentibus etiam Ordinariis, rei propositae libenter adhaesisse. Quorum monasteriorum Superiorissae sub finem anni insequentis ad comitia generalia, in hanc Almam Urbem rite advocatae, normas sanctioni S. Sedis subiciendas, iuxta quas Ursulinarum Institutum constitui ac regi deberet, fere unanimiter per summa capita, statuerunt. Re quidem vera 62 ex dictis Superiorissis a Summo Pontifice, per supplicem libellum diei 21 novembris 1900 humillime expetierunt, ut Institutum, iuxta citatas normas, approbare, ipsasque cum suis monasteriis, quorum elenchus in calce prostat, eidem adscribere dignaretur. Has preces Summus Pontifex, benigne excipiens, Unionem Ursulinarum, prout in comitiis generalibus discussa et statuta fuerat, sancire dignatus est.

*Interrogati Ordinarii et Ursulinae quid responderint.*

*A congregatis Superiorissis statuta confecta.*

*Petita approbatio statutorum.*

*Concessa, 21 novembris 1901, vivae vocis oraculo.*

Verum huiusmodi sanctionem solo vivae vocis oraculo E^mo eiusdem Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto significavit in Audientia diei 28 novembris 1900, ab eodem E^mo habita, in aliud opportunius tempus decreto formali reservato. Porro, cum Sanctitas Sua, iteratis Priorissae Generalis et sui Consilii precibus benigne annuens, nuperrimis hisce diebus mandaverit, ut Unionis verbotenus, uti supra approbatae, formale Decretum ederetur, haec Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium eiusdem Sanctitatis Suae mandatis, eo quo par est obsequio, morem gerens, eandem Ursulinarum Unionem, sub regimine Priorissae Generalis per praesens formale decretum ratam habet atque confirmat, et quae a

*Editur nunc formale approbationis decretum.*

praefata die 28 novembris 1900 a Priorissa Generali cum suo Consilio rite gesta atque constituta sunt in pleno firmitatis robore permanere declarat.

*Dies (17 iul. 1903).* Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 iulii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

---

## 66. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (29 nov. 1901 et 24 ian. 1902)

### *RESPONSA DE OFFICIO ET MISSA DE REQUIE APUD REGULARES*

### Ordinis Carmelitarum Excalceatorum

A. *Responsum 29 nov. 1901.*

*Orator.* Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrensis, in Hispania, ad quietem et tranquillitatem suorum Religiosorum procurandam et ad omnem dubietatem de medio tollendam, de consensu sui R^mi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum: An liceat in Ecclesiis Regularium, permittente ritu, Officia et Missas de Requie celebrari diebus 3, 7 et 30 a depositione, iuxta Rubricas Missalis Romani?

**Dubium** *de Officio ac Missa die 3, 7. 30.*

**Responsum.** Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum esse censuit: « Detur Decretum *3494, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci* [1] diei 13 maii 1879, ad I^um ». Atque ita rescripsit.

*Dies (29 nov. 1901).* Die 29 novembris 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

B. *Responsum 24 ian. 1902.*

*Orator.* Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrae, in Hispania, accepto responso per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis datum die 29 novembris 1901 super Officiis et Missis de Requie permissis in Ecclesiis Regularium diebus 3, 7 et 30 a depositione, iteratis precibus eandem S. Congregationem pro sequentis dubii declaratione humillime exoravit, nimirum: An praefatum responsum seu iudicium extendi possit etiam ad dies anniversarios?

**Dubium** *de anniversariis.*

**Responsum.** Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

---

[1] Cfr. *De Religiosis*, II, *Monumenta et Supplementa* [2], n. **208**, p. 707.

« *Affirmative*, ex identitate rationis, iuxta Decretum generale 3753, datum die 2 decembris 1891 [1] ». Atque ita rescripsit.

Die 24 ianuarii 1902. *Dies (24 ian. 1902).*

D. Card. FERRATA, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

# 67. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (11 decembr. 1903 et 12 maii 1905)

## *RESPONSA LITURGICA*

### Congr. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae

A. *Responsa 11 decembris 1903.*

Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de consensu sui Superioris, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit nimirum : *Orator.*

**Dubia.**

I. An in illis Ordinibus regularibus, in quibus sub aliquo titulo colitur Deipara Virgo tamquam Patrona, debeat fieri in suffragiis sanctorum commemoratio de eadem veluti de Patrona, cum consueta antiphona *Sancta Maria succurre miseris*, etc. etiamsi eiusdem officium parvum in Choro recitatum fuerit? *I. Commemoratio B. M. V. inter suffragia.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

III. An ritu monastico, occurrente festo S. Thomae Contuarien. Episc. Mart., die 29 decembris, in Dominica, in primo nocturno legendae sint Lectiones *A Mileto* de Communi, vel potius *Initium Epistolae ad Romanos.* *III. Ritus monasticus in festo S. Thomae Cantuarensis.*

IV. An in Ecclesiis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, in processione feriae VI in Parasceve, cantandus sit hymnus *Vexilla* iuxta ritum monasticum, vel romanum? *IV. Hymnus* Vexilla *in Parasceve.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit. **Responsa.**

Ad I. Negative iuxta Decretum n° 4043, circa commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in suffragiis sanctorum, 27 iunii 1899, ad II. *Ad I.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Ad III. Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam. *Ad III.*

Ad IV. Iuxta consuetudinem. *Ad IV.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Atque ita rescripsit. Die 11 decembris 1903. *Dies (11 dec. 1903).*

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

[1] In decreto isto aequiperantur anniversaria et officia dierum 3, 7 et 30, etiam quod ad dies quibus fieri permittuntur : i. e. fieri possunt etiam in diebus quibus celebratur festum ritus 2ª classe inferioris, seclusis tamen quibusdam octavis vel diebus privilegiatis.

B. *Responsa* [1] *12 maii 1905.*

*Orator.* Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium, de consensu sui Superioris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione **Dubia.** sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

*Lectiones S. Bedae.* I. Cum per Decretum Generale, d. d. 13 novembris 1899, festum S. Bedae Venerabilis ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, quaeritur: an utentes Breviario Monastico debeant recitare Lectiones pro universali Ecclesia per dictum Decretum approbatas, vel potius illas iam pridem pro Ordine Sancti Benedicti concessas?

*Oratio S. Michaëlis.* II. In Missa S. Michaëlis Archangeli, Patroni Congregationis Eremitarum Camaldulensium, approbata per Decretum 22 iulii 1809, duae habentur Orationes, quarum prima propria dicenda est ubi Sanctus Michaël est Titularis Ecclesiae vel Altaris, altera de Communi dicenda praescribitur, ubi Sanctus Michaël Titulus Ecclesiae vel Altaris non est. Quaeritur, utrum praedicta Oratio propria in locis, in quibus Sanctus Michaël est Titularis, dicenda quoque sit in Officio, in Suffragiis autem altera de Communi?

*Commemoratio B. Mariae inter suffragia.* III. Iuxta De Herdt (Ed. X, an. 1902, vol. 2, n. 368), qui citat Guyetum et Cavalieri, commemoratio S. Mariae non fit inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum (iuxta Rubricas, tit. 25, n. 4), sive coniungatur Officio diei, sive separatim recitetur: sive ex devotione tantum, sive ex obligatione dicatur. Cum vero ex Constitutionibus Congregationis Eremitarum Camaldulensium dictum Officium parvum B. M. V., diebus in quibus Choro non dicitur, cotidie privatim ab unoquoque persolvatur, a supradicta doctrina perpetua omissio commemorationis eiusdem B. M. V. in Suffragiis sequeretur; hinc quaeritur, an commemoratio B. M. V. inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum, omittenda sit tam in Choro quam extra Chorum, sive dictum Officium parvum coniungatur Officio diei, sive separatim aut privatim recitetur, tam diebus quibus in Choro persolvitur, quam illis quibus in eodem omittitur?

*Lectiones S. Thomae Cantuarensis.* IV. An lectiones *A Mileto*, quae leguntur in festo S. Thomae Episc. Mart. considerandae sint tamquam propriae, vel solummodo propositae ex defectu Lectionum de Scriptura? Cum, in ritu monastico, Officium infra Octavam Nativitatis duobus constet Nocturnis et tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium, ideo, occurrente S. Thoma in Dominica, si dicantur Lectiones *A Mileto,* tunc feria II non haberet locum initium Epistolae ad Romanos, ut in ritu Romano, sed reponendum erit in festo S. Silvestri. E contra si Lectiones *A Mileto* uti propriae non sint considerandae pro S. Thoma, tunc in ritu monastico dicerentur de Scriptura in praedicta Dominica.

*Hymni Officii Passionis.* V. An hymni in Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. et in Officio votivo Passionis D. N. I. C., deficientibus propriis Vesperis, sint transponendi, et quid sit faciendum in defectu tam primarum quam secundarum Vesperarum?

*Hymnus* Vexilla *in Parasceve.* VI. An in Ecclesiis Congregationis Camaldulensis in processione feriae VI in Parasceve, cantandus sit hymnus *Vexilla* prouti in Breviario Monastico, vel ut in Breviario Romano: Missale enim Monasticum nil dicit.

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 38 (1905), p. 103.

VII. Praelati omnes praedictae Congregationis ex consuetudine diverso ritu asperguntur, h. e. non a superiori parte ad inferiorem uti reliqui, sed contrario a parte inferiori ad superiorem. Quaeritur, utrum eiusmodi ritus servari possit? *Aspersio Praelatorum.*

VIII. Iuxta consuetudines eiusdem Congregationis, quando Prior hebdomadarii munus subest, Sacerdos illi proximior Homiliae Lectiones legit, non enim decet Praelatum a subdito benedici, quod tamen in Superiore non Praelato nequaquam militat. Si ergo Prior Lectiones quoque ex necessitate aliave de causa legit, an alius pro eo debeat benedictionem petere et ipsemet Lectiones recitaturus benedictionem dare, vel dictus Prior debeat petere benedictionem cum *Iube, domne*, et sibi ipsi illam impertire, aut potius debeat petere benedictionem cum *Iube, domne*, et illi debeat dignior Sacerdos de Choro more solito benedictionem impertire? *Benedictio a quo petenda inter Officium.*

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis rescribendum censuit: **Responsa.**

Ad I. « Sumantur in casu Lectiones pro universali Ecclesia concessae ». *Ad I.*

Ad II. « Adhibeatur in omnibus Ecclesiis Congregationis Oratio prima ac Patroni seu titularis propria, tam in Officio quam in Suffragio : mutato sic Orationis fine : *ut ipsius omniumque Angelorum memoriam colentes in terris, eorum quoque precibus adiuvemur in caelis* ». *Ad II.*

Ad III. « Affirmative in omnibus, iuxta Rubricas Generales Breviarii, tit. 35, n. 4, et *Decretum Generale*, n. 4043, circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum 27 iunii 1899 ad III ». *Ad III.*

Ad IV. « Initium Epistolae ad Romanos dicatur in casu die 31 Decembris in festo S. Silvestri ». *Ad IV.*

Ad V. « Affirmative in Officio tam festivo quam votivo; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur hymnus *Maerentes*, omisso hymno *Aspice* utpote minoris momenti, iuxta Decretum *Congregationis Eremitarum Camald.*, 11 decembris 1903, ad II, pro hymnis S. Mariae Magdalenae ». *Ad V.*

Ad VI. « Attentis expositis, *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam ». *Ad VI.*

Ad VII. « *Negative*, et ipsi praelati aspergantur iuxta ritum in universa Ecclesia receptum ». *Ad VII.*

Ad VIII. « Seclusa Rubrica peculiari per Apostolicam Sedem confirmata, Praelati Episcopo inferiores benedictionem a digniore persona exspectent per verba *Iube, domne*, eaque accepta, Lectiones per se legant, prouti ex Decreto n. 1108, *Putignani*, *Nullius*, 15 februarii 1659, ordinatur ». *Ad VIII.*

Atque ita rescripsit, die 12 maii 1905. *Dies (12 maii 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici*, *Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotatio

Bini isti supplices libelli si inter se comparentur, perspicitur esse altero rursus petita quae, a° 1905, eo denique modo solvuntur quo iam ante, 1903, erant soluta.

# 68 — SS. D. N. PII PP. X

## *MOTU PROPRIO 25 APRILIS 1904 ET LITTERAE 22 MAI 1904 AD ABBATEM SOLESMENSEM*

## De instruenda editione vaticana librorum liturgicorum iuxta melodias gregorianas [1]

*Memoratis actis Superioribus, Pontifex narrat suum propositum edendi libros liturgicos cum cantu gregoriano.*

A. *Motu proprio, 25 aprilis 1904.*

Col Nostro *Motu proprio* del 22 novembre 1903 (*cfr. hic supra, p. 23*) e col susseguente Decreto, pubblicato per nostro ordine dalla congregazione dei Sacri Riti l'8 gennaio 1904, abbiamo restituito alla Chiesa Romana l'antico suo canto gregoriano, quel canto che essa ha ereditato dai padri, che ha custodita gelosamente nei suoi codici liturgici, e che gli studi più recenti hanno assai felicemente ricondotto alla sua primitiva purezza.

A fine però di compiere, come è conveniente, l'opera incominciata, e di fornire alla nostra Chiesa Romana ed alle Chiese tutte del medesimo rito il testo comune del melodie liturgiche gregoriane, abbiamo decretato d'imprendere coi tipi della Nostra Tipografia Vaticana la pubblicazione dei libri liturgici contenenti il canto della sacrosanta Chiesa Romana da Noi restituito.

*Quod ut prospere cedat, haec statuuntur.*

E perchè ogni cosa proceda con piena intelligenza di tutti coloro che sono o saranno chiamati da Noi ad offerire il tributo dei loro studii ad un' opera di tanta importanza, e il lavoro proceda con la debita diligenza ed alacrità, stabiliamo le norme seguenti :

*Fontes erunt antiquissimi codices, ha-*

a) Le melodie della Chiesa, così dette gregoriane, saranno ristabilite nella loro integrità e purezza secondo la fede dei codici più antichi, così però che si tenga particolare conto eziandio della

---

1 Haec ex MONITORE ECCLESIASTICO, t. 16 (1904), p. 128 exscripsimus. Gallicam autem translationem mutuamur a REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE, t 9 (1904), p. 321.

Par Notre *Motu proprio* du 22 novembre 1903 et par le décret subséquent publié, sur Notre ordre, par la Congrégation des Rites sacrés, le 8 janvier 1904, Nous avons restitué à l'Église romaine son antique chant grégorien, ce chant qu'elle a hérité des pères, qu'elle a jalousement conservé dans ses manuscrits liturgiques et que de récentes études ont très heureusement ramené à sa pureté primitive. Cependant, pour compléter, comme il convient, l'œuvre commencée, et pour fournir à Notre Église romaine et à toutes les églises du même rite le texte commun des mélodies liturgiques grégoriennes, Nous avons décidé d'entreprendre avec les presses de Notre Typographie Vaticane la publication de livres liturgiques contenant le chant de la Sainte Église romaine, par Nous restitué.

Et afin que ce dessein s'exécute avec la pleine intelligence de tous ceux qui sont ou qui seront appelés par Nous à fournir le tribut de leurs soins à une œuvre si importante, et que le travail s'accomplisse avec la diligence et l'ardeur requises, Nous établissons les règles suivantes :

*a*) Les mélodies de l'Église, dites grégoriennes, seront rétablies dans leur intégrité et dans leur pureté, en conformité avec les manuscrits les plus anciens, mais aussi en tenant particulièrement compte de la légi-

legittima tradizione, contenuta nei codici lungo i secoli, e dell'uso pratico della odierna liturgia. *bita ratione traditionis et usus.*

b) Per la speciale Nostra predilezione verso l'Ordine di S. Benedetto, riconoscendo l'opera prestata dai monaci benedettini nella restaurazione delle genuine melodie della Chiesa Romana, particolarmente poi da quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes, vogliamo che per questa edizione, la redazione delle parti che contengono il canto, sia affidata in modo particolare ai monaci della Congregazione di Francia ed al Monastero di Solesmes. *Partes quae cantum continent Galliae Benedictinis, praecipue Solesmensibus, peculiariter committuntur.*

c) I lavori così preparati saranno sottomessi all'esame ed alla revisione della speciale commissione romana. da noi recentemente a questo fine istituita. Essa ha l'obbligo del segreto giurato per tutto ciò che riguarda la compilazione dei testi ed il corso della stampa ; il quale obbligo dovrà estendersi anche alle altre persone fuori della Commissione, che fossero chiamate a prestare al medesimo fine l'opera loro. Dovrà inoltre procedere nel suo esame con la massima diligenza, non permettendo che nulla sia pubblicato, di cui non si possa dare ragione conveniente e sufficiente, e, nei casi dubbii, chiedendo il parere di altre persone, fuori della Commissione et della Redazione, che siano riconosciute valenti in questo genere di studii e capaci di pronunciare un giudizio autorevole. Che se nella revisione delle melodie occorressero difficoltà per ragione del testo liturgico, la Commissione dovrà consultare l'altra Commissione storicoliturgica, già precedentemente istituita presso la Nostra Congregazione dei Sacri Riti, in guisa che ambedue procedano concordi in quelle parti dei libri che formano oggetto ad ambedue comune. *Provincia commissionis liturgicae. Imponitur secretum iuratum. In re communi consulenda commissio historico-liturgica.*

---

time tradition, contenue au cours des siècles dans les manuscrits, et de l'usage pratique de la liturgie actuelle.

*b*) Guidé par Notre spéciale prédilection envers l'Ordre de saint Benoît et reconnaissant la part qui revient aux moines Bénédictins dans la restauration des véritables mélodies de l'Église romaine, particulièrement à ceux de la Congrégation de France et du monastère de Solesmes, Nous voulons que pour cette édition, la rédaction des parties qui contiennent le chant soit, d'une façon spéciale, confiée aux moines de la Congrégation de France et au monastère de Solesmes.

*c*) Les travaux ainsi préparés seront soumis à l'examen et à la revision de la Commission romaine spéciale, récemment instituée par Nous dans ce but. Elle est tenue au secret juré pour tout ce qui concerne la compilation des textes et l'impression en cours; l'obligation s'étendra aux autres personnes qui, ne faisant point partie de la Commission, seront appelées à participer à ses travaux. En outre, la Commission devra, dans son examen, procéder avec la plus grande diligence, ne permettant pas que rien soit publié dont on ne puisse donner une raison convenable et suffisante. Dans les cas douteux, on demandera l'avis de personnes choisies en dehors des commissaires et des rédacteurs, et reconnues habiles dans ce genre d'études et capables de rendre un jugement autorisé. Si dans la revision des mélodies se rencontrent des difficultés au sujet du texte liturgique, la Commission devra consulter l'autre Commission historico-liturgique, précédemment établie près de la Congrégation des Rites, de sorte que toutes deux procèdent d'accord dans les parties des livres qui forment pour l'une et l'autre l'objet de leur commun travail.

*Quatenus in posterum licebit liturgicos approbare libros.*

d) L'approvazione da darsi da Noi e dalla nostra Congregazione dei Sacri Riti ai libri di canto così composti e pubblicati sarà di tal natura, che a niuno sarà più lecito di approvare libri liturgici, se questi, eziandio nelle parti che contengono il canto, o non siano del tutto conformi all'edizione pubblicata dalla Tipografia Vaticana sotto i Nostri auspici, o per lo meno, a giudizio della Commissione, non siano per tal modo conformi, che le varianti introdotte si dimostrino provenire dall' autorita di altri buoni codici gregoriani.

*Vindicata sibi proprietate editionis Vaticanae, S. Sedes aliis copiam faciet eam imitandi.*

e) La proprietà letteraria dell' edizione Vaticana è riservata alla Santa Sede. Agli editori e tipografi di ogni nazione, che ne faranno dimanda e che sotto determinate condizioni offriranno sicura guarentigia di saper ben condurre il lavoro, accorderemo la grazia di poterla riprodurre liberamente come loro meglia aggrada, di farne estratti e di spargerne ovunque le copie.

*Speratus fructus.*

Così con l'aiuto di Dio, confidiamo di potere restituire alla Chiesa l'unità del suo canto tradizionale in modo rispondente alla scienza, alla storia, all'arte è alla dignità del culto liturgico, per quanto almeno consentono gli studi odierni e riservando a Noi ed ai Nostri successori la facoltà di altrimenti disporre.

*Dies (25 april. 1904).*

Dato in Roma presso S. Pietro, il 25 aprile 1904, festa di S. Marco Evangelista, del Nostro Pontificato l'anno primo.

PIUS PP. X.

B. *Litterae 22 maii 1904.*

*Studia Guéranger et coenobii Solesmensis a decessoribus laudata*

Dilecte fili [1], salutem et apostolicam benedictionem. Ex quo tempore praeclarae vir memoriae Prosper Guéranger, primus decessor tuus, cum sese ad sacrae liturgiae scientiam totum contulisset, vestra studio suo excitavit inflammavitque studia, nobilitatum nemo ignorat coenobii Solesmensis nomen maxime ob datam

---

*d*) L'approbation que recevront de Nous et de la Congrégation des Rites les livres de chant ainsi composés et publiés sera telle que personne n'aura plus le droit d'approuver des livres liturgiques qui, même dans les parties consacrées au chant, ne seraient pas absolument conformes à l'édition publiée, sous nos auspices, par la Typographie Vaticane, ou du moins contiendraient des variantes qui, au jugement de la Commission, ne seraient pas démontrées provenir de l'autorité de bons manuscrits grégoriens.

*e*) La propriété littéraire de l'édition vaticane est réservée au Saint-Siège. Aux éditeurs et aux imprimeurs de toute nation qui en feront la demande et qui, sous des conditions déterminées, offriront de réelles garanties de la bonne exécution du travail, Nous accorderons le droit de la reproduire librement, au mieux qu'il leur plaira, d'en faire des extraits, et d'en répandre partout les exemplaires.

De la sorte, avec l'aide de Dieu, nous avons confiance de pouvoir rendre à l'Église l'unité de son chant traditionnel, comme le veulent la science, l'histoire, l'art et la dignité du culte liturgique, du moins dans la mesure que permet l'état actuel des études, et en Nous réservant ainsi qu'à Nos successeurs la faculté de prendre d'autres dispositions.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 25 avril 1904, fête de Saint Marc l'Évangéliste, la première année de Notre Pontificat.

PIE X, PAPE.

[1] *Paulus Delatte*, O. S. B. Congregationis Gallicae Antistes, Abbas Solesmensis.

*laudat ipse Pontifex.*

solertissime operam redintegrandae in gregorianis concentibus veteris disciplinae. Huiusmodi inceptum, laboriosum aeque ac frugiferum, vobis urgentibus, non defuere ab Apostolica Sede, nec sane poterant, testimonia laudis. Illud enim plus semel Leo XIII fel. rec., nominatim anno MDCCCCI scriptis ad te litteris probavit; proxime autem mense februario editos vestris curis rituales de cantu libros Sacrum Concilium Ritibus praepositum et ratos habuit et late iam usu receptos libenter agnovit. Nos vero, qui mature officii Nostri duxerimus esse hoc aggredi ex auctoritate opus, id est gregorianos modos ad rationem restituere antiquitus traditam, permagni vestros in hoc genere labores facere, saepe alias professi, novissime ostendimus.

*Propriamque existimationem demonstrat ex usurpato concentu Solesmensi in saeculari natali S. Gregorii.*

Namque in sollemnibus caerimoniis, quibus ad magni Gregorii cineres saecularem eius natalem celebravimus, cum vellemus instaurandi cantus gregoriani tamquam consecrare initia, ipsos Solesmenses concentus adhiberi ad exemplum iussimus. Nunc autem peculiaris Nobis est causa cur, praeter hanc tantam in vobis sollertiam, deditissimum Romano Pontifici animum dilaudemus. Etenim cogitantibus Nobis Vaticanam decernere liturgicorum concentuum editionem, quae auspiciis adornata Nostris ubique usurpanda foret

*Oblatum ab abbate Solesmensi editionis suae donum S. Sedi gratus accipit.*

ac vestram in hoc propositum navitatem advocantibus, periucundae a te, dilecte fili, allatae sunt mense martio litterae, quae vos non modo promptos paratosque nuntiarent esse ad elaborandum in re qua cuperemus, sed, eiusdem rei gratia, velle admodum vulgatos iam vestrarum vigiliarum fructus Nobis concedere. Facile enimvero est intellegere, quanto vobis steterit, istud amoris et obsequii praebere specimen, quamque gratum propterea Nobis acciderit.

*Hinc in paranda editione authentica commissae partes Congregationi Galliae et familiae Solesmensi.*

Itaque, quo meritam pro singulari beneficio referremus gratiam, cum subinde authenticam, quam dicimus, editionem delectis viris curandam *Motu proprio* commisimus, simul Congregationis istius, cui praesides, potissimeque familiae Solesmensis has voluimus esse partes, universam, quae exstet, veterum de hac re monumentorum segetem more institutoque suo explorare, indeque elaboratam digestamque editionis huius materiam ministrare iis quos designavimus, probandam. De quo mandato vobis munere, operoso quidem sed perhonorifico, tametsi iam acceperas, libenter Nos ipsi te facimus, dilecte fili, certiorem, ad quem cura summa, ut illud sodales exsequantur tui, pertinet.

*Praedicatur Solesmensium fervor religiosus.*

Novimus quantopere Apostolicam Sedem Ecclesiamque diligas, divini cultus decori studeas, sanctae monasticae vitae instituta custodias. Harum porro exercitatio virtutum, sicut dedit vobis usque adhuc, ita dabit de reliquo felicem doctorum laborum exitum : siquidem non inepte cadit in vos alumnos quod de patre legifero Gregorius praedicavit : *nullo modo aliter docere potuit quam vixit.*

*Optatur successus.*

Ceterum vobis, ad rem perficiendam concreditam, confidimus fore ut opportuna abunde suppetant studiorum adiumenta, maximeque vetustos codices conquirentibus ne quid obstet : non defutura, quod caput est, divina quae enixe

*Benedictio.*

precamur auxilia, certum habemus. Quorum auspicem itemque benevolentiae Nostrae singularis testem tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

*Dies (22 maii 1904).*

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII maii, festo Pentecostes, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

---

# 69. — EMINENTISSIMI CARDINALIS SECRETARII STATUS

## *LITTERAE AD R. D. POTHIER, 24 IUN. 1905*

### De eodem argumento [1]

*Expeditior facienda est liturgici operis compositio.*

Dal lavoro preparatorio della Commissione Pontificia per l'edizione Vaticana dei Libri Liturgici Gregoriani vengono posti in rilievo i molteplici vantaggi che offre una semplificazione nell' opera di compilazione, onde rendere più proficui i risultati ottenuti finora dalla iniziata riforma del Canto Gregoriano.

*Hinc editio Vaticana, Solemuensi 1895 innitetur. Hanc corriget R. D. Pothier.*

Il Santo Padre adunque, dopo avere nuovamente rivolto ai Monaci Benedettini, specialmente a quelli della Congregazione di Francia e del monastero di Solesmes le dovute lodi per l'opera illuminata e proficua prestata dai medesimi nella riforma delle sacre melodie della Chiesa, si è benignamente compiaciuto di decidere che la pubblicanda edizione Vaticana sia basata sull' edizione benedettina pubblicata a Solesmes nel 1895, riconoscendo per tal modo il giusto valore di quella intrapresa riforma. Alla P. V. poi, come presidente della Commissione Pontificia, il Santo Padre affida il delicato incarico di rivedere e correggere l' edizione in parola, ed in questo lavoro Ella si farà coadiuvare dai diversi membri della Commissione, valendosi all' uopo dei preziosi studî paleografici eseguiti sotto la sapiente direzione del R^mo Abate di Solesmes. Ed affinchè l'importante lavoro proceda maggiormente alacre e concorde, la Santità Sua in riserva di fare appello ai vari componenti la Commissione perchè questi più direttamente applichino l' opera

---

1 Haec ex MONITORE, t. 17 (1905), p. 213, exscribimus, addita translatione gallica ex REV. TH. FR. t. 10 (1905), p. 582.

Les travaux préparatoires de la commission pontificale pour l'édition vaticane de livres liturgiques grégoriens ont mis en évidence les avantages multiples d'une simplification dans l'œuvre de rédaction, qui permettra de profiter davantage des résultats obtenus jusqu'ici par les initiateurs de la restauration grégorienne.

C'est pourquoi, après avoir adressé de nouveau aux moines bénédictins, spécialement à ceux de la congrégation de France et du monastère de Solesmes, des louanges méritées pour le concours intelligent et fructueux qu'ils ont prêté à la restauration des mélodies de l'Église, le Saint-Père a daigné décider, dans sa haute bienveillance, que l'édition vaticane à publier serait basée sur l'édition bénédictine éditée à Solesmes en 1895 ; il reconnaît ainsi la valeur incontestable de cette œuvre de restauration si bien entreprise. Et c'est à Votre Paternité, en sa qualité de président de la commission pontificale, que le Saint-Père confie la mission délicate de reviser et corriger l'édition en question ; et dans ce travail elle se fera aider des divers membres de la commission, utilisant aussi, autant que besoin, les précieuses études paléographiques poursuivies sous la sage direction du révérendissime abbé de Solesmes. Pour que cet important travail marche avec plus de promptitude et d'ensemble, Sa Sainteté se réserve de faire appel aux divers membres de la commission, pour une

del loro studio a quei libri liturgici, la cui riforma melodica è ancora meno inoltrata.

A garantire poi l'attuazione di tali disposizioni, il Santo Padre si è ulteriormente degnato di stabilire quanto qui appresso Le notifico a nome della prelodata Santità Sua :

1) La Santa Sede prenderà sotto la sua autorevole e suprema protezione l'edizione speciale dei libri liturgici che raccomanda come tipica, lasciando per altro il campo libero agli studii dei competenti nella disciplina Gregoriana.

2) Per evitare qualsiasi monopolio, sia di diritto che di fatto, l'edizione Vaticana tipica potrà essere liberatamente riprodotta dagli editori, purchè osservino le condizioni fissate nel *Motu Proprio* del 25 aprile 1904.

3) I Membri ed i Consultori della Commissione si presteranno di buon grado per agevolare il compito del Presidente, col concorso dei loro lumi e della loro scienza, e saranno a disposizione della Santa Sede per eseguire gli altri lavori affini e per esaminare le pubblicazioni da approvarsi dalla S. Congregazione dei Riti.

4) Onde salvaguardare alla Santa Sede, al presente ed in avvenire, i suoi indiscutibili diritti sul canto sacro, parte integrante del patrimonio della Chiesa Cattolica, l' alta direzione dell' opera, sia per la composizione dei libri liturgici, sia per l'approvazione da darsi alle varie pubblicazioni liturgiche, specialemente ai proprii Uffici nuovi, viene affidata all' E^mo Cardinale Prefetto della S. Congregazione dei Riti, che si concerterà col Presidente della Commissione per le opportune disposizioni e misure : e queste saranno poi attuate d'accordo col sottoscritto Cardinale Segretario di Stato.

*Quare haec statuuntur.*
*1. Typica editio praesidio fruetur S. Sedis; sed nullatenus impediuntur privata aliorum studia.*
*2. Editoribus venia fit imitandi editionem Vaticanam.*
*3. Commissionis liturgicae socii vel adiutores Praesidi vel S. Sedi prompto animo operam praestent.*
*4. S. Sedis iuribus prospicitur in conscribendis vel approbandis operibus liturgicis.*

---

collaboration plus directe aux livres liturgiques dont la restauration mélodique est moins avancée.

Pour mieux assurer l'exécution de ces dispositions, le Saint-Père à daigné prendre les décisions suivantes, dont je vous fais part au nom de Sa Sainteté :

1° Le Saint-Siège prendra sous son autorité et sa haute protection l'édition spéciale des livres liturgiques qu'elle recommande comme typique, laissant par ailleurs le champ libre aux études des savants grégorianistes.

2° Pour éviter toute espèce de monopole, de droit ou de fait, l'édition vaticane typique pourra être librement reproduite par les éditeurs, sous les conditions prévues par le *Motu Proprio* du 25 avril 1904 [1].

3° Les membres et les consulteurs de la commission prêteront au président, pour faciliter sa tâche, le concours bienveillant de leurs lumières et de leur science. Ils seront aussi à la disposition du Saint-Siège pour les autres travaux analogues, et pour examiner les publications qui doivent être soumises à l'approbation de la Sacrée Congrégation des Rites.

4° Pour sauvegarder, dans le présent et l'avenir, les droits indiscutables du Saint-Siège sur le chant sacré, partie intégrante du patrimoine de l'Église catholique, la haute direction, soit pour la composition des livres liturgiques, soit pour l'approbation à donner aux diverses publications liturgiques, en particulier aux propres et aux offices nouveaux, est confiée à l'Éminentissime cardinal préfet de la S. Congrégation des Rites, qui s'entendra avec le président de la commission pour les dispositions et mesures convenables; celles-ci seront exécutées d'accord avec le cardinal secrétaire d'État, soussigné.

*5. Quomodo cautum sit iuri dominii S. Sedis.*

5) I diritti di proprietà della Santa Sede, cioè, la stampa per la Santa Sede medesima e per gli editori da essa già autorizzati a riprodurre l'edizione Vaticana, sono garantiti dal carattere della pubblicazione, dalla fisionomia propria della edizione stessa e dalla formale rinuncia generosamente emessa in favore della Santa Sede dal Padre Abate di Solesmes e dalla P. V. di tutti i risultati già pubblicati dei loro precedenti lavori.

*6. His litteris acta superiora in tuto ponuntur.*

6) Queste disposizioni, e specialmente la base della edizione Vaticana, cioè l'edizione fatta a Solesmes nel 1895, serviranno a tutelare la lettera e lo spirito degli anteriori documenti Pontifici, compreso il Breve indirizzato al Padre Abate di Solesmes il 22 maggio 1904, e ad addivenire alla migliore soluzione scientifica e pratica.

*Adhortatio et salutatio.*

Nel portare a conoscenza della Paternità Vostra queste disposizioni del Santo Padre, ben sicuro che Ella, nel suo solerte zelo, rivolgerà tutte le sue dilligenti cure alla completa attuazione delle medesime disposizioni, mi giovo dell' incontro per confermarmi colla più distinta stima

Della P. V. Revma,

Roma, 24 giugno 1905.

Affmo nel Signore

R. Card. MERRY DEL VAL.

---

## 70 — S. RITUUM CONGREGATIONIS (11 aug. 1905)

### *DECRETUM [1] SEU INSTRUCTIONES*

### De editione et approbatione librorum cantum liturgicum gregorianum continentium

*Occasio decreti eius-*

Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa X suis litteris Motu Proprio datis sub die xxv aprilis anni

---

5º Les droits de propriété du Saint-Siège, c'est-à-dire ceux qui concernent les travaux d'impression entrepris par le Saint-Siège lui-même et par les éditeurs déjà autorisés par lui à reproduire l'édition vaticane, sont garantis par le caractère de la publication, par la physionomie personnelle de l'édition elle-même, et par la renonciation formelle généreusement faite par le Père abbé de Solesmes et Votre Paternité de tous les résultats, déjà publiés, de leurs précédents travaux.

6º Ces dispositions et spécialement la base de l'édition vaticane, c'est-à-dire l'édition faite à Solesmes en 1895, auront l'avantage de sauvegarder la lettre et l'esprit des documents pontificaux antérieurs, y compris le Bref adressé au Père abbé de Solesmes, le 22 mai 1904, et à réaliser la meilleure solution scientifique et pratique.

En portant à la connaissance de Votre Paternité ces dispositions prises par le Saint-Père, et bien assuré que dans son zèle et sa sollicitude, elle consacrera ses soins les plus diligents à exécuter parfaitement ces mêmes dispositions, je profite de l'occasion pour me dire de nouveau, avec les sentiments de l'estime la plus distinguée, de Votre Paternité révérendissime, le très affectionné dans le Seigneur,

R. card. MERRY DEL VAL.

Rome, 24 juin 1905.

[1] Cfr. ACTA S. SEDIS, t. 38, p. 114.

MCMIV [1] disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint iuxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacrae Rituum Congregationi visum est nonnullas instructiones seu leges evulgare a praedictis editoribus observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cantus liturgici parare voluerint. Hae autem leges, in audientia diei VII vertentis augusti ab eodem SS^mo^ Domino Nostro admissae et approbatae, sunt quae sequuntur :

*que pontificia approbatio.*

*I. Facultas apostolica est obtinenda.*

I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive aequali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

*II. Observanda in forma, ordine, ac dispositione notarum et cantus.*

II. Ab unoquoque ex editoribus qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt diligentissime attendenda :

*a)* Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam maiores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

*b)* Nihil praesertim mutari potest in ordine quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

*c)* Neque pariter in modo quo ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

*d)* Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiaceat.

*III. Fides de concordantia cum typica editione, necessaria ad usus liturgicos.*

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana.

*IV. Quomodo haec danda sit ab Ordinariis.*

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

*V. Quae varietates addi possint.*

V. Illis officii liturgici partibus quae cantus diversos pro diversitate diei vel festivitatis admittunt, ut v. g. hymni et Ordinarium Missae, melodiae possunt adaptari quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis condicionibus, iis maxime quae in § *d)* Motus Proprii XXV aprilis MCMIV apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in ceteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missae.

*VI. Quid de Officiis propriis ecclesiae vel Ordinis.*

VI. Si autem agatur de Officiis propriis alicuius ecclesiae vel Ordinis regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiciantur ; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

---

[1] Cfr. supra, p. 168.

*VII. Tolerari potest notatio musicalis moderna, certis tamen legibus.*

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

*VIII. Tria exemplaria ad S. Rit. Congr. mittenda pro approbatione.*

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subiciuntur, tria exemplaria ad eandem mittenda sunt.

*IX. Vindicatur Ecclesiae ius disponendi de cantu sacro.*

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas praedictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiae Romanae thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque, quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

*Clausula.*

*Dies (11 aug. 1905).*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die XI augusti MCMV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.*

---

## 71. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA 20 FEBR. 1905*

### De suffragio professorum votorum simplicium apud monachos et moniales

*Orator.*

D. Eugenius Notz, Abbas Maristellae, Prior Augiae Maioris Ordinis Cisterciensis in Austria, necnon Vicarius Generalis Congregationis Cisterciensis Helveto-Germanicae ac Visitator monialium eiusdem Cisterciensis Congregationis, ad pedes S. V. humillime provulutus petit decisionem harum questionum :

**Quaestiones.** *De suffragio* monachorum *simpl. prof. 1. Ad admittendos candidatos vel novicios ad vota simplicia.*

1. Habentne monachi Congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professi suffragium : *a*) in admissione alicuius candidati ad noviciatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro noviciatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post unum annum noviciatus ?

*2. In alienationibus bonorum.*

2. Habentne iidem monachi simpliciter professi suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii ?

*De suffragio monialium simpl. professarum, 1. Ad admittendas personas ut supra.*

3. Habentne moniales congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professae suffragium : *a*) in admissione alicuius candidatae ad noviciatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro noviciatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post annum unum noviciatus ?

4. Habentne eaedem moniales simpliciter professae suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii? *2. In alienationibus bonorum.*

5. Habentne eaedem moniales simpliciter professae vocem activam (ita ut possint eligere non autem eligi) in electione Abbatissae in dies vitae? *3. In electione perpetua Abbatissae.*

Sacra Congregatio E.morum ac Rev.morum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus, respondendum esse censuit prout respondet: « *Affirmative* in omnibus ». **Responsa.**

Romae, die 20 februarii 1905. *Dies (20 febr. 1905).*

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

Annotatio

Cum in ipsis Decretis *Sanctissimus* [1] 12 iun. 1858, quo vis simplicis professionis declaratur et *Perpensis* [2] 18 iul. 1902, quo simplex professio apud Moniales inducitur, cautum sit ut in suffragio capitulari simplex professio et sollemnis aequiperentur; nec in propositis casibus exsistant exceptionis rationes ob quas deinde [3], 7 febr. 1862 et 16 ian. 1891 prohibiti sunt simpliciter professi suffragium ferre in admissione ad *sollemnem* professionem vel eligi in Superiores, de responso S. Congregationis non erat ambigendum. Satis erat haec meminisse: *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*

## 72. — SS. D. N. PII PP. X

### BREVE 17 MART. 1905

### Indulgentiis fovens missiones Fratrum Minorum in Gallia

*Finis et Orator.* Ad augendam fidelium in audiendo Dei verbo pietatem ac frequentiam benigne annuentes precibus oblatis Nobis a dilecto Filio hodierno Moderatore Fratrum Minorum regularis Provinciae Franciae, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere paenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, qui contionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum ac spiritualium exercitationum a Fratribus provinciae ipsius nunc et in posterum de legitima licentia habendis, ultra dimidium temporis quo respective perduraverint, saltem interfuerint, et benedictioni cum Cruce in postrema contione rite respective servatis servandis a dictis Fratribus impertiendae aderint, pariterque *Indulgentiae.*

[1] *De Religiosis* II, *Monumenta et Supplementa* [2], n. 61, p. 355.

[2] Ibidem, n. 64, p. 360.

[3] Ibidem, n. 63, A et B, p. 357, 358. Idem decernitur de Monialibus, decreto *Perpensis*. Ibidem, n. 64, p. 360.

ecclesiam in qua dictae contiones habitae fuerint, vel ecclesiam sive sacellum piarum domorum in quibus spirituales exercitationes sint peractae, devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus quotiens hisce contionibus a Fratribus Minoribus Provinciae Franciae nunc et in posterum habendis, contrito saltem corde adfuerint, et ecclesiam sive sacellum ut supra orantes visitaverint, totiens iis de poenalium dierum numero in forma Ecclesiae solita ducentos expungimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

*Fides transumptis, etc.*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII martii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

*Dies (17 mart. 1905).*

Pro D^no^ Card. Macchi,
*N. Marini, Substitut.*

---

## 73. — S. CONGR. CONCILII

### *RESPONSUM* [1] *8 MAII 1905*

### De observanda a Regularibus dioecesana indicatione eleemosynae missarum

*Ordinis Minorum Conventualium.*

*Orator.*

Fr. Vincentius Buri, Guardianus Conventus Pyrrhani, in dioecesi Tergestino-Iustinopolitana, regularis Provinciae Dalmato-Patavinae, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur exponit :

*Species facti.*

Saepe ad dictum Conventum veniunt vilici afferentes, sive paupertatis sive parsimoniae causa, S. Missas cum eleemosyna tamen minore quam ea quae in dioecesi viget. Dictas Missas Religiosi huius Conventus semper recipiebant easque aliis sacerdotibus indigentibus ac libenter accipientibus celebrandas fideliter committebant. Ast anno elapso 1904, R.mus Ordinarius Tergestinus decretum edidit prohibens, ne sacerdotes Missas cum eleemosyna inferiore dioecesana statuta a dioecesanis reciperent.

Stante hoc R.mi Ordinarii decreto, Orator ad securitatem propriae conscientiae et ne dicti offerentes ab Ecclesia eorundem Religiosorum averterentur, humiliter proponit sequens solvendum dubium :

---

[1] Acta S. Sedis, t. 38, p. 14.

« Utrum dicti Religiosi possint, prout hucusque erant in usu, non obstante supradicto Decreto R.mi Ordinarii, eleemosynas pro Missis inferiores taxa dioecesana recipere, easque aliis sacerdotibus indigentibus et bene sibi notis, extra tamen dioecesim, celebrandas committere. *Ex qua* **Dubium.**

« Et Deus, etc. ».

Et Sacra Congregatio omnibus perpensis, ad propositum dubium respondendum censuit: **Responso** *confirmantur resolutiones superiores.*

*Dentur resolutiones in una Sancti Severini, die 16 iulii 1689, et in una Romana, die 15 ianuarii 1639.*

Tenor vero harum resolutionum ita se habet:

*Sancti Severini.* — Sacerdotes cotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii Iulii pro qualibet Missa, (Episcopus) supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri Iulii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minore quantitate. *Resolutio in una* Sancti Severini.

R. *Affirmative* quoad eleemosynam manualem.

*Romana.* — Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis. *Resolutio in una* Romana.

Atque ita rescripsit. Die 8 maii 1905. *Dies (8 maii 1905).*

VINCENTIUS Card. Episc. Praenestin., *Praef.*

*C. De Lai, Secret.*

# SUMMA SUPPLEMENTORUM

# INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM



[1] Afferimus etiam hoc loco responsa quae dederunt S. Congr. *super Disciplina Regularium* et S. Congr. *super Statu Regularium*.

# MONUMENTORUM

# INDEX CHRONOLOGICUS

| Annus | Dies | Diploma | Auctor | Pagina | Numerus |
|---|---|---|---|---|---|
| 1683 | 20 martii | Responsum | S. Rituum Congr. | 13 | **2** (inter annotationes) |
| 1788 | 19 april. | Breve | Pii VI | 92 | **32**,B |
| 1866 | 28 april. | Responsum | S. Rituum Congr. | 14 | **2** (inter annotationes) |
| 1886 | 19 nov. | " | S. C. Episc. et Regul. | 85 | **27** |
| 1892 | 17 iulii | " | S. Rituum Congr. | 87 | **30**,A |
| 1893 | 15 dec. | " | S. C. Episc. et Regul. | 85 | **27** |
| 1899 | 7 iunii | Decretum | " " | 78 | **23** |
| " | 21 iulii | Litterae | " " | 161 | **65** |
| " | 24 iulii | Instructio | S. Rituum Congr. | 120 | **41** |
| 1901 | 8-10 maii | Responsum | Congr. S. Officii | 11 | **1** |
| " | 29 nov. | " | S. Rituum Congr. | 164 | **66** |
| 1902 | 24 ian. | " | " " | 164 | **66** |
| " | 18 iulii | Decretum | S. C. Ind. et SS. Rel. | 37 | **12** |
| " | 21 nov. | Responsum | S. C. Episc. et Regul. | 122 | **42** |
| " | 6 dec. | " | S. Rituum Congr. | 12 | **2**,I |
| 1903 | 15 ian. | " | S. C. Episc. et Regul. | 14 | **3** |
| " | 17 febr. | Rescriptum | S. C. super Neg. Eccl. extr. | 143 | **51**,A |
| " | 24 april. | Responsum | S. C. Episc. et Regul. | 15 | **4** |
| " | 8 maii | " | S. Rituum Congr. | 13 | **2**,II |
| " | 16 maii | Indultum | S. C. Episc. et Regul. | 17 | **5** |
| " | 15 iul. | Responsum | Congr. S. Officii | 18 | **6** |
| " | 17 iul. | Decretum | S. C. Episc. et Regul. | 163 | **65** |
| " | 25 aug. | Responsum | " " | 18 | **7** |
| " | 28 aug. | Decretum | S. C. Ind. et SS. Rel. | 38 | **13** |
| " | 30 sept. | Responsa | S. C. Episc. et Regul. | 20 | **8** |
| " | 11 nov. | Responsum | S. C. Ind. et SS. Rel. | 21, 56 | **9, 22** |
| " | 20 nov. | " | S. Rituum Congr. | 88 | **30**,B |
| " | 22 nov. | Motu proprio | SS. D. Pii Pp. X | 23 | **10** |
| " | 24 nov. | Rescriptum | S. C. super Negot. Eccl. extr. | 144 | **51**,B |
| " | 11 dec. | Rescriptum | S. C. Episc. et Regul. | 139 | **50** |
| " | 11 dec. | Responsum | S. Rituum Congr. | 165 | **67** |
| 1904 | 8 ian. | Decretum | " " | 36 | **11** |
| " | 27 ian. | Rescriptum | SS. D. Pii Pp. X | 39 | **14** |
| " | 9 febr. | Indultum | S. C. super Neg. Eccl. extr. | 145 | **52** |
| " | 1 mart. | Responsum | S. C. Episc. et Regul. | 80 | **24** |

# INDEX ONOMASTICUS

*Numeri indicant seriem paginarum*

# MONUMENTORUM & RERUM

# INDEX ALPHABETICUS

*Numeri = numeri paginarum*

*Asteriscus annotationes significat*

*Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum*

*v. S. = vide Supplementorum Indicem*

---

# PARS PRIOR
# SUPPLEMENTA

## SUPPLEMENTUM UNDECIMUM
### DE ECCLESIIS ET ORATORIIS RELIGIOSORUM

Satis diu iam conceptum et dilatum propositum, quod in hoc tomo perficere cogitamus, hodie exsequi aggredimur, cum dicere incipimus de canonicis sanctionibus quae spectant ad ecclesias et oratoria Religiosorum. Harum enim, quarum cotidianus est usus, summam proponere et maxima qua possumus perspicuitate explicare nobis in animo est.

Et prius quidem *de ecclesiis* est agendum, deinde de *oratoriis*.

## CAPUT I
### DE ECCLESIIS RELIGIOSORUM

#### ARTICULUS I. **Quaenam Ecclesiae sint Religiosorum**

Ab hac videtur esse exordiendum quaestione, quaenam et quatenus ecclesiae dici possint regulares vel religiosorum.

1. Ecclesiae, proprio nominis usu, aedes sunt sacrae quae, sollemni consecratione vel speciali saltem benedictione in titulum erectae, publicis cultus divini functionibus, pro fideli populo exercendis, in perpetuum deputatae sunt [1].

2. Trita est divisio qua ecclesiae aliae dicuntur esse *saeculares*, *regulares* aliae, prout in ditione sunt cleri saecularis vel regularis. Huiusmodi potissimum est ecclesia conventualis, quae pars est ipsius monasterii; verum etiam aliae ecclesiae possunt plene a regularibus

[1] Cfr. S. Rituum Congr. 22 iul. 1855, ad 3 (In 2ª ed. Gardellini, n. 5215, omissum in Coll. Decr. auth.). WERNZ, t. 3, *Ius Decretalium*, n. 427; MANY, *De locis sacris*, n. 3.

possideri, ut ecclesiae prioratus, in quibus unus residet vir regularis, adiecto plerumque socio [1].

Porro plene a regularibus possidentur quae ita sunt in eorum manibus, ut non temporales tantum reditus sed spiritualia etiam officia a regularibus conferantur et exerceantur [2]. Tunc, si curata fuerit ecclesia, habituale subiectum istius curae est ipsum monasterium, id est, capitulum conventuale; actuale autem munus geritur a vicario temporali, quem capitulum deputat, examinat autem et probat Episcopus, concessa praeterea institutione quae dicitur authorizabilis, vi cuius parochus permittitur animas spiritualiter pascere [3].

Cum temporalia tantum bona monasterio addicuntur, spiritualis administratio minime per se regularibus reservatur, et quandoque per saeculares exerceri debet. Ita, si cura animarum est habenda, deputandus est e saeculari clero vicarius perpetuus cum administratione independenti [4].

Nisi maius ius sibi competere demonstraverint, regulares fruuntur tunc iure quodam quasi patronatus, vi cuius candidatum praesentant Episcopo qui ipsi confert ecclesiam spiritualiter administrandam. Alendo vicario providendum est a monasterio cuius sunt ecclesiae reditus.

3. A proprie dicta possessione discernenda est *simplex administratio* quam Regulares obtinere possunt in ecclesia quae est et manet saecularis.

Quod rursus vario modo effici potest. Vel enim, titulo personali, vir regularis saeculari ecclesiae praeficitur, quem ad modum, in Belgio, non nullae parochiae, aequa quadam compensatione pro amissis in gallica perturbatione ecclesiis, canonicis regularibus committi consueverunt. Vel ecclesia ad tempus concreditur administranda Instituto religioso, sive facta formali cum Episcopo pactione, sive etiam titulo precario [5].

---

[1] C. Quod Deo, 5, De statu monachorum, etc. (III, 35); Ne in agro, 1, Clem. eodem (III, 10); In ecclesiis, 1, De cappellis monachorum, etc. (III, 37.)

[2] Pro fine nostro dicere omittimus de *plenissima* possessione, quae tunc habetur cum etiam in populum Praelatus regularis ecclesiasticam exercet iurisdictionem.

[3] WERNZ, II, 825; LAURENTIUS, *Institutiones*, n. 213.

[4] C. Trident. c. VII, c. 7, collatum cum c. Presbyteri, unic. De cappellis monachorum, in. 6. (III, 18.)

[5] Cfr. DE LUCA, *De Regularibus*, discursus 64, p. 49.

In qua re illud est observandum, ex iure communi hodierno non posse parochias saeculares conferri Regularibus, sine indulto apostolico, vel speciali, vel generali, quale, v. g. conceditur quandoque in dispersione; aut sine privilegio speciali, quale habent Canonici Praemonstratenses.

Speciale horum privilegium BENEDICTUS XIV, C^e^ *Oneroso*, 1 sept. 1750 (*Bullarium Bened.* t. 3, p. 304), his verbis concessit et confirmavit. « Canonicis regularibus qui nunc in eodem Ordine Praemonstratensi expresse professi sunt et in posterum etiam in eo professionem emittent, ut ipsi ex nunc et perpetuis futuris temporibus, absque ulla oppositione et contradictione, quascumque parochiales ecclesias, etiam saeculares, illarumque perpetuas vicarias clericis seu Presbyteris saecularibus conferri et assignari solitas, si tamen iis et eorum cuilibet canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illas, absque dispensatione apostolica consequi et in iis quavis auctoritate institui, illasque recipere et quoad vixerint retinere libere et licite possint, et valeant apostolica auctoritate praedicta, tenore earundem praesentium, ex integro perpetuo concedimus et indulgemus ».

4. Atque haec quidem de ecclesiis regularibus. Iam quaeritur utrum necne haec transferri possint in *Congregationes religiosas virorum clericorum.*

Dum scriptae sunt leges de ecclesiis monasteriorum, Instituta ista ignorabantur et proinde in iure praetermittebantur.

Porro, ut omnibus constat, sunt istis Institutis suae simplices ecclesiae, sive coniunctae conventui, sive ab eo separatae. Nullae autem sunt, quod sciamus, parochiales ecclesiae pleno vel semipleno iure talibus domibus unitae; quod regimen a praesenti disciplina satis ducimus alienum. Ut vero reliogiosis istis ecclesia saecularis committatur, id eo facilius continget, quod munere parochiali non videntur hactenus prohiberi [1].

Animadvertendum est religiosos istos votorum simplicium ad corpus cleri saecularis adscribi [2], ita ut eorum

---

1 BOUIX, *De Regularibus*, II, p. 39, ss. BARGILLIAT, *Praelectiones iuris canonici*, n. 1223.

2 Cfr. apud BIZARRI, *Collectanea*, quae passim prolata sunt in causa Congregationis Presbyterorum *saecularium* super privilegio; p. 796, ss. (edit. 1).

ecclesiae genere dicendae sint *saeculares*, potius quam regulares. Perspicuitatis gratia, ecclesias istas dicemus *religiosas*.

## ARTICULUS II. **Quot variis modis ecclesia fiat regularis vel religiosa**

I. 1. *A prima sua origine* ecclesia potuit ad religiosos pertinuisse :

*a*) Ipsa *aedificatione*, ut est ecclesia qua monasterium veluti perficitur et absolvitur ; vel quae religiosorum sumptibus in loco etiam separato vel distante legitime erigitur.

*b*) Ipsa *fundatione*, si conditor ecclesiae eam, in fundationis limine, a regularibus vel a religiosis haberi voluerit.

De legitima porro erectione vel fundatione agemus postea.

2. Religiosa fieri potest *praescriptione :* si bona fide et animo domini regulares vel religiosi ecclesiam possederint per tempus quod, ut existimant doctores, esse debet quadraginta annorum, immo immemoriale, nisi praeterea iustus adsit titulus [1].

3. *Unione* seu *incorporatione facta monasterio*. Cum de parochiali ecclesia agitur, nemo, praeter S. Pontificem, talem ecclesiam monasterio coniungere potest [2]. Alias vero ecclesias monasterio unire Episcopus non prohibetur.

Verum requiritur *a*) *Iusta causa*. Haec est necessitas, vel evidens utilitas, quae in valde conveniens cultus augmentum ferme recidet [3].

*b*) Prius facta *diligens causae exploratio*, ita ut nullus iuris sui accipiat detrimentum [4], et audiantur ii omnes quorum interest [5].

*c*) *Consensus capituli ecclesiae cathedralis* [6], nisi

---

[1] Cfr. SCHMALZGRUEBER, in 1. 3. t. 5, n. 15-18. Ubi tamen ecclesia redeat ad primaevum statum *saecularis* vel *regularis*, ipse addit sufficere etiam sine titulo quadragenariam praescriptionem.

[2] C. Tridentinum, s. XXV, c. 13, Ref.

[3] VAN DE BURGHT, *De ecclesiis*, n. 450.

[4] Quare, si quorum ius ob unionem periclitetur, v. g. patronorum, debent hi unionem assensu suo probare.

[5] Ibidem, n. 453-455.

[6] C. Tridentinum, s. XXI, c. 5, De Ref. s. XXIV, c. 15, de Ref.

tamen necessitas exquirendi suffragia capituli sit consuetudine sublata.

4. *Transformatione* ecclesiae saecularis in regularem. Hanc, ubi tamen non agatur de ecclesia parochiali, efficere potest Episcopus. In dioecesibus ubi viget lex scripta qua capitulum est in gravioribus interrogandum negotiis, oportet ut capitulum ecclesiae cathedralis transformationi assentiatur [1].

Dices iuri uniendi et transformandi ecclesias obesse Extravagantem *Ambitiosae*, qua bona ecclesiastica alienari vetantur sine apostolico beneplacito. Ut enim loquitur c. Tua, 8, De his quae fiunt a Praelato, etc. (III, 10), « Concessiones ecclesiarum perpetuas ad alienationes non *est* dubium pertinere. » Verum, in hoc alienationum genere, satis convenit inter scriptores, alienationes esse episcopis permissas, dummodo superioris iuris sollemnitates observent; in his autem sollemnitatibus, beneplacitum non continetur [2].

II. Elegans iam superest quaestio, utrum necne, facta *paroeciae regularis* divisione, altera quae exsurgit parochia, et dicitur filialis, sit ipso iure, vel esse possit regularis.

Memoramus in primis tunc tantum ab episcopo dividi posse parochiam, quando, sine divisione, obligationibus quae ecclesiae coniunguntur satisfieri nequiret, ut si, propter loci distantiam, populus aegre se in ecclesiam parochialem conferre posset [3].

Praeterea res ista ex iis est quae, ex iure saltem scripto, sunt deliberandae cum capitulo, et parochus (id est habitualis, si parochia pertinet ad collegium) ecclesiae dividendae est vocandus, et audiendi sunt alii quorum interest, ut, v. g. patroni [4].

Vacante parochia, Episcopus defensorem parochiae constituere debet [5], qui pro rectore est audiendus.

Divisio enim parochiae *per se* est odiosa, nec facile admittitur si Rectores fuerint inviti. Cfr PALLOTTINI,

---

[1] Cfr. VAN DE BURGT, *De ecclesiis*, n. 475.

[2] Cfr. VAN DE BURGT, n. 441, citans DE LUCA, *De alien.* disc. 1 ; n. 44 ; *De canonicis*, disc. 34, n. 4 ; *Annotationes ad Conc. Trident*, disc. 8, n. 12.

[3] Cfr. SCHMALZGRUEBER, in 1. III, t. 5, n. 205, et C. Trident. S. XXI, c. 4. Ref.

[4] Cfr. VAN DE BURGT, *De ecclesiis*, n. 67.

[5] Id indirecte eruitur ex c. *Si una*, 2, Clem. *De rebus eccl. non alienandis* III, 4).

*Collectio*, etc., v. *Ecclesia parochialis* § 3, n. 51, 52. Nihilo minus, non infirmatur divisio, iustam ob causam facta, quamvis parochus non fuerit vocatus [1]; et a decreto Episcopi non licet nisi *in devolutivo*, ut aiunt, appellare, ita ut interea omnes suos sortiatur effectus [2].

Age vero, in primis constat ab episcopis etiam regulares paroecias, invito monasterio, dividi posse, dummodo legitima subsit causa, et forma legalis servetur. Etenim Concilium Tridentinum, s. XXI, c. 4 Ref., facta prius Episcopo potestate agendi etiam tamquam sedis Apostolicae delegato [3], concedit ut parochias etiam exemptas dividere possit.

Atque haec interpretatio C. Tridentini pluribus S. Sedis actis firmata est, et FAGNANI [4] testatur ita esse a Sanctissimo declaratum; RICHTER [5] refert responsum S. Congr. Conc. 16 mart. 1743 in Brixinen.; expresse id docet Const. *Romanos Pontifices* [6], cui adhaeret *Conc. plenarium Americae latinae*, n. 299.

Ita ceterum docent FAGNANI, in Decretales [7]; BOUIX, *De Parocho* [8]; VAN DE BURGT, *De Ecclesiis* [9], nec quemquam scriptorem repperimus qui dissentiat.

Immo, cum in paroeciae regularis divisione Episcopus non possit uti nisi delegata potestate, non debet tunc votum Capituli exquirere; et appellatio *(in devolutivo)* ad S. Sedem est deferenda. Cfr. FAGNANI [10] vel BOUIX [11] vel VAN DE BURGT [12].

Excipiendae tamen sunt istae ecclesiae in quibus ipsi Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos se habere demonstrant. Huiusmodi enim ecclesiae non tantum,

---

[1] Cfr. dissert. in ACTA S. SEDIS, t. 3 (1867), p. 396 400; et causam decisam 19 maii 1877, ACTA S. SEDIS, t. 10 (1877), p. 260-272. Ita etiam SAGMULLER, *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*, § 67, p. 235.

[2] C. *Romanos Pontifices*, n. 15 (cfr. *De Religiosis*, t. 2, p. 724).

[3] Delegationem istam competere Episcopis etiam in ista parte capitis 4, declaratum est a S. Congregatione. Cfr. FAGNANI, in c. *Ad audientiam*, 10 (III, 48), n. 46-55.

[4] In c. *Ad audientiam* (III, 48), n. 43.

[5] *Canones et Decreta C. Trid.* in c. 4 s. XXI.

[6] Cfr. A. VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. 2, p. 724, n. 15.

[7] L. c. n. 48.

[8] P. 248, p. 270 sq. (Parte 7, c. 3).

[9] N. 467 et 60 sq.

[10] L. c. n. 54.

[11] L. c. p. 270 sq.

[12] L. c. n. 68.

expressa definitione C. Tridentini [1], visitatione episcopali sunt exemptae, verum etiam, ut pronuntiat BENEDICTUS XIV [2], « abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi Parochos et Parochianos. »

Ambigat quispiam utrum necne eadem exceptio transferenda sit in illas ecclesias monasteriorum quas Tridentinum Concilium (eodem loco) ideo a visitatione episcopali fecit immunes, quia sedes ordinariae principales sunt Capitum Ordinum vel Abbatum generalium.

Quam porro extensionem negandam esse arbitramur. Etenim facultas vi cuius Episcopus regularium paroecias dividere permittitur minime cohaeret cum ipsius iure regulares paroecias visitandi. Prior Episcopo conceditur C. Tridentini s[e] XXI, c. 4 de Ref., altera affirmatur s[e] XXV, De Regul. et Mon. ; prior in ipso est tamquam in Apostolicae Sedis delegato, altera ad ordinariam eius adscribitur potestatem [3]. Quare, ut rursus habet BENEDICTUS XIV, in dicta Const. *Firmandis* [4], exemptio a visitatione minime aufert Episcopo iurisdictionem in parochianos, vel ius instandi apud Superiorem Generalem ut parochus quem Episcopus noverit male administrantem ab animarum cura removeatur.

N. B. Ex cap. 5, De religiosis domibus (III, 36), potest Episcopus ecclesiam regularem, a regularibus nimis neglectam, ad saecularem reducere condicionem. Verum monet WERNZ, t. 2. n. 260, not. 22, post DE ANGELIS, in l. 3, t. 36, n. 5, negotia huiusmodi esse hodie S. Sedi reservata.

Postquam itaque legitime facta fuerit huiusmodi divisio ecclesiae regularis, putaverit quispiam ex divisione oriundas esse partes homogeneas, ita ut etiam nova ecclesia futura sit ipso iure regularis. Id tamen minime constat. E contrario. Cum sileant iura et nova ecclesia vivere incipiat vita propria, restat ut hic valeant principia generalia iuris, quae iubent beneficia esse saecularia et liberae collationis, nisi ratio contraria demonstretur. Atque hoc modo controversiam solvit C. *Romanos Pontifices* [5] de divisione missionum regularium in

---

[1] S. XXV, c. *De Religiosis*.
[2] C. *Firmandis*, n. 13. VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. 2, p. 681, 682.
[3] BENEDICTUS XIV, eodem loco.
[4] N. 17. VERMEERSCH, op. cit. p. 683.
[5] N. 15 et 16, Cfr. VERMEERSCH, *De Religiosis*, II p. 724, 725.

Anglia Ante, in dicta causa Brixinen. quaestio ista est disputata. Controversia enim inter Episcopum et monasterium non erat de opportunitate parochiam dividendi, sed de iuridica futurae paroeciae ratione. In hanc saltem ius patronatus pro se vindicabant regulares. Episcopus, contra, plura exempla afferebat erectionis alterius paroeciae per divisionem paroeciae etiam proprie et plene regularis, sine ullo Regularium iure in novam paroeciam. In quam sententiam concessit S. Congregatio, iudicando liberae collationis esse vicariam exortam ex divisione ecclesiae coniunctae monasterio [1].

Si vero instituendi vicarii dos, quae in dicta causa aliunde sumebatur, constituta esset ex bonis monasterii seu antiquae paroeciae, monasterio iunctae, tunc ius patronatus et proinde ius praesentandi vicarium non esset monasterio denegandum. Cfr. FAGNANI, BOUIX, et VAN DE BURGT [2].

---

# QUAESITA VARIA

N. B. *Deinceps, hoc titulo, quasdam quaestiones solvere cogitamus quas vel factae interrogationes vel exortae controversiae demonstrarint esse opportunas.*

## I. De interruptione noviciatus ob unius diei absentiam

I. **Quaestionis occasio.** Egregia ephemeris AMI DU CLERGÉ, de cuius auctoritate quidpiam detrahere nolimus, bis, 13ª iulii et 2ª novembris 1905, assertum istud propugnavit generale : « Statim ac novicius vel per unam tantum noctem, etiam necessitate compulsus, extra noviciatus domum versatus sit, ita interrumpitur noviciatus, ut vel denuo sit inchoandus, vel postulanda sit S. Sedis dispensatio. »

Proposita tamen argumenta visum est hic aequa librare lance, ne, quod timemus, plurium animi articulo isto parum utiliter commoveantur.

II. **Proposita argumenta in** AMI DU CLERGÉ. —

---

[1] Cfr. *Thesaur. Resol. S. C. C.* t. 12 (1743), Brixinen, 16 febr. 16 mart. et 22 iun. 1743, p. 46-49, 69, 132.

[2] L. c. n. 39 ; BOUIX, l. c. p. 277 ; VAN DE BURGT, n. 83.

1. In primis moralistarum auctoritatem in hac re declinare frustra conantur, cum moralis quaestio officiorum superioris et religiosorum ex canonico votorum valore prorsus pendeat.

2. Sed nituntur potissimum S. Congregationis iurisprudentia: ex hac, sic aiunt, non autem ex privatis sententiis valor actuum est eruendus.

R. Partialem sane haec continent veritatem; partialem tamen et prudenter accipiendam. Genuinus enim iurium fons imprimis est ipsa lex, a qua fieri potest ut sententia deflectat, sicut probant concessae audientiae novae et reformationes iurisprudentiae. Tunc ergo sententiae fere legibus assimulantur, cum de stilo curiae satis constiterit. Praeterea, fons iuris canonici est etiam rationabilis consuetudo, quae ab ipso legislatore ignorari potest. Nec statim conclamandum est, iurisprudentiam S. Congregationis ita se habere. Namque aliud profecto sunt responsa quae suffragiis Cardinalium sunt data; aliud sanationes ad cautelam quae opus quandoque sunt secretariae.

Sic itaque dici debuit: **a**) Valor actus est in primis ex lege eruendus. — **b**) Ad dubiam legem interpretandam potissimum valent authenticae competentis Congregationis declarationes; dein constans Congregationum iurisprudentia.

Age porro, in re praesenti haec sunt observanda.

a) *De competentia S. Congregationis.* Cum agitur de Ordinibus regularibus, annus noviciatus ad valorem requiritur lege Tridentina, s. XXV, c. 15, *De Regularibus*. Norunt autem omnes, authenticam declarationem decretorum Tridentinorum reservari S. Congregationi quae ab ista interpretatione nomen est sortita, id est S. Congregationi Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, seu brevius, S. Congregationi Concilii. Haec autem non semel declaravit noviciatum non interrumpi commoratione novicii extra claustra, cum licentia Praelati proprii. In opere *De Religiosis*, t. 2, 135, 136, quattuor attulimus sententias iudiciales, quarum una etiam stipata est clausula *et amplius*, quod unanimem prodit Cardinalium consensum.

Ex parte autem contraria, nulla affertur decisio S. Congregationis Episcoporum et Regularium, sed animadversiones factae cum ageretur de approbandis Institutis novis, et concessae sanationes. Verum quis ignorat sanationes saepe dari ad cautelam et sine vera necessi-

tate [1] Animadversiones autem ad Instituta iam approbata per se non spectant.

3. Tertio suo argumento scriptor ephemeridis AMI DU CLERGÉ, ut plurimorum infringat prudentum auctoritatem, contendit praeferendos esse scriptores qui ad S. Congregationem aliquo modo pertineant, cum ipsi possint melius penetrare S. Congregationis usus et mentem.

Nonne statim perspicitur haec nimis generaliter esse posita? Sed, ne in aliquam incurramus invidiam, plura quae dici possint hic silentio praetermittimus.

Satis erit respondere *ad hominem*. Notissimus est *Romanus* professor iuris canonici, WERNZ, idemque ad potissimas Congregationes pertinet, non qualicumque titulo, sed ut Consultor summae famae. Ipse autem quid de severiore habet sententia, quid de placitis NERVEGNA, in cuius verba volunt ut iuremus? « Quae Nervegna tradit de vera interruptione noviciatus.... continent doctrinam ex iure communi *nimis rigidam atque erroneam.* » (*Ius Decretalium*, t. 3, p. 676. nota 259. Locum attulimus integrum, in opere *De Religiosis*, t. 2, p. 137 )

**Conclusio.** 1. Seclusa speciali Constitutionum sanctione, res tantum ambigi potest pro iis Institutis in quibus noviciatus extra domum a S. Sede designatam fieri nequit. Cfr. tunc quae satis fuse disseruimus, *De Religiosis*, t. 2, p. 136, 137

2. Si vero, secundum approbatas Constitutiones, domus noviciatus non est specialiter designanda, tunc ne specie tenus quidem argumentum habetur pro severiore sententia. Quocirca in usu benigniore tuto perseverari poterit. Quamquam Superioribus videtur cavendum ut ob graves tantum causas, et ad breve omnino tempus, commorationes extra claustra permittant.

---

[1] Indulta ista fuisse saepe saltem ad cautelam data, putat D. BOUDINHON, Canoniste contemporain, 1905, p. 560.

# PARS ALTERA

# MONUMENTA

## 74. — E[mi] CARDINALIS VICARII URBIS

### *LITTERAE 18 MAII 1905 AD SUPERIORISSAS SORORUM*

### De prudenti hospitalitatis ratione

Molto Reverenda Madre,

Da qualche anno si sono moltiplicate in Roma le opere di comunità religiose femminili, con grande vantaggio delle anime, e sviluppo molteplice della cristiana carità.

*Gaudium de actione communitatum religiosarum conceptum sollicitudine miscetur ne quis usus minus probandus inolescat.*

Di questo fatto consolantissimo dobbiamo rendere grazie al Signore, che non manca di soccorrere la sua Chiesa con mezzi proporzionati alle necessità nuove dei tempi; ma è nostro dovere di vigilare attentamente su quanto dall' attività di queste Congregazioni si viene attuando, allo scopo di accrescerne gli effetti benefici, e tener lontani quegli abusi che uno zelo, a volte poco illuminato e poco prudente, potrebbe introdurre.

*Interdum hospitio recipiuntur personae extraneae, idque non mere ex caritate.*

Un punto tra gli altri ha richiamato la nostra attenzione e quella altresì del Santo Padre, ed è l'abitudine invalsa in parecchie comunità di ospitare, per un tempo più o meno lungo, nelle loro case persone estranee. Questo fatto innegabile non si può sempre giustificare con lo spirito della carità cristiana, la quale si esercita con

---

[1] Haec ita latine reddimus.

Admodum Reverenda Mater,

Ab aliquot annis multiplicata sunt in Urbe opera familiarum religiosarum muliebris sexus, quod valde proficit animis, et plura christianae caritati dedit incrementa.

De qua laetissima re gratias agere debemus Domino, qui ad novas temporum necessitates accommodatis mediis Ecclesiae suae opitulari non omittit; ad officium autem nostrum pertinet ut sollicite attendamus ad quaecumque congregationes istae suscipiant opera, quo magis eorum crescant effectus salutares, procul autem arceantur improbandi usus qui a zelo interdum parum erudito et parum prudenti proficisci possunt.

Inter alia observanda, illud tam nos quam S. Pontificem facit sollicitos, quod in nonnullis familiis mos inolevit extraneas personas, per plus vel minus amplum temporis spatium, excipiendi hospitio. Quae res explorato spiritu christianae caritatis semper excusari nequit, cum haec,

sacrifizio e disinteresse, e non deve ridurre mai una casa religiosa ad una specie di albergo.

*Hinc iussa S. Pontificis.*

Per ovviare a questo pericolo, il Santo Padre è venuto nella determinazione di dare gli ordini seguenti, che ci affrettiamo di comunicare a Vostra maternità :

*1. Ne viri saeculares recipiantur hospitio vetatur.*

1° È assolutamente vietato di ospitare in case religiose di suore uomini secolari ;

*2. Optatur ne recipiantur ecclesiastici.*

2° Sarebbe desiderabile che nemmeno agli ecclesiastici fosse offerta ospitalità nelle case suddette ; potendo essi usufruire di collegi o comunità religiose maschili, che abbondano in Roma ;

*3. Permittuntur recipi personae femineae quae cupiunt vitam agere tranquillam.*

3° Si permette unicamente di ricevere signore e signorine che, trovandosi sole, amano una vita ritirata, che difficilmente potrebbero condurre altrove.

Nella certezza che tali ordini del S. Padre saranno subito e con la maggiore esattezza adempiti, la benediciamo di cuore nel Signore.

*Dies (18 maii 1905).*

Dalla Nostra Residenza, il 18 maggio 1905.

PIETRO. Card. *Vicario.*

*Francesco Can. Faberi, Secret.*

---

## 75. — S. C. SUPER NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

### *INDULTUM (EX AUDIENTIA) SSmi, 23 MAII 1905*

### Facultates Missionariorum Ordinis Fr. Minorum in America latina

*Orator*

*Petita pro missionariis Americae latinae.*

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, se ad pedes Sanctitatis Tuae humillime provolvit, enixe implorans sequentes facultates in favorem Religiosorum qui in regularibus ipsiusmet Ordinis Provinciis apud Americam latinam in sacro Praedicationum et Missionum exercitiorumque spiritualium ministerio salubriter occupantur ; nempe :

*I. De Cruce Missionum.*

I. Ut in fine Missionum Crucem sollemniter benedicere valeant ac erigere, cum Indulgentia Plenaria, etiam defunctis applicabili, in

---

propria impendendo, gratuitam praestet operam et numquam religiosam domum deversorii similem aliquo modo facere debeat.

Ut a periculo isto caveatur, Beatissimus Pater consilium cepit haec statuendi, quae incunctanter cum Maternitate Vestra communico.

1. Absolute vetantur in religiosis sororum domibus hospitio recipi viri saeculares.

2. Optandum fuerit ne vel ecclesiasticis viris in dictis domibus hospitium offeratur, cum possint ipsi frui multis collegiis vel virorum coenobiis quae in Urbe exstant.

3. Copia tantum fit ut mulieres et puellae admittantur quae, solae cum sint, vitam amant tranquillam, quam difficulter alibi agere possint.

Ex aedibus nostris, 18 maii 1905.

gratiam fidelium qui, coram ipsa Cruce, in die erectionis, in Anniversario aut Dominica proxime insequenti, insuper in Festis Inventionis et Exaltationis eiusdem Crucis vel Dominica respective insequenti, iuxta consuetas intentiones oraverint, et Ecclesiam Parochialem loci ubi Crux erecta est devote visitaverint; ac denique cum Indulgentia partiali tercentorum dierum in eorundem fidelium favore, qui ante praefatam Crucem septies Salutationem Angelicam, vel in honorem Vulnerum Domini quinquies Orationem Dominicam et salutationem Angelicam pie recitaverint, pro defunctis item applicabili.

*II. Indulgentiae pro frequentantibus contiones.*

II. Ut fideles, qui ter saltem Contionibus Missionum ab iisdem religiosis habendarum interfuerint, et vere paenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti parochialem loci Ecclesiam, ubi Missio habita est, devote visitaverint, ibique iuxta consuetas intentiones oraverint, Plenariam Indulgentiam pro defunctis pariter valituram assequi possint; quam quidem extraneis, etiamsi alibi, id est extra Paroeciam in qua Missio habetur, Sacramentalem Confessionem et Communionem peragant, intra quindecim dies post expletam Missionem liceat promereri.

*III. Facultates applicandi rebus indulgentias apostolicas.*

III. Ut iidem Sacerdotes Ordinis Minorum tam publice quam privatim benedicere Cruces et Coronas ac Numismata ceteraque piae devotionis obiecta, iisque Apostolicas aliasque de more Indulgentias applicare valeant.

*IV. Benedictio Apostolica.*

IV. Ut laudati Religiosi Benedictionem Apostolicam in fine Contionum possint Fideli populo impertire, eamque sibi dum impertiunt lucrari.

*V. Scapulariorum impositio.*

V. Ut denique ipsi Fratres, benedicere etiam sub unica formula quattuor Scapularia necnon cetera possint ac fidelibus imponere, eosque in respectivam Confraternitatem aggregare, quin eorum nomina in Regesto describantur: facta insuper iisdem fidelibus potestate Scapularia sibi imponendi, dum Sacerdos consuetas preces persolvit; idque magni concursus tempore, uti Exercitiorum ac Missionum necnon functionum praecipuarumque anni sollemnitatum, cum in hisce casibus absolute impossibile sit, sive ob deficientiam Sacerdotum tunc audiendis confessionibus laboribusque aliis intentorum, sive ob reliquas passim occurrentes difficultates, et iteratis fidelium votis occurrere, atque iniunctas simul formalitates implere.

*Ratio cur haec facilius concedantur.*

Has porro facultates humillimus Orator eo fidentius a Sanctitate Tua se assecuturum confidit, quod et illis iam alii Ordines seu Congregationes Regulares ornentur, ac per eas abundantiorem inter fideles populos fructum e sacro praesertim divini verbi ministerio per Fratres Minores exercendo spes fulgeat obtinere.

Et Deus, etc.

*Audientiae dies (23 maii 1905).*

Ex Aud. SSmi. Die 23 maii 1905.

*Concessio quinquennalis.*

SSmus Dnus Noster Pius, divina Providentia Papa X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Subsecretario, praedictas Indulgentias et facultates benigne concedere dignatus est ad quinquennium proximum. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

*Dies praedicta.*

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die mense et anno praedictis.

*Iosephus Aversa, Subsecr.*

## 76. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (24 MAII 1905)

### *RESPONSA DE RITUALI NUPER EDITO*

### **Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae**

*Orator* **Dubia.**

R. P. Simon [1] Bernardini, Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia reformata, pro opportuna solutione, humillime exposuit:

*Suntne ritus proprii a parochis etiam observandi.*

I. An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis qui ad Paroecias regendas assumuntur?

*An deficientes ritus suppleri potuerunt ex Rituali Romano.*

II. An sit improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac cerimoniae pro uno vel altero Sacramento vel Sacramentali deerant in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur?

*Num edi potuit Rituale a Generali.*

III. Et quatenus affirmative ad I. et Negative ad II. An in facultate sit Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum Antiq. Observ. tam ritus peculiares Ordinis quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo « *Ritualis Carmelitici* », et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam praescribere?

*Coetus peculiaris 16 maii 1905.*

Sacra porro Rituum Congregatio, in peculiari Coetu ad Vaticanum habito, die 16 vertentis mensis maii, proponente Emo et Rmo Dno Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino, et Relatore, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

**Responsa.**

*Ad I.* Ad I. *Affirmative.*

*Ad II.* Ad II. *Negative.*

*Ad III.* Ad III. *Affirmative.*

*Confirmatio Sanctissimi.*

Quas resolutiones Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatas, Sanctitas Sua ratas habere et confirmare dignata est.

*Dies (24 maii 1905).*

Die 24 maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

ANNOTATIONES

1. Iam ex ipsa forma speciali qua responsa ista sunt confecta, perspicitur singulare negotii quod agebatur momentum. In coetu enim peculiari et per relatorem Cardinalem instituta est rei deliberatio. Quaestiones ea ratione sunt positae quae Sacrae placuit Congregationi. Orator enim profitetur se dubia exponere *reformata,* scilicet a S. Congregatione. Denique, contra ac fieri consuevit, non ante sunt responsa edita quam Summi Pontificis rettulerint confirmationem.

Age vero, quantum interfuerit dubia ista accurate solvi facile

---

[1] Monumentum damus ut habetur in ANAL. ECCa, p. 459, correctis mendis quae p. 286 idem periodicus libellus ab ACTA S. SEDIS fatetur se esse mutuatum.

eruitur ex commentariis quibus in ANALECTA ECCLESIASTICA responsa ista ornarunt prius P. ELIAS COCCIA, Ord. Carmelitarum [1], tum P. MARCUS MAGISTRETTI [2], magister caerimon. cathedralis Ecclesiae Mediolanensis.

2. Ut prius ipsam *speciem facti* a P. E. COCCIA mutuemur, satis notum est a Patribus Carmelitanis Antiquae Observantiae servari potuisse propriam liturgiam latinam, quae Hierosolymitana nuncupatur, cum pluribus saeculis esset Piana reformatione Breviarii ac Missalis (1568, 1570) antiquior. (Carmelitae Reformati Romano utuntur Ordine.) Porro dum Breviario, Missali, Martyrologio, Caerimoniali proprio non carebant, ritus administrandi sacramenta ac sacramentalia non erant in unum Rituale collecti, sed, quod etiam usque ad Paulum V in ritu romano cernebatur, in variis libris liturgicis dispersi erant. Hinc, quo commodius agerent, coeperunt plures Carmelitae uti rituali romano, praesertim cum certos ritus, id est, conferendi baptismi et celebrandi Matrimonii in propriis libris desiderarentur [3]. Quo melius servandis Ordinis privilegiis consuleretur, R^mus P. Pius Mayer, Prior Generalis, mandatum exsequens Generalis Capituli a quo, a° 1902, erat Ordini praefectus, ex propria Ordinis liturgia collectos ritus in Rituale redegit. Si qui porro ritus in libris propriis desiderarentur, illos ex Rituali romano in proprium Rituale transtulit. Quod subinde perfectum, toti Ordini, etiam parochis, praescripsit observandum.

Verum, promulgato decreto, de eius vi ac legitima ratione coeptum est dubitari. Hinc, quaesita ac responsa quorum paucis verbis hic iuvabit reddere rationem.

3. a) Et prius quidem quaesitum est utrum servandis ritibus Ordinis propriis obstringerentur omnes Ordinis sodales, an in administrandis sacramentis et sacramentalibus eximendi forent parochi qui saeculares curarent animas. Dum S. Rituum Congregatio etiam a parochis Carmelitanis ritus Ordinis observandos esse decrevit, mere receptam legem et sollemnia principia confirmavit, secundum quae debet quivis sacerdos proprium in sacramentis ministrandis ritum servare nec ad fidelium ritum se accommodare permittitur. Ita, si quando Orientali fideli contigerit a latino ministro recipere sacramenta, haec latino ministranda sunt ritu.

b) Probavit dein S. Rituum Congregatio usum supplendi ex Rituali romano deficientes ritus proprios. Et recte quidem. Supplendi etenim vera erat necessitas; supplendi ex aliena disciplina exemplum habebatur in ipsa lege canonica, quae civili romanorum iure suppletur; supplendi ex rituali romano cogens ratio erat, quod ritus Carmelitarum ad latinos adscribitur; nec in ecclesia latina, secluso privilegio, alios ritus praeter romanum adhibere licet.

c) Restabat tertium dubium, quod magis ambigi videbatur. Etenim, ex ipsa *C. Officiorum ac Munerum*, Leonis XIII, art. 18, nefas est in authenticis editionibus Ritualis quicquam immutare, « si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ». Licuitne itaque R^mo Priori Generali proprio marte Rituale conficere ea quam diximus ratione? Factum tamen probavit S. Rituum Congregatio.

---

[1] ANAL. ECCL. t. 13 (1905), p. 286-288.
[2] Ibidem. p. 460.
[3] Non videntur enim Carmelitae olim rexisse paroecias.

Cuius responsionis haec nobis videtur esse ratio, quod non agebatur de immutando Rituali romano vel libro liturgico a S. Sede approbato, sed de primum edendo Ordinis Rituali; in quod ceterum nullum induxit Rmus Prior Generalis ritum non servari solitum: ipsi enim ritus ex romano Rituali deprompti iam longo usu erant facti Carmelitarum. Denique, quod non est neglegendum, ab eo editum est Rituale istud cui, tamquam Ordini praefecto, propriorum servandorum rituum incumbebat cura atque provincia.

4. Sollemnibus his responsis etiam constat iam licere Patribus istis trinam dare, infra octavam *Corporis Domini*, benedictionem cum SS. Sacramento. Id enim fieri praescribit proprium Rituale. Olim, 6 iun. 1696 et 16 maii 1744, de benedictione ista duo data sunt rescripta, quorum prius negabat, alterum vero agnoscebat ipsis hoc privilegium.

Cum autem negans responsum solum esset (n. 1944) in novissima Decretorum authenticorum collectione relatum, alterum (ex lege in Praefatione Collectaneorum explicata) erat ut priori contrarium suppressum; nunc tamen praesentibus responsis standum erit. (Cfr. MONITORE, t. 16, p. 522.)

5. Denique, ut observat R. P. MAGISTRETTI, denuo in hac causa se prodit S. Sedis mens, ut intacti serventur legitimi ritus quos ipsa commendat antiquitas, nec in una eademque ecclesia ritus misceri sinantur.

---

## 77. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (24 maii 1905)

### *RESPONSUM DE AUTHENTIA ASSERVATORUM PRAECORDIORUM S. FRANCISCI ASSISIENSIS*

**Assisien.**

*Proponitur controversia in Comitiis peculiaribus 16 maii 1905. Differtur quaestio praecipua. Contendentibus imponitur silentium. Argumenta nova subicienda sunt S. Congregationi, sine cuius scripta licentia nihil edendum. Approbatio SSmi. Dies (24 maii 1904).*

Quaestioni olim agitatae, postea sopitae, nuperque iterum excitatae super praecordiis S. Francisci Assisiensis, quae Assisii, in Ecclesia S. Mariae ab Angelis nuncupatae, religiose custodiri alii affirmant, allata etiam vetusta Ordinis Minorum traditione, et alii negant vel in dubium revocant: Sacra Rituum Congregatio in peculiaribus Comitiis ad Vaticanum habitis die decima sexta elapsi mensis maii, proponente Emo et Rmo Dno Cardinali Francisco Segna Causae Relatore, omnibus ex utraque parte ad rem deductis argumentis atque documentis discussis accurateque perpensis, attento etiam voto Commissionis Historico-Liturgicae, atque audito R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, ita respondere censuit: « Imposito partibus de hac re contendentibus et disputantibus magno silentio, quaestionis praecipuae resolutio differatur, manente interim in sua possessione enuntiata traditione. Si quid autem novi pro una vel altera sententia in casu reperiatur, Sacrorum Rituum Congregationis examini et iudicio erit subiciendum; nihilque edendum nisi de ipsius sacri Concilii expressa atque scripta licentia ».

Quas resolutiones, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque servari mandavit.

Die 24 maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*,
*D. Panici*, *Archiep. Laodicen.*, *Secret.*

## 78. — SECRETARIAE STATUS

*INDULTUM, EX AUDIENTIA SSmi, 3 IUN 1905*

**Privilegia alterius Societatis communicantur cum Societati Imm. Conc. a Numismate**

Archiepiscopus et Episcopi Poloniae enixe rogant Sanctitatem Tuam, ut Societati Immaculatae Conceptionis a Sacro Numismate easdem Indulgentias atque eadem privilegia velit concedere, quibus gaudet Societas a Scapulari Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis. *Oratores.* **Petitum.**

*Ex Audientia SSmi die 3 iunii a. 1905.* *Dies audientiae (3 iun. 1905).*

Beatissimus Pater preces, quae supra exhibentur, benigne excipiens, petitam gratiam impertire dignatus est, ea tamen lege, ut qui in Societatem Immaculatae Conceptionis a Sacro Numismate cooptantur, eorum nomina in Catalogo inscribantur. *Conceditur gratia, dum inscribantur nomina.*

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis. *Dies praedicta.*

R. Card. MERRY DEL VAL.

---

## 79. — SS. D. N. PII X

*BREVE 7 IUN. 1905*

**Indulgentiae pro celebratione 15 fer. 3arum in honorem S. Dominici**

Cum, sicuti accepimus, a fidelibus ac praesertim alumnis Ordinis S. Dominici, piae exercitationes ac supplicationes per quindecim ferias tertias festum S. Patris Legiferi Dominici Confessoris immediate antecedentes fieri soleant; *Concessionis occasio.* Nos, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam caelestibus Ecclesiae thesauris intenti, *Et ratio.* omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere paenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui saltem octies piis huiusmodi exercitiis ac supplicationibus vacaverint, et ecclesiam ubi memoratae exercitationes fient devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. *Indultum indulgentiarum.* Praeterea fidelibus iisdem corde saltem contritis, qua vice praefatis exercitiis operam impenderint, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita ducentos expungimus. Tandem largimur fidelibus iisdem, ut si malint, liceat plenaria ac partialibus his indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad decennium tantum valituris. *Ad decennium.* Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate *Fides transumptis, etc.*

constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

*Dies (7 iunii 1905).* Datum Romae, apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die VII iunii MCMV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D^no^ Card. Macchi,
*N. Marini, Substitut.*

---

## 80. — S. CONGR. INDULGENT. ET SS. RELIQUIARUM

### *INDULTUM 7 IUN. 1905. DECRETUM 23 IUN. 1905 ET RESCRIPTA 11 AUG. 1905*

### Indulgentiae Ordinis FF. Min. Capuccinorum

A. *Indultum 7 iun. 1905*

*Orator petit ut Ordinis indulgentiae sint applicabiles.* Minister Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis humiliter prostratus, S. V. exponit se praesentavisse S. Cong. Indulgent. et SS. Reliquiis praepositae Summarium cunctarum Indulgentiarum et omnium Privilegiorum a SS. PP. concessorum Ordini praefato. Ad tollendum omne dubium et ad uniformitatem obtinendam, humilis Orator implorat a S. V. concedi ut omnes Indulgentiae relatae in elencho supradicto sint applicabiles animabus defunctorum, excepta Indulgentia Plenaria *in articulo mortis* lucranda. Qua de gratia...

**Concessio.** S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS^mo^ D^no^ N^ro^ Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (7 iun. 1905).* Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 7 iulii 1905.

A. Card. Tripepi, *Praef.*
*Pro Secret. Ios. M. Can. Coselli, Substit.*

B. *Decretum 23 iun. 1905 quo Summarium Indulgentiarum approbatur*

Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum quae Romani Pontifices Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum concesserunt

Articulus I. — *Indulgentiae, Privilegia et Indulta ipsis Fratribus Ordinis, intuitu status religiosi concessa*

A. — Indulgentiae Plenariae

*Ingressus.* 1. Omnibus Christifidelibus die primo eorum ingresssus in religionem, si confessi S. Communionem sumpserint (Paulus V, « *Romanus Pontifex* », 23 maii 1606).

*Professio.* 2. Cuilibet Novicio, qui confessus et S. Communione refectus, post completum probationis annum, professionem emiserit (Idem, ibidem).

*Festum princ. Ordinis.* 3. Cuilibet Religioso, intra claustra monasterii sui viventi, in festo principali sui Ordinis, dummodo confessus et S. Communione refectus ad mentem Summi Pontificis oraverit ( Id. ibid.).

4. Cuilibet Religioso in mortis articulo, si uti supra dispositus, vel saltem contritus SSmum Iesu nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit (Id. ibid.). *In articulo mortis.*

5. Illi qui, legitime ordinatus, praevia confessione, primam Missam celebraverit, et aliis religiosis qui confessi et S. Synaxi refecti eidem Missae interfuerint (Id. ibid.). *Prima Missa.*

6. Iis qui per decem dies, vel, aliquo interveniente legitimo impedimento a Superioribus dignoscendo, saltem per tres dies, ab aliorum conversatione separati, SS. Spiritualibus Exercitiis, videlicet piis lectionibus, meditationibus mysteriorum fidei, orationibus vocalibus, saltem per duas horas cotidie operam dederint, dummodo confessi S. Communionem sumpserint (Id. ibid.; Pius X, Rescr. S. Congr. Indulg., 14 decembris 1904). *Exercitia spiritualia.*

7. Iis qui confessi ac S. Synaxi refecti orationi Quadraginta Horarum, tempore visitationum generalium a Superioribus collocatae, spatio saltem duarum horarum diverso tempore interfuerint, et ibi ad mentem Summi Pontificis, necnon pro disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces fuderint (Paulus V, loc. cit.). *Oratio 40 Hor. in visitatione.*

8. Iisdem qui die Commemorationis omnium Defunctorum primi et secundi Ordinis, uti supra dispositi, ecclesiam vel oratorium sive publicum, sive privatum Ordinis visitaverint, et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius X, Breve 10 februarii 1905). *Commemoratio Defunctorum Ordinis.*

9. Iisdem, die anniversaria Professionis S. P. Francisci, si, uti supra dispositi, eadem pietatis opera praestiterint (Id. ibid.). *Professio S. Francisci.*

10. Cuilibet Religioso recitanti Coronam Franciscanam, scilicet septem gaudiorum B. M. V. (Paulus V, 8 iunii 1608; Innocentius XI, Breve 15 maii 1688). *Corona Franciscana.*

11. Religiosis qui die 29 novembris, qua S. P. Franciscus S. Regulae confirmationem ab Honorio III reportavit, confessi ac S. Communione refecti professionem renovaverint et ad mentem Summi Pontificis, necnon pro spirituali Ordinis profectu pias ad Deum preces fuderint (Clem. XII, « *Cum sicut* », 2 maii 1736). *Die 29 novembris.*

12. Iisdem, in festo Epiphaniae, die anniversaria consecrationis totius Ordinis SSmo Cordi Iesu, si confessi ac S. Synaxi refecti sollemnem professionem renovaverint (Pius IX, 7 octobris 1873). *In Epiphania.*

13. Iisdem, semel in anno, die quo cuique libuerit, dummodo confessi et S. Communione refecti ad intentionem Summi Pontificis oraverint, tempore quo infrascripta exercitia peregerint : eundi per claustrum septem vicibus et visitandi in fine SSmum Sacramentum (loco visitandi septem Ecclesias Urbis); eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem B. M. V. (loco visitandi Sanctuarium Lauretanum); eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem SSmi Crucifixi (loco visitandi Sanctuarium Montis Varalli); et demum eundi similiter ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem S. P. N. Francisci (loco visitandi Sanctuarium Assisii et Alverniae) (Pius VII, 25 septembris 1779). *Semel in anno pro quibusdam visitationibus.*

14. Iisdem Religiosis qui, confessi ac S. Synaxi refecti, *Absolutionem Generalem*, sub formula « Ne reminiscaris », a Superioribus Ordinis vel ab aliis Religiosis ab ipsis deputatis, et, relate ad Moniales, ab earum confessario vel ab alio sacerdote, licet ad audiendas earum confessiones non approbato, ab Ordinario tamen delegato, impertiendam, acceperint et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis : *Absolutio Generalis.*

Nativitatis
Circumcisionis
Epiphaniae
Paschatis Resurrectionis } D. N. Iesu Christi;
Ascensionis
Pentecostes;
SSmae Trinitatis;
Corporis Christi;
Purificationis
Annuntiationis
Visitationis
Assumptionis } B. V. M.;
Nativitatis
Immaculatae Conceptionis
Praesentationis
SS. Apostolorum Petri et Pauli;
S. P. Francisci;
S. Clarae Virg. Assisiensis;
S. Catharinae Virg. et Mart.;
Omnium Sanctorum;
Singulis diebus Hebdomadae maioris;
Semel in anno, die quo in singulis monasteriis peragitur canonica visitatio.

(Pius X, Breve 10 februarii 1905).

*Festa S. Fidelis et S. Franc. Xav.* 15. Iisdem, in festis — S. Fidelis a Sigmaringa et — S. Francisci Xaverii, dummodo confessi ad S. Synaxim accesserint et cotidie per annum precationem « *Misericordiarum Pater* » recitaverint (Leo XIII, Rescr. S. Congr. Indulg., 19 novembris 1895).

*Sexies Pater et Ave.* 16. Quilibet ex Religiosis totiens indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, Hierosolymitanorum locorum, Aedis S. Iacobi Ap. Compostellanae, lucrari valent, quotiens in quocumque loco *Pater*, *Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis recitaverint (Leo X, 1 septembris 1518).

### B. — Indulgentiae Stationum Urbis

*Visitatio Ecclesiae pro ecclesiis Urbis et extra eam.* Omnes et singuli Religiosi inter claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, consequuntur easdem indulgentias quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam, diebus Stationum a Missali Romano designatis, consequerentur, dummodo cetera opera iniuncta praestiterint (Paulus V, « *Romanus Pontifex* », 23 maii 1606).

*Psalm.* Exaudiat. Easdem indulgentias Religiosi in coenobiis degentes lucrari valent, si confessi ac S. Communione refecti, diebus stationalibus fixis, Psalmum « *Exaudiat te Dominus* » cum versiculis et orationibus statutis pro Romano Pontifice et S. Matre Ecclesia recitaverint; et si illum recitare ignoraverint, eius loco ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius IX, Breve 7 augusti 1868).

### C. — Indulgentiae Partiales

*Oratio mentalis.* 1. *Sexaginta annorum totidemque quadragenarum* cuilibet Religioso, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationi mentali vacaverit, dummodo confessus ultima

dominica huiusmodi mensis ad S. Synaxim accesserit (Paulus V, « *Romanus Pontifex* », 23 maii 1606).

2. *Septem annorum*, prima feria sexta cuiuslibet mensis, singulis religiosis, qui professionem renovaverint (Pius IX, 7 octobris 1873). *Professionis renovatio.*

3. *Quinque annorum totidemque quadragenarum* in qualibet die, omnibus Religiosis intra claustra viventibus, qui quinquies *Pater* et *Ave* ante altare propriae ecclesiae, vel, si de suorum Superiorum licentia in itinere exsistant, aut tamquam praedicatores aut lectores extra claustra degant, ante quodlibet altare recitaverint (Paulus V, « *Romanus Pontifex* », 23 maii 1606). *Quinquies Pater et Ave.*

4. *Trium annorum totidemque quadragenarum* Religiosis qui corde saltem contriti eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusaverint, necnon spiritualiter communicaverint et exercitium virtutum fecerint (Id., ibid.). *Accusatio culparum.*

5. *Trecentorum dierum* ab iis Religiosis semel in die lucrandam, si precationem « *Misericordiarum Pater* » cum *Pater*, *Ave* et *Gloria* devote recitaverint (Leo XIII, Rescr. S. Congr. Indulg. 19 novembris 1895). *Oratio* « Misericordiarum Pater ».

D. — Privilegia et Indulta

1. Religiosi qui, violentia dispersi, in domibus peculiaribus, ubi quattuor saltem commorantur sacerdotes, de licentia Superiorum degunt, in privato oratorio earundem domorum omnes et singulas indulgentias lucrari valent, quibus gaudebant Ecclesiae aut domus, e quibus exturbati fuerunt, ceteris servatis de iure servandis (Pius IX, Decr. S. Paenit. 28 iulii 1866 et 18 aprilis 1867). *Pro dispersis.*

2. Religiosi infirmi et convalescentes in valetudinario, visitando sacellum infirmorum, aliaque opera praescripta peragendo, lucrari possunt omnes indulgentias, quas visitando Ordinis Ecclesias consequerentur (Benedictus XIII, 24 aprilis 1725). *Pro infirmis.*

3. Religiosi qui ita graviter recumbant ut e lecto surgere et ad ecclesiam se conferre non valeant, easdem indulgentias lucrari possunt, peragendo opera iniuncta pro ipsorum statu possibilia, vel ea supplendo per alia, in quae a Superiore vel a confessario commutabuntur (Id., 30 ian. 1726).

4. Religiosi accipere possunt *Absolutionem generalem* etiam privatim in pervigilio festorum, quibus ipsae sunt adnexae; nec non ii qui legitimo detinentur impedimento, a Superiore dignoscendo, quominus in die assignata illam recipere possint, uno ex septem diebus festum assignatum immediate sequentibus, accipere valent (Pius X, Rescr. S. Congr. Indulg. 14 decembris 1904). *Pro die absolutionis generalis.*

5. Altare maius omnium ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio cotidiano pro Missis quae in eodem celebrabuntur a quocumque Sacerdote, sive regulari sive saeculari, in suffragium animae alicuius defuncti (Clemens XIV, Rescr. S. Cong. Indulg. 30 iulii 1770). *Altare privilegiatum.*

6. Eodem privilegio gaudet altare sacelli valetudinariorum in conventibus Ordinis, pro Missis quae inibi celebrantur a Religiosis senibus et infirmis, qui se ad Ecclesiam conferre nequeunt (Benedictus XIV, 15 septembris 1750 et Breve 1 aprilis 1754).

7. Item privilegiatae sunt, ad quodlibet altare Ecclesiarum Ordinis celebrentur, tres Missae quae a Sacerdotibus Ordinis pro anima cuiusque defuncti Summi Pontificis et Cardinalis Protecto- *Missae privilegiatae.*

ris, ac Imperatoris vel Regis applicentur (Benedictus XIV, 19 septembris 1742).

8. Pariter privilegio gaudet Missa una quae a Religiosis Ordinis in suffragium animae suorum respective parentum defunctorum celebrabitur (Id., 10 aprilis 1745).

9. Missae omnes quae in suffragium animae Fratrum vel Monialium Ordinis a quocumque sacerdote, sive regulari sive saeculari, celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae (Pius X, Breve 10 februarii 1905).

*Erectio Viae Crucis.* 10. Omnibus Ministris Provincialibus Ordinis concessa est facultas erigendi in Ecclesiis sui Ordinis, necnon et in adnexis oratoriis Stationes *Viae Crucis* quarum indulgentiae lucrifieri valent ab universis Christifidelibus : insuper iidem Ministri facultate pollent ad eundem effectum delegandi Superiores locales pro tempore exsistentes (Pius IX, 5 martii 1874).

*Scapulare S. Ioseph.* 11. Rmo P. Ministro Generali pro tempore concessa est facultas benedicendi atque fidelibus imponendi Scapulare S. Ioseph Sp. B. M. V., cum potestate ad huiusmodi Scapularis benedictionem et impositionem Sacerdotes, sive regulares sive saeculares, delegandi (Leo XIII, Rescr. S. R. C. 18 aprilis 1893).

*Confraternitas Chordigerorum.* 12. Superioribus Ordinis facta est potestas erigendi, de consensu Ordinariorum, Confraternitatem Chordigerorum S. Francisci, cum adnexis indulgentiis et privilegiis, in Ecclesiis illorum locorum, in quibus Ecclesia aut Conventus Fratrum Minorum Conventualium non exsistunt, servatis servandis, et praesertim Constitutionibus Sixti V « *Ex supremae dispositionis* », diei 19 novembris 1585, et Pauli V « *Nuper Archiconfraternitati* », diei 11 martii 1607 (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg. 14 decemb. 1904).

*Benedictio chordarum et Papalis 8 dec.* 13. Iidem Superiores, legitimo detenti impedimento, Ordinis Religiosum ad excipiendas Sacramentales confessiones approbatum subdelegare valent ad benedicendas Chordas S. Francisci necnon ad impertiendum Chordigeris Papalem Benedictionem in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. (Id., ibid.).

*Exorcismus in Satanam.* 14. Rmo P. Ministro Generali indultum collatum est, ut Sacerdotibus Ordinis facultatem elargiri possit recitandi *Exorcismum in Satanam et angelos apostaticos*, iussu Leonis XIII editum, cum acquisitione indulgentiarum praefatae recitationi adnexarum (Leo XIII, 15 novembris 1890).

*Moniales infirmae, pro absolutione generali.* 15. Moniales Ordinis in clausura degentes, quae infirmitate impediuntur quominus ad chorum vel tribunal confessionis accedant, *Absolutionem generalem* recipere valent a proprio Confessore, in die infra octavam festorum cui ipsa est assignata, quando ipse Confessarius clausuram ingreditur ad audiendam aegrotantium Sororum confessionem, ceteris servatis de iure servandis (Leo XIII, Rescr. S. Cong. Indulg. 21 Maii 1892).

### Articulus II. — *Indulgentiae, Privilegia et Indulta pro ministeriis Ordinis Capuccinorum concessa*

#### A. — Indultum favore religiosorum Ordinis qui in Xenodochiis infirmis assistunt

*In Xenodochiis assistentes.* Religiosi qui, debitis cum licentiis, in Xenodochiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis conventibus moram traherent (Benedictus XIV, 31 iul. 1754 et 28 novembris 1756).

B. — Pro Missionibus exteris

1. Religiosi qui, debitis cum licentiis, in ditiones ac terras infidelium aut haereticorum ad sacrum ministerium exercendum missi fuerint, quando itineri se accingunt et quando ad locum Missionis sibi assignatae ingressi fuerint, *plenariam* indulgentiam consequi valent praemissis confessione et S. Communione (Paulus V, « *Romanus Pontifex* », 23 maii 1606).

*Proficiscentes in Missiones.*

2. Unicuique eorum qui in Collegiis sive Seminariis, Evangelii praecones mox futuri, educati fuerint, indulgentia *plenaria* concessa est, non modo cum iuramentum, quo se obstringunt cooperandi Deo in salutem animarum, primo emiserint, verum etiam cum illud statuta die renovaverint, dummodo in utroque casu confessi S. Communionem susceperint (Pius VI, 7 maii 1775).

*Iuramentum ministeriorum sacrorum.*

3. In residentiis Missionum Ordinis, Ecclesiae et oratoria publica, dummodo sint fixa, et ad ea fideles, ad Sacrum audiendum et ad recipienda Sacramenta, accedant, gaudent indulgentiis, quae Ecclesiis Ordinis concessae sunt (Clemens XII, Decr. S. Cong. Ind., 11 iunii 1732).

*Ecclesiae et oratoria in Missionibus.*

4. In locis Missionum provinciarum ultra montes, ubi Fratres Ordinis proprias Ecclesias non habent, Ecclesiae saecularium in quibus Religiosi Ordinis Missionariorum functiones peragunt, indulgentiis Ecclesiarum Ordinis gaudent (Benedictus XIV, « *Caelestes Ecclesiae* », 14 februarii 1742).

*Ecclesiae in locis Missionum ultra montes.*

5. Omnibus Religiosis missionariis et aliis Christifidelibus virilis sexus tantum, qui in domibus hospitiis Missionum per quinque saltem dies continuos exercitia spiritualia quandocumque peregerint, *plenaria* indulgentia semel in anno concessa est, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (Id., « *Cum sicut* », 27 iulii 1751).

*Exercitia spiritualia.*

6. In Ecclesiis Missionum Ordinis, altaria maiora sunt privilegiata aeque ac altaria maiora in Ecclesiis conventuum (Clemens XIII, 20 novembris 1763).

*Altare privilegiatum in ecclesiis missionum.*

7. Religiosi missionarii in infidelium vel haereticorum regionibus degentes, facultatem habent impertiendi, de licentia Ordinariorum, quatenus adsint, Christifidelibus in articulo mortis constitutis Apostolicam Benedictionem cum adnexa *plenaria* indulgentia, servata forma a Benedicto XIV praescripta (Benedictus XIV, 24 augusti 1751).

*Apca benedictio in locis missionum.*

8. Religiosi in Missionibus degentes, qui infra duas saltem hebdomadas sacramentalem confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias, eo temporis intervallo occurrentes, lucrari valent, absque confessione pro singulis indulgentiis praescripta, ceteris servatis de iure servandis (Pius X, Rescr. S. C. Ind., 14 decemb. 1904).

*Confessio habitualis infra duas hebdomadas.*

9. Indulgentia *plenaria* concessa est Religiosis missionariis scholarum popularium fundatoribus earumque directoribus, lucranda a fundatoribus die prima earundem aperitionis, et a directoribus die quo directionem assumunt, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti Ecclesiam seu oratorium suae domus visitaverint, et inibi pro Sanctae Fidei propagatione et iuxta Summi Pontificis intentionem pias ad Deum preces fuderint (Leo XIII, 13 februarii 1887).

*Scholarum popularium fundatores vel directores.*

## C. — Pro Missionibus quas Religiosi Ordinis habent ad populum

### A) — *Indulgentiae et Privilegia*

*Pro iis qui missionibus intersunt.*

1. Omnes Christifideles qui quinque saltem e contionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum corde saltem contriti audierint, indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* consequi valent (Pius X, Breve 10 februarii 1905).

2. Iidem, si praefato tempore quinque contionibus uti supra adstiterint, atque insuper confessi ac S. Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, *plenariam* indulgentiam lucrari possunt (Id., ibid.).

*Facultates benedicendi inter Missiones.*

3. Religiosi Ordinis qui S. Missiones ad populum dederint, facultatem habent benedicendi, de consensu tamen Ordinariorum, Crucem erigendam in loco Missionis, eique adnectendi infrascriptas indulgentias :

a) *plenariam :* 1° die erectionis ; 2° quotannis die anniversaria eiusdem erectionis ; 3° in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis : lucrandam a fidelibus, qui confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint ;

b) *trecentorum dierum* Christifidelibus qui, coram Cruce uti supra erecta, quinquies *Pater*, *Ave* et *Gloria* corde saltem contriti ac devote recitaverint (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 decembris 1904, et Br. 10 februarii 1905).

*Obeuntes exercitia spiritualia.*

4. Omnes Christifideles qui per tres saltem dies continuos exercitiis spiritualibus a Religiosis Ordinis datis interfuerint, *plenariam* indulgentiam consequuntur, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius X, Br. cit.).

*Benedictio Papalis in fine Missionum et Exerc. Spir.*

5. Religiosi Ordinis qui S. Missiones aut spiritualia exercitia dederint, in postrema contione Papalem Benedictionem impertiri valent, cum adnexa *plenaria* indulgentia, ab iis tantummodo Christifidelibus lucranda, qui confessi ac S. Communione refecti eandem Benedictionem acceperint et ad mentem Summi Pontificis oraverint, dummodo tamen contionibus, dictis temporibus habitis, saltem per dimidium earum numeri adstiterint (Pius X, Rescr. cit.).

### B) — *Indulta*

*Impositio scapularium.*

1. Tempore missionum et spiritualium exercitiorum, Religiosi Ordinis qui facultate pollent benedicendi S. Scapularia eaque imponendi, hanc benedictionem e suggestu peragere valent, formula in numero plurali, praetermissa impositione Scapularium, quae sibi quisque fidelium imponet, necnon nominum inscriptione atque eorundem ad respectivam Confraternitatem transmissione (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 decembris 1904).

*Plures cruces erigi possunt in Missione nimis diffusa.*

2. Si fines paroeciae, in qua S. Missiones locum habent, sint nimis ampli, Religiosi Ordinis, qui illas Missiones dederint, non unam tantum, sed plures Cruces erigere ac benedicere cum enuntiatis indulgentiis valent, ita tamen ut unaquaeque Crux a viciniore saltem unius kilometri spatio distet (Id., ibid.).

*Commutatio in gratiam infirmorum.*

3. Infirmi, qui contionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum, assistere nequeunt, plenariam indulgentiam iis concessam, qui quinque saltem contiones audierint, lucrari valent aliud pium opus a Confessario impositum peragendo (Pius X, Br. 10 februarii 1905).

4. Eandem indulgentiam acquirere possunt pueri ad S. Communionem nondum admissi, si confessi ad mentem Summi Pontificis oraverint, dummodo et ipsi quinque saltem contionibus adstiterint (Id., ibid.). *Et puerorum.*

5. Christifideles qui commorantur procul a loco ubi Missiones habentur, confessionem et S. Communionem, quae ad lucrifaciendam praefatam indulgentiam praescriptae sunt, etiam infra spatium quindecim dierum post expletas Missiones peragere valent, dummodo cetera opera iniuncta praestiterint (Id., ibid.). *Prorogatio temporis utilis, in gratiam incolarum distantium.*

ARTICULUS III. — *Indulgentiae quas universi Christifideles in Ecclesiis Ordinis lucrari valent*

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE

*Indulgentiae plenariae certis diebus lucrandae.*

Universis Christifidelibus qui, confessi ac S. Synaxi refecti, quamlibet Ordinis Ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus festis infrascriptis:

1. Titularis cuiuslibet ex dictis Ecclesiis vel oratoriis;
2. SS^mi^ Nominis Iesu (Dom. 2 post Epiph.);
3. B. Bernardi a Corleone, Conf. (14 ian.);
4. SS. Berardi et Soc. Mart. (16 ian.);
5. B. Andreae de Tomit. Conf. (1 febr.);
6. S. Iosephi a Leonissa, Conf. (4 febr.);
7. SS. Petri Bapt. et Soc. Mart. Iapon. (5 febr.);
8. S. Margaritae Cortonen. Paenit. 3 Ord. (23 febr.);
9. S. Ioannis Iosephi a Cruce, Conf. (5 mart.);
10. S. Catharinae Bononien. Virg. (9 mart.);
11. S. Ioseph Sp. B. M. V. (19 mart.);
12. Patrocinii eiusdem Sancti (Dom. III post Pascha);
13. S. Fidelis a Sigmaringa, Mart. (24 apr.);
14. S. Pauli a Cruce, Conf. (28 apr.);
15. S. Petri Regalati, Conf. (13 maii);
16. S. Paschalis Baylon, Conf. (17 maii);
17. S. Felicis a Cantalicio, Conf. (18 maii);
18. S. Bernardini Senen. Conf. (20 maii);
19. B. Crispini a Viterbio, Conf. (23 maii);
20. S. Antonii Patav. Conf. (13 iun.);
21. S. Laurentii a Brundusio, Conf. (7 iul.);
22. S. Veronicae de Iulianis, Virg. (9 iul.);
23. SS. Nicolai et Soc. Mart. Gorcom. (11 iul.);
24. S. Bonaventurae, Ep. Conf. et Eccl. Doct. (14 iul.);
25. S. Francisci Solani, Conf. (24 iul.);
26. S. Clarae Assis. Virg. (12 aug.);
27. S. Rochi, Conf. 3. Ord. (16 aug.);
28. S. Ludovici, Ep. Conf. (19 aug.);
29. S. Ludovici Reg. Conf. 3. Ord. (25 vel 26 aug.);
30. S. Rosae Viterbien. Virg. 3. Ord. (4 sept.);
31. Commemorationis Impressionis SS. Stigmatum S. P. N. Francisci (17 sept.);
32. S. Iosephi a Cupertino, Conf. (18 sept.);
33. S. Pacifici a S. Severino, Conf. (25 sept.);
34. Seraphici S. P. N. Francisci (4 oct.);
35. Commemorationis omnium Defunctorum O. N. (5 oct. vel alia die infra octavam festi S. P. N. Francisci);

36. S. Mariae Franciscae a Quinque Vulneribus, Virg. 3. Ord. (7 oct.);
37. S. Seraphini a Monte Granario, Conf. (12 oct.);
38. SS. Danielis et Soc. Mart. (13 oct.);
39. S. Petri de Alcantara, Conf. (19 oct.);
40. S. Ioannis a Capistrano, Conf. (23 oct.);
41. S. Didaci, Conf. (12 nov.);
42. S. Elisabeth Reg. Hung. Vid. 3. Ord. (19 nov.);
43. S. Leonardi a Portu Mauritio, Conf. (26 nov.);
44. S. Iacobi Piceni, Conf. (28 nov.);
45. Omnium Sanctorum universi Ordinis Seraphici (29 nov.);
46. Immaculatae Conceptionis B. M V. (8 dec.);
47. S. Iosaphat, Ep. et Mart. (14 dec.);
48. Una die ad libitum ex tribus, quibus expositio SSmi Sacramenti locum habet in Ecclesiis Ordinis, ad instar XL Horarum, quamvis nocturno tempore interrupta.
49. Prima feria III, cuiusvis mensis, dummodo peragatur visitatio SSmi Sacramenti pariter in Ecclesiis Ordinis expositi.

(Clemens IX, 2 oct. 1669; Innocentius XI, 26 aug. 1680; Clemens XI, 11 oct. 1713, 27 aug. et 15 sept. 1714; Benedictus XIII, 17 iul. et 22 dec. 1728; Clemens XII, 30 aug. 1731, 12 dec. 1735; Benedictus XIV, 23 aug. 1746, 24 nov. 1755; Clemens XIII, 17 ian. 1769; Clemens XIV, 6 iul. 1773; Pius VI, 10 mart. 27 iun. et 9 aug. 1781; Pius VII, 18 ian. 1820; Gregorius XVI, 27 mart. 1840; Pius IX, 30 sept. 1852, 16 ian. 1868; Pius X, 10 feb. 1905).

*Indulgentia Portiunculae.*

50. Omnes Christifideles, confessi ac S. Communione refecti, quotiens quamcumque Ordinis ecclesiam vel publicum sacellum a primis vesperis usque ad occasum solis diei secundi augusti devote visitaverint et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint, totiens plenariam indulgentiam consequi valent (Gregorius XV, Br. 12 octobris 1622).

### B. — Indulgentiae Partiales

*Indulgentiae decem annorum totidemque quadragenarum.*

Christifideles universi, qui corde saltem contriti ac devote quamcumque ex Ordinis ecclesiis visitaverint, indulgentiam *decem annorum totidemque quadragenarum* lucrari possunt sequentibus diebus festis necnon singulis diebus octavarum eorundem festorum:

1. Immaculatae Conceptionis
2. Nativitatis
3. Annuntiationis
4. Purificationis
5. Assumptionis

} B. M. V.;

6. S. P. N. Francisci;
7. S. Clarae Assisiensis;
8. Die anniversaria dedicationis uniuscuiusque ex praedictis Ecclesiis;
9. Tandem quotiens, tempore expositionis triduanae SS. Sacramenti ad instar XL Horarum, uti supra, Ecclesiam Ordinis visitaverint.

(Pius X, Br. 10 februarii 1905).

### C. — Indultum

*Extensio ad certas provincia-*

Omnes Christifideles visitantes aliquam ex Ecclesiis Provinciarum Italiae, in quibus a Religiosis Ordinis divina officia seu sacramenta

administrantur, inibi lucrari valent omnes et singulas indulgentias, quas consequerentur, si Ecclesias Ordinis visitarent, ceteris servatis de iure servandis (Clemens XIV, Rescr. S. Congr. Indulg. 6 martii 1770). *rum Italiae ecclesias.*

*Omnes et singulae indulgentiae in praesenti Summario recensitae*, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, *applicari possunt etiam animabus in igne Purgatorii degentibus* (Pius X, Rescr. S. Congr. Indulg. 7 iun. 1905). *Indulgentiae sunt applicabiles.*

DECRETUM

Cum Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae praesens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum praefato Ordini concessorum approbandum exhibuerit, et eadem S. Congregatio illud duobus ex suis Consultoribus examinandum dederit, qui, denuo perpensis documentis concessionum apostolicarum, testati sunt omnes Indulgentias, Privilegia et Indulta inibi relata esse authentica; hoc attento testimonio, S. Congregatio illud approbavit typisque mandari permisit. *Approbatio S. Congregationis.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 23 iunii 1905. *Dies (23 iun. 1905).*

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
Pro R. P. *Diomede Panici, Arch. Laodic. Secret.*
*Iosephus M. Can. Coselli, Substitutus.*

C. *Rescripta 11 aug. 1905 quibus omissae in elencho supplentur indulgentiae.*

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, viso Documento, Brevi videlicet Pii Pp. VII, d. d. 18 ianuarii 1820, quo conceditur Plenaria Indulgentia, a Christifidelibus visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum die festo *B. Bernardi ab Ophyda Conf.*, 11 septembris, quotannis lucranda; facultatem facit ut eadem Indulgentia, litt. A. Art. III. huius Summarii iam ab eadem S. C. approbati, proprio suo loco inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congnis, die 11 augusti 1905. *Ad art. III duae adduntur indulgentiae plenariae.*

Item, viso Rescripto, d. d. 10 martii 1781 a S. eadem Congne, pro indulgentia similiter concessa in festo *B. Angelae Fulginaten. Vid.*, 3. Ord (13 febr. nunc autem 30 mart.), facultatem facit ut et haec Indulgentia plenaria proprio loco, ut supra, inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 11 augusti 1905. *Dies (11 aug. 1905).*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

## 81. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

### *RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SS[i], 28 IUN. 1905*

**Dispensans Puellas a caritate a lege distantiae pro Indulgentia de Portiuncula**

*Orator.* Augustinus Veneziani, Procuratoris Generalis munere fungens in Congregatione Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit quod sequitur :

*Concessio facta a Leone XIII, adiecta clausula.* Leo XIII sa. me., per Breve 26 iunii 1903, indulsit fidelibus visitantibus ecclesias seu oratoria adnexa domibus Puellarum a caritate S. Vincentii a Paulo ubique terrarum exsistentibus, die 2 augusti, a primis Vesperis ad occasum solis, indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, dummodo in respectivo loco nulla exstet, vel mille passuum intervallo distet, Franciscalis Ordinis aut alia quaelibet Ecclesia vel publicum Oratorium cui eadem indulgentia concessa sit.

*Huius dispensatio* **petitur.** Cum autem praefatae Sorores, Puellae nuncupatae, ab operibus caritatis quibus plerumque sunt addictae, impediantur quominus possint exire ad visitandas ecclesias privilegio Portiunculae ditatas, et eodem detineantur impedimento personae cum iisdem commorantes sive auxiliariae, sive valetudinariae puellae item apud ipsas degentes, vel ad earum domus accedentes instructionis et educationis causa, Orator benignam pro indicatis personis a praefata clausula dispensationem a S. V. implorat.

Et Deus, etc.

*Et* **conceditur.** SSmus Dominus Noster Pius Pp. X, die 28 iunii 1905 in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis in ceteris etiam quoad tempus forma et tenore Litterarum Apostolicarum in forma Brevis supra memoratarum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (28 iun. 1905).* Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congnis die 28 iunii 1905.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

*Pro Secret. Ios. M. Can. Coselli. Substit.*

---

## 82. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (30 Iunii 1905)

### *RESPONSUM [1] DE LOCO QUO TERTIARII IN PROCESSIONIBUS INCEDERE POSSUNT*

**Ord. Carmelitarum Antiquae Observantiae**

*Orator.* R. P. Spiridion Cimino, Prior Conventus Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis,

---

[1] Acta S. Sedis, t. 38, p. 41.

a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum :

« An Tertiarii Ordinis Carmelitarum in processionibus incedere possint sub eadem cruce Ordinis Primarii ? » **Dubium.**

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit : Affirmative in casu, data praeferentia Fratribus primi Ordinis. Atque ita rescripsit. **Responsum.**

Die 30 iunii 1905. *Dies (30 iun. 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus*,
*D. Panici, Archiep. Laodicen.*, *Secret.*

Annotatio

Cum nullum appelletur peculiare privilegium, videtur responsum istud in omnes cadere saeculares Tertiarios. Unde consequenter erit dicendum, Tertiarios qui, si sub distincta cruce incesserint, locum non obtinebunt nisi post omnes cuiuslibet Instituti religiosos, iam, ut primo Ordini coniunctos, ob quandam cum eo confusionem, primi Ordinis participare praecedentiam.

---

## 83. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (7 iul. 1905)

### *RESPONSUM DE ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIAE ET PATROCINIO S. JOSEPH*

**Societatis Iesu**

Hodiernus Redactor Calendarii divinorum Officiorum ad usum provinciae Austriaco-Hungaricae Societatis Iesu, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum : *Orator.* **Dubia.**

I. In archidioecesi Viennensi, ex privilegio S. R. C. d. 13 ianuarii 1888 « a clero universo... tam saeculari quam regulari festum Dedicationis omnium ipsius archidioecesis ecclesiarum sub competente ritu quotannis Dominica III octobris celebrari valet ». Cum autem alias festa eiusmodi dioecesana Regularibus concessa intellegantur absque Octava, quaeritur : Utrum hoc idem sit observandum in casu in templis Societatis Iesu non consecratis et intra eiusdem archidioecesis limites sitis ? *I. De dedicatione in ecclesiis non consecratis.*

II. Societati Iesu concessum est festum Patrocinii S. Ioseph Dominica III post Pascha celebrandum ritu duplici I classis cum Octava, et quidem, ut Observationes ad Calendarium approbatum 6 decembris 1888 declarant, ita fixe ea die, « etiamsi occurrat cum festo Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis ecclesiae, quae amandantur ad primam diem non impeditam ». Cum autem haec sint festa primaria, quaeritur : Utrum eo ipso idem Patrocinium S. Ioseph pro Societate et a fortiori sit primarii loco habendum, nec ista praerogativa censenda revocata decreto S. R. C., n. 3808, 27 iunii 1893, et n. 3881, 4 februarii 1896 ? *II. De loco quem habet in Societatis Calendario Patrocinium S. Ioseph.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, **Responsa.**

exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis respondendum censuit :

*Ad I.* Ad I. Anniversarium Dedicationis ecclesiae etiam a Regularibus celebrandum est sub ritu duplici I classis cum Octava in ecclesiis tam consecratis quam non consecratis, iuxta decretum 3522 *Amalphitana* 20 augusti 1880, et decretum generale 3863 *Celebrationis festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli ecclesiae* 9 iulii 1895 ad III.

*Ad II.* Ad II. *Negative*, et concessio particularis revocata est decretis generalibus supra relatis 3808 et 3881.

*Dies (7 iul. 1905).* Atque ita rescripsit. Die 7 iulii 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus*,
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

---

## 84. — SS. D. N. Pii PP X

### *MOTU PROPRIO 16 IUL. 1905, CUM NORMIS A C. VICARIATO 1 AUG. PRAESCRIPTIS*

### De examinandis Ordinandis in Urbe

A. *Motu proprio 16 iul. 1905*

*Periculum de doctrina a Tridentina synodo praescriptum.* Sacrosancta Tridentina Synodus de iis agens, qui ad sacra initiandi forent, sic perscribebat : « Sancta Synodus, antiquorum « canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quando Episcopus « ordinationem facere disposuit, *omnes* qui ad sacrum ministerium « accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vel « quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus « autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae « legis ac ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordi« nandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, « *doctrinam* et fidem diligenter investiget et examinet. »

*Legis vis ac ratio.* Ex quibus profecto patet neminem omnino excipi a doctrinae periculo subeundo, qui velit ad sacros ordines promoveri ; itemque doctrinae periculum eiusmodi, non quasi pro forma atque obiter, sed diligenti investigatione faciendum. — Ac merito quidem : non enim promiscuum est, doctus sit an indoctus qui sacris initietur ; sed ea prorsus ratione qua castis rectisque moribus commendari illum oportet, eadem et doctrina exornari necesse est.

*Confirmata exemplo decessorum.* Hinc Decessores Nostri, praesertim vero Alexander VII f. r. Const. *Apostolica sollicitudo*, de doctrinae examine ab ordinandis rite peragendo, multa monuerunt ac sapientissime decreverunt, tum pro dioecesibus universis, tum praecipue pro hac alma Urbe, quae ipsis erat peculiari officio commendata, utpote Romani Episcopatus sedes.

*Pontificis propositum ac* **Sanctiones.** Quae cum decursu temporum, ut assolet in humanis, nonnihil neglecta fuerint ; placet Nobis, quoniam res agitur momenti maximi, quid in ea re sit praestandum enucleatius edicere ac distinctius statuere. Quae igitur sequuntur sancte in posterum praestanda volumus et mandamus.

*1. Ab omnibus in* I. Quicumque in Urbe, sive de saeculari clero sive de regulari, sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae

periculum facient in Curia Cardinalis Vicarii Nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus, ac privilegium exemptionis quodcumque penitus exstinguimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Iesu ex Constitutione *Pium*, Gregorii XIII, et Constitutione *Quantum*, Pauli V, Decessorum Nostrorum.

*Urbe, nemine excepto, doctrinae periculum est faciendum in curia Vicariatus.*

II. Quibus de rebus quave methodo examinandi sint, qui vel sacram Tonsuram vel minores Ordines sunt suscepturi praxis edocet, quae huc usque obtinuit, quamque Nos obtinere in posterum, nulla mutatione, volumus.

*2. Receptus confirmatur usus pro tonsura et ordinibus minoribus.*

III. Ad maiores Ordines qui sunt evehendi, ii de *Instructione* primum interrogandi sunt quae ad Ordinem suscipiendum pertinet. Tum etiam tractationes aliquas de Theologia dogmatica proponent: videlicet, unam pro Subdiaconatu; binas pro Diaconatu; ternas pro Presbyteratu, ac praeterea tractationem de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

*3. Ad maiores suscipiendos ordines proponendae sunt, praeter ipsorum ordinum scientiam, tractationes theologicae.*

IV. Qui ad Diaconatus Ordinem promovendi sunt, in faciendo periculo, tractationem theologicam quam pro Subdiaconatu proposuerunt, iterum proponere ne queant: item Sacerdotio qui sunt augendi, tractationem nullam proponant de qua in praeteritis examinibus tentati iam fuerint.

*4. Eaeque distinctae pro distinctis ordinibus.*

V. Quas quisque theologicas tractationes proponat, singulorum ordinandorum arbitrio permittimus. — Cardinalis tamen Vicarii Nostri erit Tractationum seriem prescribere ac definire, praeter cuius limites nulla ordinandis eligendi facultas esto. — Singula porro examina quam diu sint protrahenda, eiusdem Cardinalis Vicarii Nostri prudenti arbitrio statuendum relinquimus.

*5. Tractationum optio datur candidato inter eas quae elencho Cardinalis Vicarii erunt inscriptae. Idem Cardinalis spatium definiet examinis.*

VI. Quicumque, ex ordinandorum numero, Theologiae lauream in aliqua pontificia Universitate consecuti fuerint; eos a subeundo periculo de re theologica exemptos volumus.

*6. A periculo de theologia eximuntur laureati.*

VII. Pontificia decreta quae adhuc vigeant, et Vicariatus Nostri urbani consuetudines, quae hoc Motu-proprio Nostro non sint mutata vel abrogata, vim omnem ac robur in posterum etiam obtinere volumus ac decernimus.

*7. Confirmantur cetera decreta vel usus huic Motui Proprio non contraria.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Clausula.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI iulii anno millesimo nongentesimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.

*Dies (16 iul. 1905).*

PIUS PP. X.

## ANNOTATIO

Ut ex ipsius decreti tenore ac clausulis plane perspicitur, privilegio Societatis Iesu est pro Urbe tantum aliquid detractum. Privilegium porro istud continetur Brevi Gregorii XIII, 22 sept. 1582, cum ibi praecipiat alumnos Societatis Iesu esse, sine iis legibus quae aliis praescribuntur, privilegio prorsus incommunicabili, ordinandos ab Episcopis. Eaque gratia contineri dispensationem ab examine constat etiam formali S. Congr. Concilii declaratione 5 iul. 1681 data pro archidioecesi Mechliniensi: « An clerici Soc. Iesu, sacros ordines ab Archiepiscopo eodem suscepturi, debeant se subicere examini, prout ceteri Regulares. » — « Negative, nisi adsit consuetudo in contrarium [1]. » Const^e autem Pauli V, *Quantum*, mere superiora confirmantur privilegia. — Addas in Urbe iam satis diu invaluisse ut ordinandi Societatis Iesu de suscipiendis saltem ordinibus in Vicariatu interrogarentur.

[1] Resp. affertur a SCHMALZGRUEBER, in l. 1, t. 12, n. 6.

B. *Normae a Card. Vicario 1 aug. 1905 praescriptae de eodem argumento.*

*1. Forma petitionis.* 1. Per essere[1] ammesso all'esame *ad Ordines*, ogni candidato dovrà fare apposita istanza, da depositarsi nella Segreteria del Vicariato, dove s'indicherà a ciascuno il giorno del suo esame.

*2. Quaenam sint a candidato indicanda.* 2. L'esaminando, nella sua istanza pel suddiaconato o per un altro ordine maggiore, indicherà il trattato, o i trattati teologici su i quali vuole essere esaminato, e aggiungerà nella medesima istanza l'indicazione del giorno nel quale subì l'esame pel Suddiaconato, se egli aspira al Diaconato, o dei giorni ne' quali subì gli esami pel Suddiaconato e pel Diaconato, se aspira al Presbiterato.

*3. De supposito elencho.* 3. L'elenco dei trattati fra i quali l'esaminando è libero di scegliere è quello qui sotto riportato. A ciascun trattato si fa seguire la serie delle tesi o punti dottrinali, sui quali verserà l'esame.

*4. Spatium examinis.* 4. Per la prima tonsura, o per ciascuno degli Ordini minori, l'esame non durerà più die 10 minuti; pel Suddiaconato non più di 20; pel Diaconato non più di 30; pel Presbiterato non più di 40.

*5. Palam deferenda tonsura.* 5. Gli aspiranti agli Ordini, minori o maggiori, che si presentassero all'esame senza la tonsura ben visibile, non saranno esaminati.

*6. Dies a quo vigeant normae.* 6. Questo regolamento andrà in vigore col 1° del prossimo novembre.

*Dies (1 aug. 1905).* Roma, dalla Nostra Residenza, 1° agosto 1905.

P. Card. Vicarius.

*Francesco, Can. Faberi, Segretario.*

Elenchus tractatuum theologiae pro examinibus ad Ordines

I. — *De vera religione*

1) Quid religio, — 2) religio naturalis, — 3) religio supernaturalis seu revelata, — 4) revelatae religionis necessitas, — 5) revelationis duplex obiectum, — 6) Iesu Christi divina missio, — 7) quae ipsius probatur doctrina, — 8) miraculis, — 9) resurrectione.

II. — *De Ecclesia Christi, et de Romano Pontifice*

1) Quid Ecclesia, — 2) eius institutio et exsistentia, — 3) perfectio,

---

[1] Haec latine sic habeas:

1. Ut *ad Ordines* examinetur, quivis candidatus supplicem de re scribere debet libellum deponendum in Vicariatus secretariatu, ubi cuilibet indicabitur dies quo periculum sit faciendum.

2. In libello isto de subdiaconatu vel alio ordine maiori indicabit candidatus tractatum seu tractatus theologicos quae materiam velit esse examinis. Addet etiam qua die fuerit pro subdiaconatu examinatus si se praeparet ad Diaconatum, vel quibus diebus periculum fecerit pro Subdiaconatu et Diaconatu, si ordinari velit sacerdos.

3. Hic infra habetur catalogus tractatuum inter quos liberam habet candidatus optionem. Singulis tractatibus subiciuntur theses vel puncta doctrinalia in quibus examen versabitur.

4. Examen ad primam tonsuram vel quemlibet Ordinem minorem non ultra 10 protrahetur momenta; non ultra 20 ad Subdiaconatum; non ultra 30 ad Diaconatum; nec ultra 40 ad Presbyteratum.

5. Candidati ordinum minorum vel maiorum non examinabuntur nisi tonsuram ferant bene apparentem.

6. A 1 novembris ordinatio ista vigere incipiet.

Romae, ex Nostra Residentia, 1 aug. 1905.

— 4) proprietatis, — 5) notae, — 6) membra, — 7) anima, — 8) corpus, — 9) caput, — 10) capitis praerogativa duplex, — 11) duplex primatus extensio, — 12) duplex infallibilitatis obiectum, — 13) infallibilitatis condiciones, — 14) concilia.

### III. — *De Divina Traditione et Scriptura*

1) Quid traditio, — 2) eius divisiones, — 3) quibus mediis dignoscatur et servetur, — 4) traditio activa et passiva, — 5) evolvi non augeri traditio potest, — 6) quid Scriptura, — 7) quid inspiratio, — 8) Scripturae auctor Deus, — 9) librorum canon, — 10) Scripturae partes protocanonicae et deuterocanonicae, — 11) canon tridentinus, — 12) Vulgatae authentia, — 13) multiplex Scripturam inter ac traditionem differentia.

### IV. — *De Deo Uno*

1) Exsistentia Dei, eius demonstrabilitas ac demonstratio, — 2) demonstrationum genera, — 3) Dei perfectiones ; unitas, — 4) infinitas, — 5) simplicitas, — 6) immensitas, — 7) aeternitas, — 8) omnipotentia, — 9) scientia Dei; eius obiectum, — 10) medium, — 11) Voluntas divina; eius necessitas ac libertas, — 12) Voluntas Dei antecedens et consequens, — 13) providentia, — 14) praedestinatio.

### V. — *De Deo Trino*

1) Quid Trinitatis mysterium, — 2) in Deo natura processiones, personae, relationes, notiones, — 3) Verbi processio, ac divinitas, — 4) processio Verbi generatio est, — 5) Spiritus sancti processio ac divinitas, — 6) processio Spiritus sancti a Patre et Filio, — 7) quando, et ubi definitum, — 8) De additione vocabuli *Filioque* in symbolo fidei, — 9) Spiritus sanctus procedit in aequalitatem divinae naturae, non tamen ut Filius, — 10) Trinitatis mysterium naturali rationi impervium. — 11) De haeresibus contra Trinitatem.

### VI. — *De Deo creante et elevante*

1) Quid creatio, — 2) creationis factum ostenditur, — 3) libertas creationis, huius propositionis certitudo, — 4) dies creationis, — 5) hominis creatio, — 6) angelorum creatio, — 7) varii humanae naturae status, naturae purae, integrae, lapsae, reparatae, — 8) Dona supernaturalia ac praeternaturalia, — 9) peccatum primi hominis, — 10) originalis culpae propagatio, — 11) immaculata Beatae Mariae Virginis conceptio.

### VII. — *De Verbo incarnato*

1) Quid incarnatio, — 2) cuius generis unio, — 3) finis eius, — 4) Christi voluntas, — 5) operatio, — 6) meritum, — 7) cultus latriae humanitati Christi exhibendus, — 8) Divina Beatae Mariae Virginis maternitas, — 9) quibus modis fuerit negatum mysterium incarnationis.

### VIII. — *De gratia Christi*

1) Quid gratia, — 2) gratiae divisiones, — 3) necessitas, — 4) efficacia, — 5) meritum, — 6) meriti obiectum, — 7) quae cum gratia conectantur.

### IX. — *De sacramentis in genere*

1) Quid sacramentum, — 2) veteris ac novae legis sacramenta, atque inter ea discrimen, — 3) sacramentorum novae legis numerus et divisiones, — 4) materia et forma, — 5) minister, eiusque fides, probitas, intentio, — 6) necessitas, — 7) efficacia, — 8) efficaciae modus, — 9) character, — 10) duplicem gratiam producunt sacramenta novae legis, — 11) tria in eis sunt.

### IX-BIS. — *De baptismo, de confirmatione, de extrema unctione*

1) Quid baptismus, — 2) eius institutio, materia et forma, — 3) minister ac subiectum, — 4) species, — 5) effectus, — 6) necessitas, ab reviviscentia, — 7) quid confirmatio, — 8) eius institutio, materia et forma, — 9) minister, et subiectum, — 10) effectus. — 11) necessitas, — 12) quid extrema unctio, — 13) eius institutio, materia et forma, — 14) minister et subiectum, — 15) effectus, — 16) necessitas, — 17) iteratio.

### X. — *De sacramento paenitentiae*

1) Quid sacramentum paenitentiae, — 2) eius institutio, — 3) materia, — 4) forma, — 5) minister, et subiectum, — 6) necessitas, — 7) effectus, — 8) num paenitentiae sacramentum possit esse informe.

### XI. — *De sacramento matrimonii*

1) Quid sacramentum matrimonii, — 2) eius institutio, materia et forma, — 3) minister et subiectum, — 4) unitas, — 5) indissolubilitatis, — 6) iteratio, — 7) impedimenta, eorumque divisiones, — 8) matrimonium ratum quando solubile, — 9) privilegium paulinum, eiusque condiciones, — 10) matrimonium clandestinum, — 11) civile.

### XII. — *De novissimis*

1) Mors, et iudicium particulare, — 2) visio beatifica eiusque duratio, — 3) eius collatio, — 4) inaequalitas, — 5) Beatorum impeccabilitas, — 6) dotes, et aureolae, — 7) inferni exsistentia, — 8) poenae, — 9) ignis, — 10) aeternitas. — 11) purgatorii exsistentia, — 12) poenae, earumque duratio, — 13) animae in purgatorio detentae viventium suffragiis atque indulgentiis iuvantur, — 14) puerorum sine baptismo decedentium condicio.

---

## 85. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (26 iul. 1905)

### *PRIVILEGIUM, EX AUDIENTIA SS^mi, ALTARIS PORTATILIS*

### Congregationis Cleric. Regul. Infirmis ministrantium

*Orator. Propositis rationibus*

R^mus P. Franciscus Vido, CC. RR. Infirmis Ministrantium, universae familiae Praefectus, probe noscens quantum auxilii morbis

animi medendis vel ipsis aegrotis morti proximis disponendis Sacrosanctum Missae Sacrificium conferre soleat: a Sanctissimo D^no N^tro Pio PP. X privilegium altaris portatilis pro cunctis ipsius Regularis familiae sacerdotibus humillime flagitavit: ut, nimirum, iisdem Clericis Regularibus, venia habita a respectivo Moderatore vel Provinciae suae Praefecto in privatis fidelium domibus sive prope cubiculum, sive in aegroti cubiculo ad animae solamen bonumque illius Sacrum litare liceat: in publicis vero Nosocomiis aliisque piis locis vulgo « Lazzaretti » nuncupatis, necnon in domibus uti aiunt « Case di salute », singuli iidem Clerici Regulares in Altari portatili Missam celebrare valeant. Sanctitas porro Sua, huiusmodi supplicia vota ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relata clementer excipiens, de specialissima gratia numquam in exemplum afferenda, expetitum privilegium, absque ulla Apostolici Brevis expeditione, pro Nosocomiis ceterisque enuntiatis locis benigne tribuere dignata est singulis Sacerdotibus praedictae Regularis familiae, quoadusque ibidem commorentur. Pro aegrotantium vero privatis domibus potestatem fecit tum supremo Moderatori, tum singulis pro tempore Praefectis unicuique Provinciae CC. RR. memoratae Congregationis ut pro suo quisque prudenti arbitrio et conscientia, praevio tamen Ordinarii loci consensu, permittat Missae Sacrificium in Altari portatili celebrari, dummodo loci decentiae, meliore quo fieri potest modo, provideatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

**Petit.**

*Altare portatile in domibus privatorum, propter aegrotos.*

*Et in publicis nosocomiis.*

*De specialissima gratia.*

**Conceditur** *sub modo.*

Die 26 iulii 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

*Dies (26 iul. 1905).*

ANNOTATIONES

1. Verbis « de specialissima gratia, numquam in exemplum afferenda » demonstratur privilegium istud esse, ex Pontificis mente, incommunicabile; nec spem fore alii Instituto idem obtinendi directa concessione. Ac satis facile intellegitur speciali benevolentia uti in hac re Clericos qui speciali vocatione sua iuvandis spiritualiter infirmis deputantur.

Observemus tamen esse, sine clausula communicationem vetante, a Benedicto XIII, 9 dec. 1729, et a Benedicto XIV vivae vocis oraculo Piis Operariis concessum ut in cubiculis infirmorum *diuturno morbo* laborantium possent Missam facere.

2. Usus in privatis domibus obnoxius est huic legi: « *Praevio tamen Ordinarii loci consensu* ». Debetne iste consensus in singulis peti casibus? Id non arbitramur per se requiri; putamus autem esse in arbitrio Ordinariorum loci positum ut generali modo usum privilegii permittant vel velint de singulis casibus fieri certiores.

## 86. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (31 iul. 1905)

### *RESPONSUM*[1] *DE USU PRIVILEGII OFFICII VOTIVI, PRO REGULARIBUS*

### Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium

*Orator*

Rmus P. Ioachim Ferrini, Clericorum Regularium infirmis Ministrantium Procurator Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

*Proposito indulto,*

In Indulto anni 1765, ampliato per recens decretum diei 10 iunii 1904, concessum fuit Congregationi Clericorum Regularium infirmis Ministrantium privilegium persolvendi Officium votivum cum Missa Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis primo cuiusvis mensis sabbato sub quibusdam limitationibus. Rmus Praefectus Generalis eiusdem Congregationis cum suo Consilio nunquam intendit onus imponere suis subditis qui ad chorum non tenentur et privatim Officium recitant, huiusmodi Officium votivum cum Missa persolvendi, sed tantum praescripsit ut in singulis domibus Religiosae Familiae una Missa votiva, praedicta die sabbati, iuxta privilegium celebretur, liberum de cetero relinquens suis alumnis, quotiens uti possint privilegio, Officium cum Missa diei currentis vel Officium votivum cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione recitare. Cum vero nuper exorta sit quaestio circa usum enuntiati privilegii, quaeritur: An huiusmodi privilegium sit de praecepto vel ad libitum?

*Et mente qua est a Generali promulgatum,* **Quaerit** *utrum usus sit praeceptus an liberae optionis.*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit: In casu ad libitum singulorum, annotato in Calendario tum Officio cum Missa diei currentis tum Officio votivo cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione iuxta decretum n. 3594 *Aquen.* 19 septembris 1883 ad. 1 et 2.

**Responsum.** *Dies (31 iul. 1905).*

Atque ita rescripsit. Die 31 iulii 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

Annotatio

Ratio responsionis est ex mente Praefecti Generalis tota quanta repetenda. In potestate enim est Superioris Generalis, officia Ordini concessa, etiamsi mere sint votiva, ipsi Ordini imponere, ut non uno probatur exemplo.

Decreti autem 19 septembris 1883 ideo facta est memoria, quia modum indicat quo scribendum sit Calendarium. Ita enim habet ad 2 « Redacto Ordine divini Officii more consueto iuxta Rubricas, addi poterit Rubrica particularis Officii votivi currentis diei. »

---

[1] Acta S. Sedis, t. 28 (1905), p. 111.

## 87. — E^mi CARDINALIS VICARII URBIS

### *ORDINATIO* [1] *10 AUG. 1905*

### De sacris contionibus in Urbe

In [2] ossequio alle disposizioni contenute nella Lettera della S. C. dei VV. RR. del 31 luglio 1894, il Vicariato di Roma, con notificazione del 24 settembre 1894, approvata dal S. Padre, pubblicò alcune norme per regolare la predicazione nelle chiese e negli oratorî di Roma. *Memorantur acta superiora.*

Per espresso volere di Sua Santità, richiamiamo in vigore le norme anzidette, con qualche modificazione, praticamente riconosciuta necessaria, ordinando quanto segue: *Paucis mutatis, confirmantur ex voluntate Pontificis.* **Praescripta.**

I. Nessun sacerdote residente in Roma, o secolare o regolare, potrà predicare nella Diocesi Romana, sia in chiese, sia in oratorî, senza esserne autorizzato, mediante pagella da ritirarsi presso gli uffici della Segreteria del Vicariato. *1. Quilibet contionator opus habet scripta facultate.*

II. Questa autorizzazione verrà concessa in via ordinaria appresso esame, ed in via eccezionale per titoli debitamente riconosciuti. *2. Regulariter post examen concedenda.*

III. Volendosi invitare per la predicazione qualche sacerdote di altra diocesi, dovrà chiedersi almeno un mese prima la necessaria licenza, che non sarà concessa senza la presentazione del permesso, in iscritto, dell'Ordinario di lui, ed insieme dell'attestato di essere egli approvato per la predicazione nella propria Diocesi. Se il sacerdote è regolare, dovrà presentare la testimoniale d'idoneità insieme con l'assenso del proprio Superiore. *3. Quid si vocetur contionator extraneus.*

IV. Gli esami, da sostenersi in questo Vicariato con esaminatori da noi specialmente deputati, avranno principio col prossimo novembre, nei giorni che verranno designati con apposita Tabella affissa negli uffici del Vicariato medesimo. *4. Dies deputandi examinibus.*

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 38, p. 187.

[2] Haec latine sic reddimus:

Ut dictis obsecundaret litterarum S. C. Episc. et Regul. die 31 iul. 1894 (De sacris contionibus) Vicariatus Urbis, decreto 24 septembris 1894, a SS^mo D^no approbato, regulas quasdam promulgavit quibus in Urbis ecclesiis et orationibus sacrae contiones ordinarentur.

Expressa SS^mi D^ni voluntate easdem confirmamus, paucis factis mutationibus quas usus demonstravit necessarias, dum haec praecipimus:

I. Nullus sacerdos qui Romam incolat, sive saecularis sive regularis, in romana dioecesi, sive in ecclesiis, sive in oratoriis, contionari permittetur sine facultate scripta « in pagella » quae apud Vicariatus Secretarium est exquirenda.

II. Venia contionandi plerumque post examen concedetur; exceptione facta ob legitime agnitos titulos.

III. Ut ad contionem habendam advocetur sacerdos alterius dioecesis, ante mensem saltem erit prius exquirenda venia quae non concedetur sine scripta proprii Ordinarii facultate et fide obtentae in propria dioecesi approbationis ad contionandum. Regularis porro sacerdos, praeter testimoniales de idoneitate litteras, proprii Superioris assensum exhibere debebit.

IV. Periculis, quae in hoc Vicariatu coram specialiter a Nobis designatis examinatoribus erunt facienda, initium dabitur a proximo mense novembri, diebus quae in speciali tabula palam proponentur in ipso Vicariatu.

*5. Supplices libelli a mense octobri ineunte recipiuntur.*

V. A cominciare dal prossimo ottobre, si presentino le domande di ammissione all'esame, ovvero i documenti dei titoli pei quali se ne desidera la dispensa.

*6. Dies a quo haec vigent. Sanctio poenalis.*

VI. Perchè tutti abbiano tempo di uniformarsi a queste disposizioni, esse andranno solamente in vigore il 1° gennaio 1906. Da quel giorno, i Rettori o Superiori di chiese o di oratorî, che permetteranno di predicare a chi non è fornito d'autorizzazione in iscritto, incorreranno *ipso facto* la sospensione *a divinis* per otto giorni. Per le case religiose femminili, viene onerata la coscienza delle rispettive Superiore.

*7. Proponenda haec in sacristiis*

VII. La presente notificazione dovrà tenersi affissa nelle Sacrestie, perchè nessuno possa allegarne ignoranza.

*Dies (10 aug. 1905).*

Dal Vicariato, il 10 agosto 1905.

P. Card. Vicario.
*Francesco Can. Faberi, Segretario.*

---

## 88. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (14 aug. 1900)

### *DECRETUM DE TYPICA CANTUS GREGORIANI EDITIONE*

*Vaticana editio narratur perfecta.*

Post Apostolicas litteras SS. D. N. Pii divina Providentia PP. X *Motu proprio* data die XXV aprilis MCMIV [1], quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum, cantum gregorianum S. R. Ecclesiae proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontificia, mandata et desideria eiusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

*Promulgatur ut typica.*

Haec vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiae gregorianae, in futuris huiusmodi librorum editionibus contentae, praedictae typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, ad amussim sint conformandae, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

*Ne, sine venia S. Sedis, vulgetur in totum vel ex parte.*

Nulli tamen fas erit librorum cantus gregoriani sic restituti in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis, et instructionibus, quae in Decreto S. R. C. diei XI augusti MCMV [2] continentur.

---

V. A proximo mense octobri inscribantur candidati examinis vel exhibeantur tituli ob quos ab examine quaeratur dispensatio.

VI. Ut omnibus tempus suppetat his sanctionibus parendi, ab ineunte tantem mense ianuario 1906 vigebunt. Ab illa die Rectores vel Superiores ecclesiarum vel oratoriorum qui quempiam scripta facultate destitutum contionari siverint, *ipso facto* suspensionem *a divinis* per octo dies committent. Quod ad religiosas mulierum domus, Superiorissarum oneratur conscientia.

VII. Decretum istud erit in Sacristiis palam proponendum, ne eius ignoratio excusari queat.

E Vicariatu, die 10 aug. 1905.

[1] Cfr. PERIODICA nostra, I, n. 68, A, p. 168.

[2] Ibidem, n. 70, p. 174.

Denique haec eadem S. Rituum Congregatio, de mandato SSmi declarat vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis approbatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta normas supradictas compositi, huic typicae editioni plane fuerint conformes. *Votum Pontificis ut prudenter amoveantur alii libri.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Clausula derogatoria.*

Die 14 augusti 1905. *Dies (14 aug. 1905).*

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

# 89. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *RESCRIPTUM* [1] *18 AUG. 1905*

### De capitulo cogendo vel non post dilatam sollemnem professionem

D. Maurus M. Serafini O. S. B. Abbas Generalis Congregationis Cassinen. a primitiva observantia, pedibus Sanctitatis tuae provolutus, sequentia exponit: *Orator*

Ex decretis Apostolicis *Neminem latet* et *Perpensis*, et ex declarationibus super iisdem, a S. Congr. de Statu Regularium emissis, tam pro religiosis quam pro monialibus post vota simplicia ad professionem sollemnem admittendis, requiritur votum Capituli Conventualis, quod quidem votum non deliberativum sed mere consultivum est, ad instructionem animi Superioris. Qui Superiores, iustis de causis, professionem sollemnem differre possunt ultra statutum triennium, non tamen ultra aetatis annum vicesimum quintum. Hinc saepe contingit ut Superior, post auditum capitulum conventuale, dilationem decernat. Quapropter quaeritur: *Dubitandi iuridica causa.*

**Dubia.**

I. An dilata professione sollemni post Capituli votum, Superior teneatur iterum exquirere votum Capituli, cum tempus advenerit admittendi candidatum ad professionem sollemnem? — Et quatenus *affirmative;* *I.*

II. Quatenus temporis dilatio talis censeri debeat, ut Capitulum conventuale iterandum sit? *II.*

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, respondendum censuit prout respondet: **Responsa.**

Ad I. *Negative.* *Ad I.*

Ad II. Provisum in primo. *Ad II.*

Romae, die 18 augusti 1905. *Dies (18 aug. 1905).*

D. Card. FERRATA, *Praefectus,*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 38, p. 71.

## 90. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (22 aug. 1905)

### *RESPONSA DE PATRONIS DIOECESIS COLENDIS A REGULARIBUS*

**Ordinis Min. Capuccinorum Prov. Rheginensis**

*Orator, memorato decreto Leonis XIII,*

Hodiernus Redactor Kalendarii pro Rheginensi Provincia Ordinis Minorum Cappuccinorum, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, in Decreto Sa. Me. Leonis Pp. XIII, sub die 4 decembris 1904, inserto in Breviario eiusdem Ordinis novissimae Editionis, ac incipiente « Qui primo », inveniri haec verba : « dimissis quibuscumque aliis Officiis, sive Dioecesanis, praeter Officia Patroni praecipui Loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etc. ». Hinc idem Orator sequentia Dubia solvenda proposuit :

*Proponit* **dubia.**

*I. De Patrono dioecesis.*

I. Utrum in illis locis ubi deest Patronus praecipuus Loci, Fratres Capuccini teneantur ad Officium Patroni praecipui Dioecesis, et quidem cum onere audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus?

*II. De S. Ianuario.*

II. Utrum per praefatum Decretum abrogatum fuit Officium S. Ianuarii Episcopi et Martyris ac Patroni principalis totius regionis Neapolitanae, cuius festum sub duplici praecepto celebratur?

*III. De privilegii vigore.*

III. Utrum adhuc censeatur vigere privilegium iam obtentum celebrandi supradicta Officia prout exstant in Propriis respectivarum Dioecesium?

**Responsa.**

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit :

*Ad I.* Ad I. *Affirmative ad utramque partem.*

*Ad II.* Ad II. *Negative.*

*Ad III.* Ad III. *Affirmative.*

*Dies (22 aug. 1905).* Atque ita rescripsit die 22 augusti 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

## 91. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (23 augusti 1905)

### *RESPONSUM* [1] *DE MODO QUO AD DIVINA OFFICIA FRATRES MINORES CAPUT TEGERE DEBENT*

**Ordinis Fratrum Minorum**

**Quaestio** *proposita.*

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit : Utrum Fratres Minores in Missa aliisque divinis officiis amictum super nudum caput imponere debeant, an etiam possint ipsum amictum caputio imponere?

**Dirimitur.**

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito prius Rmo P. Procuratore Generali praefati Ordinis, qui, annuente Rmo P. Ministro Generali, rationes pro utraque sententia

adductas collegit et rettulit, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque ad rem pertinentibus et consuetudinibus diligenter discussis et perpensis, rescribendum censuit: Ad R^mum P. Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum pro uniformitate servanda iuxta Rubricas et Decreta antea edita ab eadem Sacra Congregatione, ita ut Fratres Minores caput tegant cum solo amictu. Quod vero ad illas Ordinis Provincias seu partes attinet, quae ob peculiares difficultates et gravia timenda incommoda, alium tegendi caput modum, cum caputio scilicet, amicto cooperto, sua consuetudine servaverint et adhuc servent, ut ipsis ab observantia praesentis Decreti, circumstantiis perdurantibus, dispensatio concedi possit, eadem Sacra Congregatio rem prudenti arbitrio et conscientiae R^mi Ministri Generalis remittendam benigne existimavit. *Optatur uniformitas* *Opportuna permittitur dispensatio.*

Atque ita rescripsit, die 23 augusti 1905. *Dies (23 aug. 1905).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus*,
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

---

# 92. — S. C. INDULGENTIARUM ET S. RELIQUIARUM

## *RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SS^mi, 23 AUG. 1905*

### Indulgentiae Franciscanae coronae septem gaudiorum B. M. V.

Frater Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, enixe desiderans ut cultus erga Deiparam Immaculatam magis augeatur, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentia exponit: *Orator.*

Inter multiplices cultus ac pietatis significationes erga eandem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum occupat ea laudabilis praxis, ut peculiari Corona Septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipsius divinae Matris Assumptione in Deo Salutari suo mirabiliter exsultavit. Hinc factum est, ut Romani Pontifices non modo speciale Festum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis cum Officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint, verum etiam Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Seraphici Patris Nostri Francisci, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, Indulgentiam Plenariam pluries vel eadem die lucrandam benigne concesserint. *Laudata corona septem gaudiorum,*

Sed humillimus Orator, expendens devotionem erga Septem Beatae Mariae Virginis Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis Fidelibus communi exornatam esse, resciensque pariter eandem Gaudiorum Coronam publice in Ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum Fidelium interventu recitari, suppliciter Sanctitatem Vestram rogat, ut in favorem Coronae Gaudiorum a Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio Sacerdote, sive saeculari sive regulari, per ipsum deputando benedictae in forma Ecclesiae consueta, sequentes omnibus Christifidelibus elargiatur Indulgentias, in perpetuum valituras et in defunctorum etiam **Petit** *indulgentias pro omnibus fidelibus.*

*Ad instar earum quae ditant coronas septem dolorum.*

levamen, excepta tamen Plenaria in mortis articulo lucranda, applicabiles, fere ad instar illarum concessas, quae Coronis Septem Dolorum eiusdem Beatae Virginis sunt adnexae.

1° Illis, qui publicae recitationi Coronae apud Ecclesias trium Ordinum habendae adstiterint, *easdem* tribuat *Indulgentias* quae Fratres et Sorores ipsius Ordinis, quibuscumque sunt sociati, promerentur;

2° Indulgentiam *Plenariam* iis, qui, confessione expiati et sacra Communione refecti, eandem Coronam recitarint *in Festis* cuiusque e Septem Gaudiis, atque in Festis principalioribus Beatae Virginis, vel per Octavam utraque Festa subsequentem; item *Plenariam semel in mense* lucrandam ab iis, qui Coronam singulis Sabbatis consueverint recitare; necnon *Plenariam in articulo mortis*, pro iis, qui Coronam retinuerint, ipsamque frequenter in vita percurrerint;

3° Partialem *trecentorum annorum* iis, qui eandem Coronam in aliis Festis Beatae Mariae Virginis recitaverint; *ducentorum* annorum iis, qui diebus festivis de praecepto; et *centum* annorum iis, qui die Sabbati; ac demum *septuaginta* annorum et *totidem quadragenarum* omnibus quotiens ipsam Coronam quocumque anni die persolverint;

4° Partialem *decem annorum* iis, qui eandem Coronam uti supra benedictam, apud se retinentes, eamque frequenter recitantes, aliquod pium opus in Dei honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximi utilitatem exercuerint, aut in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint.

Et Deus.

**Concessio**

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 23 augusti 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti valituro in perpetuum cum expeditione Brevis, cuius exemplar, sub poena nullitatis gratiae obtentae, ad Secretariam huius Sacrae Congregationis erit transmittendum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (23 aug. 1905).*

Datum Romae e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 23 augusti 1905.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

*D. Panici*, *Archiep. Laodicen.*, *Secret.*

## 93. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA* [1] *1 SEPTEMBRIS 1905*

### De confessariis ordinariis religiosarum

*Orator* **Dubia.**

Petrus Gonzalez et Estrada, Episcopus S. Christophori de Habana, omne illicitum vitare cupiens, a Sacra Episcoporum et

[1] Acta S. Sedis, t. 28 (1905), p. 148.

Regularium Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulat; nimirum:

I. An Episcopus licite valeat Confessarium ordinarium monialium unius monasterii pro alius monasterii monialium ordinario confessario designare? — Et quatenus *negative:*

*Designatio eiusdem confessarii pro duobus monasteriis, vel pro monasterio et conservatorio.*

II. An Episcopus confessarium ordinarium monialium unius monasterii ad munus ordinarii confessarii sororum votorum simplicium eligere queat? — Et quatenus *negative:*

III. Utrum Episcopus unum confessarium ordinarium pro duabus communitatibus Sororum possit licite deputare?

IV. An prohibitum sit Regularibus confessarios ordinarios sororum votorum simplicium esse, sicut pro monialibus iis vetitum est?

*Designatio viri Regularis ut ordinarii Confessarii sororum simplicium.*

Et Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus sedulo perpensis, respondendum esse censuit, prout respondet:

**Responsa**

Ad I. *Affirmative.*

*De unitate Confessarii.*

Ad II et III. Provisum in primo.

Ad IV. *Affirmative.*

*De habilitate viri Regularis.*

Romae, die 1 septembris 1905.

*Dies (1 sept. 1905).*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

ANNOTATIO

Responso quo Regulares prohibentur etiam apud Sorores munus gerere Confessarii Ordinarii, non parum, ut verisimile est, commovebuntur plures. Nec diffitendum est pristinum vetitum ampliari hac S. Congregationis responsione, quae propter causarum similitudinem data esse videtur. Causas tamen omnino pares praedicare nolimus. Quantum enim differt ratio vivendi monialium, quae, uni monasterio addictae, stricta continebantur clausura, a genere vitae plerarumque sororum, quae ad varia caritatis opera exercenda etiam extra conservatoria excurrunt et saepe domum mutant.

Praeterea, si consequenter respondere voluerimus, etiam in alumnos Congregationem virorum transferre debebimus legem latam pro Regularibus, ita ut ne illi quidem, contra ac saepissime fit, institui iam possent Confessarii Ordinarii in Conservatoriis.

---

## 94. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (9 sept. 1905)

### *RESPONSUM DE TITULARI ECCLESIAE IN DISPERSIONE*

### Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia

Ferme omnes Ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae et Conventus religiosis vacant. In manus sic dicti *Liquidatoris* transierunt Ecclesiae et Conventus; nihilominus in locis ubi erant Conventus remanserunt religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

*Clausa cum sint ecclesiae et conventus.*

**Petitur** *an festo et commemoratione celebrandus sit Titularis ecclesiae.*

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: « Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur officium titularis Ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplicis primae classis cum octava, et in suffragiis Sanctorum commemorationem praefati titularis peragere? »

**Respons.** *negative.*

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Negative; sed unice tenentur ad officium et Suffragium de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel Indulto Apostolico habeantur: uti in Decreto nº 3210 *Ordinis Minorum* 3 iulii 1869.

*Dies (9 sept. 1905;*

Atque ita rescripsit. Die 9 septembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotationes

1. Responsio ista usum generalem habere potest apud ceteros Regulares, cum evidens sit causarum identitas.

2. Dum positive inculcat obligationem celebrandi Titularem Provinciae patronum, rubricam memorat quae peculiaris est Ordinis Minorum, ut in ipso Responso dicitur 3 iul. 1869.

---

## 95. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (10 nov. 1905)

### *RESPONSA DE PRAECEDENTIA TERTIORUM ORDINUM IN PROCESSIONIBUS*

### Urgellen.

*Orator.*

Rmus Dnus Episcopus Urgellensis sacrarum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; nimirum:

*Memoratis decretis de praecedentia tertiariorum,*

Iuxta decretum S. R. C. 28 maii 1886, n. 3664, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque alias laicas sodalitates.

Praeterea ex decreto S. C. Ep. et Reg, 6 aprilis 1900, Emi Patres declarandum esse censuerunt: Tertiarios S. Francisci necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habere ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria cruce ac veste uniformi induti vulgo *sacco* ».

*Et usu Hispaniae,*

Iam vero in Hispania generatim nec Tertiarii nec alii confratres induuntur *sacco*, sed tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., juxta cuiusque tertii Ordinis aut sodalitatis diversa statuta aut praxim.

**Quaerit,** *Quid omissus « saccus » mutet in iuribus praecedentiae.*

His praemissis, idem Rmus Episcopus expostulavit:

I. An cum nec Tertii Ordines nec confraternitates aut sodalitates *sacco* utantur, ius praecedentiae competat Tertiariis super quascumque sodalitates laicas?

II. An etiam tunc ius praecedentiae competat confraternitati

SS. Sacramenti super alias sodalitates in Processionibus in quibus defertur SSma Eucharistia, non autem super Tertios Ordines?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa rescribendum censuit: **Responsum.**

Ad I. *Affirmative* in casu; sed Tertiarii uniuscuiusque Ordinis et confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integram, vulgo *saccum*, in Processionibus ex antiquo et laudabili Ecclesiae more velint assumere.

Ad II. *Affirmative;* reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis.

Atque ita rescripsit, die 10 novembris 1905. *Dies (10 nov. 1905.)*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

# BIBLIOGRAPHIA

N. B. *Quamvis de nullo opere censuram facere nobis sit propositum, eorum tamen quae ad nos pervenerunt magis completam damus indicationem. His porro signis varios designamus libellos periodicos, ubi de operibus allatis facta est censura.*

A. = ARCHIV FUR KATH. KIRCHENRECHT (Moguntiae T. LXXXV).
A. B. = ANALECTA BOLLANDIANA (Bruxellis. t. XXIV.)
B. T. = BULLETIN DE LITTÉRATURE ECCLÉSIASTIQUE, (1905, Tolosae).
M. = MONITORE ECCLESIASTICO (Romae).
R. C. = REVUE DU CLERGÉ FRANÇAIS, t. XLIV.

## Argumenti generalioris

**Carlier A.** *De l'incapacité de recevoir des Congrégations religieuses et de leurs membres.* 1 in-8, 181 p. Paris, Rousseau, 1904. (A. 392.)

**P. Moccheggiani,** O. F. M. *Iurisprudentia ecclesiastica ad usum et commoditatem utriusque cleri.* T. I, in-8, 770 p. (7,50 fr.). Ad Claras Aquas (Quaracchi) ex. typ. Coll. S. Bonaventurae, vel Romae, apud Desclée, 1904. (A. 186; M. XVI, 232.) T. II, in-8, 824 p. (7,50 fr.) Ibidem. (M. XVII, 427.)

## Historica

**H. Delehaye,** S. J. *Les légendes hagiographiques.* Bruxelles, Polleunis et Ceuterick, 1905. 1, in-16 de 264 p. Chapitre premier. Notions. — Chapitre deuxième. Le travail de la légende. — Chapitre troisième. Le travail des hagiographes. — Chapitre quatrième. Classification des textes hagiographiques. — Chapitre cinquième. Le dossier d'un saint. — Chapitre sixième. Réminiscences et survivances païennes. — Chapitre septième. De quelques hérésies en matière d'hagiographie.

**Prutz,** H. *Die exemte Stellung des Hospitaliter Ordens.* 1 in-8, 94 p. (1, 20 Mark) München. Königl. Akademie, 1904. (A. 184.)

**Prutz,** *Die Autonomie des Templer Ordens.* 1 in-8, 48 p. (1 M.) Ibidem, 1905. (A. 806.)

**Ubald,** *Les opuscules de S. François d'Assise,* Paris, Poussielgue, 1905. (R. T. 1905, p. 261.)

**Edmond Schmidt,** O. S. B. *War der heilige Benedik priester ?* in ZISTERZENSER ORDEN XXV, 42-02. (A. B. t. XXIV, 152.)

**René de Voyer d'Argenson,** *Annales de la compagnie du St Sacrement,* Paris, Oudin, 1900. (A. B. 164.)

**Raoul Allier,** *La Cabale des dévots,* 1627-1666. Paris, 1902.

**John Joseph Dums,** *Irish Monks on the continent,* in THE CATHOLIC UNIVERSITY BULLETIN X, 307-28. (A. B, 164.)

(Anon.) **The Benedictines of Stanbrook.** *Saint Egwin and his abbey of Eveshan.* London Burns, 1904. (A. B, 298.)

**Herebert Holzapfel,** O. F. M. *St Dominicus und der Rosenkranz.* München, Leutner, 1903. (A. B, 298.)

**J. W. Van Heeswijck,** *De H. Dominicus en de Rosenkrans,* in DIETSCHE WARANDE EN BELFORT, 1903. (A. B, 305.)

**Placido M. Lugano,** *Origine e primordi dell' Ordine di Montoliveto,* abbatia Septimnianensis prope Florentiam, 1903. (A. B, 309.)

**B. Feliciangeli,** *Sulla monacazione di Sueva Montefeltro-Sforza, signora di Pesaro* (1903). (A. B, 311.)

**Stephan Schiwietz,** *Das Morgenländische Mönchtum,* Mayence, Kircheim, 1904. (A. B, 381.)

**D. Cuthbert Butler,** *The Lausiac History of Paladius.* Cambridge, 1904. (A. B, 382.)

**Wallis Budge,** *Lady Meux* ms n° 6. *The Book of Paradise, being the Histories and Sayings of the Monk and Ascetics of the Egyptian Desert.* London, 1904. (A. B, 382.)

**G. Graf,** *Die arabische Vita des hl. Abramias* in BYZANTINISCHE ZEITSCHRIFT, XIV p. 508-18. (A. B, 514.)

**G. Grützmacher,** *Peter « the venerable » of Cluny.* A sketch from mediaeval church history, in THE EXPOSITORY TIMES, XV. p. 536-39. (A. B, 520.)

**Jean Rigauld,** *The Life of S<sup>t</sup> Antony of Padua.* London, catholic Truth Soc. 1904. (A. B, 307.)

**Leon de Herval,** *S<sup>ti</sup> Antonii de Padua Vitae duae.* Paris, Fischbacher 1904. (A. B, 307.)

**Montgomery Carmichael,** *The origin of the Rule of Saint Francis,* in THE DUBLIN REVIEW. 1904 p. 357-83. (A. B, 409.)

**Can. Pen. Giuseppe Celidomo,** *Della Regola dei Frati Minori.* Sulmona, Colaprete 1903. (A. B, 409.)

**Paul Sabatier,** *Regula antiqua fratrum et sororum de Paenitentia.* Paris, 1902. (A. B, 415.)

**W. Goetz,** *Die Regel des Tertiarierordens,* in ZEITSCHRIFT FUR KIRCHENGESCHICHTE, XXIII 97-107. (A. B, 415.)

**Pierre Mandonnet,** O. P. *Les Règles et le gouvernement de l'Ordre de Paenitentia* au XIII<sup>e</sup> s. Paris Fischbacher. (A. B, 415.)

**Kar Müller,** *Zur Geschichte des Bussbruderordens,* in ZEITSCHRIFT FUR KIRCHENGESCHICHTE, XXIII. p. 496-524. (A. B, 415.)

**W. Goetz,** *Die ursprünglichen Ideale des hl. Franz von Assisi ;* in HISTORISCHE VIERTELJAHRSCHRIFT, VI. p. 9-50. (A. B, 521.)

**W. Goetz,** *Die quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi,* Gotha, Perthes, 1904. (A. B, 521.)

**H. Tilemann,** *Speculum perfectionis und Legenda trium sociorum. Ein beitrag zur Quellenkritik der Geschichte des hl. Franz von Assisi.* Leipzig, Eger, 1901. (A. B, 525.)

**Ernst Knoth,** *Ubertino von Casale. Ein Beitrag zur Geschichte der Franziskaner an der Wende des 13 und 14 Jahrhundert,* Marburg, Uwert, 1903. (A. B, 527.)

**Joh Chrysostomus Huck,** *Ubertin von Casale und dessen Ideenkreis.* Freiburg, Herder 1902. (A. B, 527.)

## De Institutis votorum simplicium

**P. Bastien,** O. S. B. *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples, d'après les plus récents documents du Saint-Siège, avec des Appendices concernant les Filles de la Charité, les Religieuses à vœux simples appartenant aux grands Ordres, etc.* 1 vol. in-8, XVIII-442 p. Abbaye de Maredsous in Belgio (A. LVIII, 393 ; M. XVII, 329).

**Première Partie,** *De la vie religieuse et de ses obligations.* L. 1. Fondation, approbation, suppression des Cong. à vœux simples. L. 2. Entrée et noviciat. L. 3. Profession et obligations qui en découlent.
**Deuxième Partie,** *Du gouvernement extérieur des Instituts à vœux simples.* L. 1. Autorité du St-Siège. L. 2. Autorité des Evêques.
**Troisième Partie,** *Du gouvernement intérieur des Instituts à vœux simples.* L. 1. Des Supérieurs en général. L. 2. De l'exercice de l'autorité. Appendices. Hic de S. Eucharistiae usu.

## De Missionibus

**P. Michel,** (Des Pères blancs). Questions pratiques sur le mariage dans les missions, 1 in-8, 283 p. (1,50 fr.) Alger, Maison carrée, 1905 (R. C.)

## Ex Libellis Periodicis

**Analecta Bollandiana,** XXIV. Alb. Poncelet. Les Saints de Micy. p. 5-104. Peeters. Historia S. Abramii ex apographo arabico, p. 349-357.
**Analecta Ecclesiastica,** XIII, Statistica generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, die 1 ianuarii 1905, p. 411. — De regalibus decretis (1901) in Lusitania adversus familias Regularium p. 425.
**Bulletin des Congrégations,** (novembre 1905). J. Burnichon, (Études). L'enseignement et la vie religieuse : cas de conscience et solution pontificale. — L'episcopat et la vente des biens religieux. — La laïcisation de l'Hôtel-Dieu et de l'hôpital Saint-Louis. — Expulsion d'enfants. — Poursuites correctionnelles. — Liquidation. — Nécrologe mensuel. — *Jurisprudence.*
(Décembre 1905). Les liquidateurs et le trésor public : Question de M. Groussau, à la Chambre des députés, 15 novembre 1905. — M. Rabier et les Oblats de Marie Immaculée. — Poursuites correctionnelles. — Jurisprudence. — A. de Mun (La Croix) *Consummatum est.* — Poursuites correctionnelles. — Capacité juridique des établissements congréganistes dans les colonies et les pays de capitulations. — Les liquidateurs et le trésor public : Question de M. Groussau, à la Chambre des députés, 15 novembre (suite et fin.) — Liquidations. — Jurisprudence.
**Canoniste contemporain,** (novembre-décembre), A. Boudinhon. Les Congrégations à vœux simples. — F. Nau. Canons eccl. syriaques.
**Monitore Ecclesiastico,** XVII. Circa l'interpretazione dell' art. 9 del decreto *Ut debita,* delle messe (Benignior interpretatio quam quae a pluribus data est periodicis libellis), p. 320.
**Le Recrutement sacerdotal,** (décembre 1905) Hugon, Le sacerdoce et l'état religieux dans l'économie de l'Église.
**Revue des Questions historiques,** (octobre 1905). A. du Bourg, Vie monastique dans l'abbaye de St-Germain des Prés aux différentes périodes de son histoire.
**Revue des sciences ecclésiastiques,** (Décembre 1905). Comment, au saint tribunal et à l'article de la mort, traiter ceux qui ont acheté les biens de communautés.
**Revue du Clergé français,** (novembre 1905) J. Guibert. La valeur sociale de la vie contemplative.
**Revue théologique française,** X, J. G. D. Jurisprudence relative aux Congrégations religieuses, p. 632.

# 96. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *INDULTUM 13 MARTII 1905*

### De divino officio Monialium Conceptionistarum

Abbatissae Monasteriorum Monialium Conceptionistarum nuncupatarum in parochiis Iamedensi et Bastionensi, Dioecesis Namurcensis, sub iurisdictione Ordinarii constitutorum, Rmo D. Episcopo Namurcensi approbante, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutae, humillime exponunt et postulant ut sequitur : *Oratrices,*

In praefatarum Monialium Regula, a Iulio Pp. II, anno 1511 approbata, circa recitationem Divini Officii in choro sic praescribitur, nempe : « Sorores, quae recipiuntur ad chorum, teneantur dicere Divinum Officium, quoad sollemnes festivitates in quibus non laboratur et octavas earum, et Dominicas primo ponendas et necessario recitandas, secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Octava Seraphici S. Patris Francisci celebretur et nulla alia Ordinis eiusdem. Omnibus autem festis simplicibus et Dominicis non primo ponendis, dicent Officium Conceptionis cum commemoratione Dominicae secundum formam Breviarii ad hoc illis deputati ». *Proposita regula,*

Porro, ut ea quae dubia erant et incerta declararentur, prodiit, die 8 iulii anni 1893, a S. Congregatione Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Rescriptum, quo vigore specialium facultatum a SS. Dno Nostro concessarum, de modo ordinandi Officium in choro statuebatur : 1o Ut cotidie per annum legatur Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V., exceptis scilicet : prima dominica Adventus ; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. I. C. ; Vigilia, Festo et octava Epiphaniae Domini ; Feria IV Cinerum ; prima Dominica Quadragesimae ; Dominica Passionis ; Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive ; Festo et octava Ascensionis Domini ; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SSmae Trinitatis ; Festo et octava SS. Corporis Domini ; Festo Sacratissimi Cordis Iesu ; Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum eius octava ; Festo Ss. Apost. Petri et Pauli cum octava ; Festo et octava Assumptionis B. M. V. ; Festo et octava Omnium Sanctorum ; Dedicatione omnium Ecclesiarum cum eius octava ; Festo S. Ioseph patroni Belgici regni ; Festo S. Albani Martyris Patroni civitatis et dioecesis Namurcensis ; Festo S. Symphoriani Mart. Patroni Iamedensis parochiae ; Festo S. Patris Seraphici Francisci cum eius octava ; ceteris quibuslibet festis primae vel secundae classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis ; quibus omnibus diebus et festis idem Officium recitatur quod Fratres Minores recitant. *Et rescripto 8 iul. 1893,*

2o Ut illud Officium assumatur, quod a SS. D. N. Pio Pp. IX anno 1863 praescriptum fuit.

3o Ut sub eodem ritu celebretur, quo Officium huius diei apud Fratres Minores, cum commemorationibus de iure.

Animadvertendum est, praedictum Rescriptum, expresse iuxta vigentem in Monasterio usum, postulatum fuisse, ac porro secun-

## 97. — S. RITUUM CONGR. (11 aug. 1905)

### *INDULTA DE MISSA IMM. CONCEPT.*

### Monialium Conceptionistarum

*Oratrices*

*Exposito rescripti tenore de Officio div.*

Abbatissae Monasteriorum Monialium vulgo Conceptionistarum in regnis Hispaniae et Belgii exsistentium, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuerunt : Moniales Conceptionistae cotidie per annum legunt Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V. a sa. me. Pio Papa IX anno 1863 approbatum, exceptis quibusdam diebus, in quibus Officium diei recitant secundum Breviarium Romanum ad usum Fratrum Minorum. Officium vero Immaculatae Conceptionis, diebus indultis, sub eodem ritu persolvunt quo apud Fratres Minores Festum seu Officium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semiduplici, non omissa commemoratione diei currentis aliisque de iure faciendis iuxta Rubricas. Haec omnia enucleate et distincte patent ex Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium d. d. 13 martii vertentis annis 1905.

Attamen quoad Missae de Immaculata Conceptione Officio respondentis celebrationem et relativa postulata, Sacra eadem Congregatio rescribi mandavit « recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum ». Hinc Abbatissae Oratrices ab hac Sacra Congregatione suppliciter expostularunt ut declarare et concedere dignaretur :

**Postulant.**

*De ritu missae.*

I. Ut Missa Immaculatae Conceptionis, Officio conformis, dicatur cum *Gloria* et *Credo*; et in Secreta dicatur : « Quam in commemoratione Immaculatae Conceptionis. »

*De missa 14 aug. et 7 dec.*

II. Ut die 14 augusti et die 7 decembris, si iuxta indultum fiat Officium de Immaculata, Missa tamen legatur de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus.

**Rescripta.**

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis postulatis ita respondere censuit :

*Ad I.*

Ad I. Quoad primam partem, Affirmative pro gratia, verum quoad Symboli additionem, dummodo Officium sub ritu saltem duplici celebretur ; quoad secundam partem, Affirmative.

*Ad II.*

Ad II. Negative, die 14 augusti, in qua Officium et Missa de Vigilia Assumptionis, loco Officii et Missae de Immaculata Conceptione Deiparae peragatur, iisdem iuribus, at sub ritu feriali : Affirmative, die 7 decembris, sed Missa Vigiliae sub ritu feriali et colore violaceo celebretur.

*Dies (11 aug. 1905.)*

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit, die 11 augusti 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

## 98. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESCRIPTUM 5 MAII 1905*

### De funere apud regulares

*Pisaurensis. Funerum.*

I. Utrum PP. Capuccini Pisaurenses associare possint ad coemeterium commune cum stola et Cruce propria, et absque interventu parochi defuncti, cadavera fidelium quae in ipsorum ecclesiis allata fuere? **Quaeritur.** *An et quomodo PP. Capuccini possint associare ad coemeterium cadavera.*

II. Possuntne praedicti Religiosi associare ad coemeterium cadavera exposita in ipsorum ecclesia, si casu, a parentibus vel a civili auctoritate, determinaretur via quae non esset in *recto tramite.*

III. Cum pro Patribus Capuccinis Pisaurensibus iter in *recto tramite* quod ad coemeterium ducit, sit via ita angusta ut in longo tractu duo currus coram obviantibus nequeant transire nisi alteruter retro incedat, possuntne dicti Patres funus associantes, transire per aliam viam paulo commodiorem, absque interventu Parochi?

IV. Estne contrarium clausulae *sine pompa*, si aliqui socii defuncti, qui in praedicta ecclesia allatus est, illum associent ad coemeterium, ita ut prohibeatur PP. Capuccinis ne illum associent absque interventu Parochi?

Tandem, potestne Superior PP. Capuccinorum Pisauri prohibere ne parochus defuncti, expositi in ecclesia religiosorum, deferat stolam in exsequiis et intonet responsorium *Libera me Domine?*

Porro Eminentissimi Patres, re mature perpensa, rescripserunt:

Ad I. *Affirmative.* **Responsa.**

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Attentis expositis, negative in casu.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Attenta immemorabili consuetudine in civitate Pisaurensi, negative in casu.*

---

## 99. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQ. (13 sept. 1905)

### *RESPONSA DE INDULGENTIIS*

### Patavina

Ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectae in Ecclesia Eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata: *Orator.*

I. An qui nomen dedit pluribus Confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi indulgentias, quas Stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates quibus est adscriptus? **Dubia** *de indulgentiis Stationum,*

*In festo Sancti.* II. Quando conceditur plenaria indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicuius Ordinis vel dioeceseos, haec indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur Ecclesiae eiusdem Ordinis vel Dioeceseos?

*Pro visitandis Ecclesiis.* III. Cum diversi Ordines, ex gr., Benedictini, Franciscales, etc., pro uno vel altero festo gaudeant plenaria indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias Ecclesias, huiusmodi indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas Ecclesias eorundem Ordinum, praesertim si haec indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus.

*Pro visitanda ecclesia parochiali.* IV. Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur visitatio Ecclesiae parochialis, haec debetne esse Ecclesia parochialis propria illius qui vult indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

V. An sub nomine Ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii vel etiam quasi-domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris?

**Responsa.** Et Emi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita, die 31 augusti 1905, respondendum mandarunt :

*Ad I.* *Ad Ium*, *Negative*, iuxta Decretum « Delatae saepius », diei 7 martii 1678.

*Ad II.* *Ad IIum*, *Affirmative*, id est acquiri potest indulgentia una vice tantum sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis seu Dioeceseos.

*Ad III.* *Ad IIIum* Provisum in praecedenti.

*Ad IV.* *Ad IVum* *Affirmative* quoad 1am partem; *Negative* quoad 2am.

*Ad V.* *Ad Vum* *Negative* quoad 1am partem; *Affirmative* quoad 2am et 3am.

*Approbatio SSmi.* De quibus facta relatione SSmo Dno Nro Pio Pp. X, in audientia habita die 13 septembris 1905. ab infrascripto Card. Praefecto S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, SSmus Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

*Dies (13 sept. 1905).* Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. C., die 13 septembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

## 100. — Emi CARD. VICARII URBIS

### *STATUTUM* [1] *31 OCT. 1905*

### Normam praescribens pro examinibus Contionatorum Urbis [2]

*Examinum dies et horae.* Art. [3] I. Gli esami, per ottenere la facoltà di predicare, avranno luogo nel palazzo della Nostra Residenza ogni giovedì dal novembre

[1] Acta S. Sedis, t. 38, p. 415, 416.
[2] Cfr. Ordinationem 10 aug. 1905, supra, p. 37.
[3] Haec ita latine reddimus.
Art. I. Examina ad obtinendam contionandi facultatem locum habebunt in Palatio Residentiae Nostrae singulis feriis V, a mense novembri

a tutto giugno, nelle ore della mattina dalle 9 alle 12 e nel pomeriggio due ore prima dell' *Ave Maria*.

Art. II. L'esame consterà di tre parti, cioè: 1. nozioni fondamentali di Sacra Eloquenza, secondo il sommario che si pubblica qui unito; 2. cultura generale teologica così dommatica come morale, parimenti secondo il sommario che si aggiunge; 3. esercitazione pratica, che potrà consistere: a) in una spiegazione catechistica sopra un brano del Catechismo *ad parochos*, b) in una omelia sopra un brano del Santo Vangelo, c) in un discorso sopra un tema religioso o morale. *Materia.*

Art. III. Dall' esame sulla seconda parte del programma sono dispensati quelli che hanno conseguito la laurea in S. Teologia. *Dispensatio partialis.*

Art. IV. Per ottenere poi la dispensa da tutto l'esame, si presentino alla Segreteria del Vicariato quei titoli che ciascuno crede sufficienti e dei quali Noi ci riserviamo giudicare. *Plena.*

Roma, dalla Nostra Residenza 31 ottobre 1905. *Dies (31 oct. 1905).*

PIETRO Card. Vicario

L. † S. *Francesco Can. Faberi, Segretario.*

*Sommario per l'esame di cultura generale teologica*

La Fede e le prove della sua credibilità, preteso dissidio tra la ragione e la fede. — Possibilità dei miracoli. — L'ateismo nella legislazione civile e nella scuola. — Necessità del culto esterno. — Ispirazione divina delle Sacre Scritture e loro uso. — Tradizione divina; valore e uso dell' autorità dei Padri e dei Dottori. — Unità della persona e distinzione delle nature in Gesù Cristo, ed efficacia della Redenzione. — Natura, eccellenza e necessità della

---

ad exeuntem mensem iunium, mane ab h. 9 ad 12; et post meridiem, duabus horis antequam pulsetur ad *Ave Maria*.

Art. II. Tribus partibus constabit examen, id est: 1. notionibus fundamentalibus eloquentiae sacrae secundum Summarium quod hic appositum vulgatur; 2. generali eruditione theologica, tam dogmatica quam morali, pariter secundum hic appositum Summarium; 3. exercitatione practica quae consistere poterit a) in catechetica explicatione cuiuspiam loci Catechismi *ad parochos*; b) in homilia in locum Sancti Evangelii; c) in contione argumenti religiosi vel moralis.

Art. III. A secunda parte examinis dispensantur qui S, Theologiae lauream sunt adepti.

Art. IV. Porro ut plena examinis obtineatur dispensatio, Secretariae Vicariatus exhibeantur tituli qui putentur sufficientes, quorum iudicium nobis reservamus.

Romae, ex Nostra Residentia, 31 oct. 1905.

PETRUS Card. Vicarius

*Franciscus, Can. Faberi, Secretarius.*

*Summarium ad examen generalis eruditionis theologicae*

Fides et argumenta eius credibilitatis; praetexta discordia fidem inter et rationem. — Miracula fieri posse. — Atheismus legum et scholarum. — Externi cultus necessitas. — Sacrarum Scripturarum inspiratio et usus. — Traditio divina; valor et usus auctoritatis Patrum et Doctorum. — Unitas personae et distinctio naturarum in Iesu-Christo, et efficacia Redemptionis. — Natura, excellentia et necessitas gratiae. — Divina

grazia. — Istituzione divina dei Sacramenti. — La transustanziazione. — La Santa Messa è vero Sacrificio salutare per i vivi e per i morti. — La confessione auricolare è necessaria per il perdono dei peccati commessi dopo il Battesimo ed è stata sempre in uso nella Chiesa. — Le indulgenze. — Essenza e specie diverse del peccato e condizioni richieste a peccare mortalmente. — Occasioni del peccato e obbligo di fugirle. — Obblighi di giustizia e obblighi di carità verso il prossimo. — Diritto di proprietà. — La restituzione dell'onore e della roba. — In che consiste l'essenza del Matrimonio fra cristiani. — La Chiesa cattolica Romana è la sola vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo. — Primato di universale giurisdizione ed infallibilità dottrinale. — Diritto del Papa di dirigere il pensiero e l'azione dei cattolici nelle questioni sociali. — Libertà di coscienza. — Libertà di stampa. — Tolleranza civile e religiosa. — Diritto di associazione. — I precetti della Chiesa. — Le censure. — Preghiera e culto dei Santi. — Il Purgatorio. — L'inferno e l'eternità delle pene.

*Sommario per l'esame di nozioni fondamentali di S. Eloquenza*

Natura propria, fine, mezzi, fonti dell' eloquenza sacra e come differisca dalla profana. — Qualità richieste nel predicatore per le leggi divine ed ecclesiastiche, la sublimità del ministero, il frutto delle anime. — Differenti specie di predicazione e modi proprii di ciascuna. — Difetti principali da evitarsi nella scelta dei temi, nel modo di esporli, nella forma del dire, nella recitazione, nel contegno del predicatore. — Se e come possano trattarsi questioni politiche dal sacro oratore. — Quali questioni scientifiche o scolastiche possano trovar luogo in un discorso sacro. — Quali caratteri devono presentare i fatti che si vogliono narrare al popolo.

---

Sacramentorum institutio. — Transsubstantiatio. — Sacra Missa verum est Sacrificium salutare pro vivis et defunctis. — Confessio auricularis est necessaria ad remissionem peccatorum commissorum post baptismum, semperque viguit in Ecclesia. — Indulgentiae. — Essentia et variae species peccatorum et condiciones necessariae pro mortali culpa. — Occasiones peccati, obligatio eas fugiendi. — Ius proprietatis. — Restitutio honoris et damni in bonis. — Quaenam sit essentia Matrimonii inter christianos. — Ecclesia catholica Romana sola est vera Ecclesia a Christo fundata. — Primatus iurisdictionis universalis et infallibilitas doctrinalis. — Ius Papae dirigendi mentem et actionem catholicorum in quaestionibus socialibus. — Libertas conscientiae. — Libertas preli. — Tolerantia civilis et religiosa. — Ius associationis. — Praecepta Ecclesiae. — Censurae. — Oratio et cultus Sanctorum. — Purgatorium. — Infernus et poenae aeternae.

*Summarium ad examen de notionibus fundamentalibus eloquentiae sacrae*

Natura propria, finis, media, fontes eloquentiae sacrae et quomodo differat ab eloquentia profana. — Qualitates contionatori necessariae perspectis divinis et ecclesiasticis legibus, ministerii sublimitate, fructu animarum. — Variae species praedicationum et proprii cuiusvis speciei modi. — Defectus praecipui vitandi in selectione argumenti, in modo quo exponitur, in forma orationis, in recitatione, in habitu contionatoris. — Possuntne et qua ratione tractari quaestiones politicae a contionatore sacro. — Quibusnam quaestionibus scientificis vel scholasticis locus esse possit in oratione sacra. — Quasnam notas habere debent facta quae quis populo narrare velit.

## 101. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA 15 NOV. 1905*

### De sonitu campanarum apud Regulares

*Beatissime Pater,*

Episcopus Sanctae Fidei in Republica Argentina humiliter ac reverenter exponit quod, attentis querelis sive privatim sive publice sive etiam per ephemerides excitatis ex abusu circa campanarum sonitum, necnon iure meritoque metuens auctoritatis civilis aut municipalis interventum, quem opera sui Vicarii Generalis semel vitare potuit, decretum edere statuit, vi cuius, campanarum sono diebus Dominicis festivis aliisque anni temporibus haud prohibito, earundem campanarum usus tantummodo moderatur et limitatur. Cum vero Fratres Praedicatores, qui in hac Sanctae Fidei civitate Conventum habent, contra praefatum episcopale decretum opponant privilegium ipsis a S. Pio V Constitutione *Etsi Mendicantium* diei 16 maii 1567 concessum, atque a resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 11 martii 1892 confirmatum, duo sequentia dubia resolvenda proponit: *Occasio petendi* *Et motivum.*

I. Utrum, attentis gravibus adiunctis supra relatis, dicti Fratres Praedicatores obtemperare teneantur dispositionibus in citato episcopali decreto contentis? Et quatenus negative: **Dubia.**

II. Quomodo se gerere debeat Ordinarius ad interventum civilis vel municipalis auctoritatis vitandum?

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Firmo remanente Fratrum Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando iis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii V *Etsi Mendicantium*, Episcopus potest, propter specialia loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare. **Responsum.**

Romae, 15 novembris 1905. *Dies (15 nov. 1905).*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

---

## 102. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *INDULTUM 18 NOVEMBRIS 1905*

### Aggregatio Congregationum Tertii Ordinis ad primum et secundum Ordinem Capuccinorum

Infrascriptus Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis prostratus, humiliter exponit, quod *Orator,*

*Ad I.* Ad I. *Affirmative.*

*Ad II.* Ad II. *Negative* iuxta decretum n. 4003, *Carcassonen.*, quaest. 1, ad II et III.

*Dies (1 dec. 1905).* Atque ita rescripsit. Die 1 decembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

## 105. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSA 4 DEC. 1905*

### De professione votorum simplicium apud moniales

*Orator,* P. Silvestro [1] Scaramucci dell'Ordine dei Fratri Minori, Confessore ordinario delle Monache Clarisse Cappuccine di S. Flora, Diocesi di Città di Pieve, premesso il bacio del S. Piede, espone umilmente alla S. V. la seguente prassi che egli ha trovata nel detto Monastero relativamente alle professioni delle Novizie:

*Proposito usu Monialium,* Dopo l'anno del Noviziato, le Novizie hanno sempre fatto fino ad oggi ancora un anno del così detto « Giovanato » prima di fare voti di qualunque sorta; al termine del quale emettevano i voti semplici temporanei per tre anni. Terminato poi il triennio di questi voti semplici temporanei, erano ammesse alla Professione solenne. Tale prassi è stata continuata anche dopo il Decreto della S. Congregazione dei VV. e RR. del 3 maggio 1902, in virtù del quale, prima della Professione solenne, le Monache devono fare i voti semplici *ad triennium*, i quali, per parte della vovente, non sono più temporanei, ma perpetui. Per la qual cosa, nel lodato Monastero, anche al presente, si trovano alcune giovani con voti semplici fatti non a norma del mentovato Decreto Apostolico, cioè perpetui per parte della vovente, ma secondo l'antica consuetudine del Monastero, cioè temporanei.

---

[1] Latine sic vertimus monumentum.

P. Silvester Scaramucci Ordinis FF. Minorum, ordinarius Confessarius Monialium Clarissarum Capuccinarum a S. Flora, in dioecesi civitatis..., praemisso osculo S. Pedis, S. V. humiliter exponit sequentem usum quem in praedicto monasterio ipse invenit quod ad Noviciarum professionem.

Completo noviciatus anno, Noviciae semper adhuc annum peregerunt sic dicti « Iuvenatus » antequam cuiuslibet rationis vota facerent; elapso anno isto, ad tres annos faciebant vota temporaria. Absoluto deinde istorum votorum *triennalium* spatio, ad sollemnem Professionem admittebantur. Usum istum retinuerunt Moniales etiam post Decretum S. Congr. Ep. et Reg. 3 maii 1902 (Cfr. De Religiosis II, p. 359) ex quo ante sollemnem professionem Moniales iubentur simplicia *ad triennium nuncupare* vota, quae ex parte voventis non sunt temporaria sed perpetua. Ita fit ut in laudato monasterio etiam nunc sint puellae quae vota fecerunt simplicia, non ad normam praedicti Decreti Apostolici, seu ex parte voventis perpetua, sed temporaria secundum antiquam Monasterii consuetudinem.

Ora, tali giovani essendo prossime a terminare il triennio dei voti semplici temporanei e dovendosi ammettere alla Professione solenne, a tranquillità sua e a rimuovere qualsiasi equivoco, supplica la S. V. per la soluzione dei seguenti dubbi. *Et facto praesenti, Quaerit*

I. Può tollerarsi l'anno del così detto « Giovanato » dopo quello del Noviziato; oppure, appena terminato il Noviziato, se nulla osta, devonsi ammettere le Novizie alla Professione dei voti semplici secondo il tenore del Decreto Apostolico del 3 maggio 1902? *De anno iunioratus,*

II. Quelle giovani che al presente hanno voti semplici temporanei, secondo l'antica consuetudine, prima di fare la Professione solenne, è necessario che facciano i voti semplici a norma ed in esecuzione del citato Decreto Apostolico, oppure è sufficiente il triennio dei voti temporanei fatti secondo l'antica consuetudine? *De puellis quae in eo sunt ut sollemnem emittant professionem,*

III. Nel caso negativo alla seconda parte del secondo dubbio, e che cioè il triennio dei voti semplici temporanei non fosse sufficiente, l'Oratore implora la dispensa del citato Decreto del 3 maggio 1902, con la facoltà di ammettere le mentovate giovani alla Professione solenne col solo triennio dei voti semplici temporanei, rimanendo troppo gravosa la ripetizione di un altro triennio di voti semplici, nonchè una benigna sanatoria, qualora occorra, per quelle giovani che, dalla data del più volte citato decreto fino ad oggi, hanno fatta la Professione solenne, non osservata la forma e il tenore del Decreto medesimo, essendo ciò avvenuto in buona fede. *De sanctione factorum praeteritorum.*

Che della grazia, ecc.

Vigore specialium facultatum a SS$^{mo}$ Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E$^{morum}$ et R$^{morum}$ S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praepositis dubiis respondendum censuit prout respondet: Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam; ad II. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam; ad III. provisum in secundo. **Responsa**

Romae, 4 decembris 1905. *Dies (4 dec. 1905).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

---

Age porro, cum puellae istae in eo sint ut triennium compleant votorum simplicium temporariorum, ita ut ad sollemnem admittendae sint professionem, orator, pro pace sua et ad omnem ambiguitatem tollendam supplex rogat S. V. solutionem sequentium dubiorum.

I. Potestne, absoluto Noviciatus anno, tolerari annus sic dicti « Iunioratus », an, vix cum perficitur noviciatus, debent, nisi aliquid obstiterit, Noviciae ad simplicem admitti Professionem, secundum praescripta Decreti Apostolici 3 maii 1902?

II. Puellae quae nunc temporariis votis, secundum antiquam consuetudinem, tenentur, debentne priusquam sollemnem faciant professionem, simplicia nuncupare vota ad normam citati Decreti Apostolici, cui sic obtemperaretur, an sufficiat ipsis triennalia secundum antiquam consuetudinem fecisse vota?

III. Et quatenus negative respondeatur ad alteram alterius dubii partem, ita ut triennalia vota non sufficiant, Orator petit dispensationem Decreti 3 maii 1902, una cum facultate admittendi praedictas puellas ad sollemnem Professionem, completo solo triennio votorum simplicium. Siquidem nimis molestum ipsis foret alterum votorum simplicium facere triennium. Petit etiam, quatenus opus sit, benignam sanationem in gratiam earum puellarum quae post saepius laudatum decretum ad hunc diem sollemnem fecerunt professionem contra formam ac tenorem eiusdem decreti: ipsis enim bona fides suffragatur.

Et Deus, etc.

ANNOTATIONES

I. Norunt omnes quam parum soleant Romanae Congregationes consuetudini favere quae scriptae legi, recenti potissimum, adversetur, adeo ut ex propositis dubiis non raro usum huiusmodi tollendi sumant occasionem.

II. In causa tamen praesenti nulla allegari poterat contraria consuetudo: haec enim respicit legem, non futuram, sed latam, contra quam praescribat; porro de nuperrima agitur lege, quae usu receptam disciplinam votorum directe immutavit.

Quare, si quid novo iuri contrarium retinere cupiebat, hoc unum supererat praedicto monasterio faciendum, ut privilegio apostolico exceptionis gratiam impetraret.

Quare S. Congregatio negavit servari posse iunioratum, cum decreto *Perpensis* conceptis verbis caveatur, esse completo noviciatu statim vota facienda.

Nihilominus, si alter peteretur probationis annus, hunc negatum iri non arbitramur.

III. Triennalem tamen votorum temporariorum probationem pro legitima habuit S. Congregatio. Cuius rei causa haec esse videtur, quod Decretum *Perpensis*, dum triennium praescribebat votorum simplicium perpetuorum, non exclusit, immo admisit usum maioris cautelae. Maior autem cautela temporariis quam perpetuis votis obtinetur.

---

# 106. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

## *DECRETUM 18 DEC. 1905*

### De unica missione Insularum Carolinarum

*Petitur ut loco duarum Missionum unica erigatur.*

Decreto S. huius Congregationis Fidei Propagandae praepositae, die 15 maii anni 1886 dato, Leo f. r. PP. XIII, duas Missiones instituit in Insulis Carolinis, unam nempe Carolinarum Orientalium, Occidentalium alteram, easque Minoribus Capulatis Hispanis excolendas commisit. Cum nuper autem praelaudati Ordinis Minister Generalis ab hoc S. Concilio petierit ut in illis insulis quae hodie germanicae dominationi subsunt, loco duarum Missionum, unica erigeretur Praefectura Apostolica, quae Provinciae Westfaliensis eiusdem Ordinis curis traderetur, Eminentissimi huius Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus die 4 vertentis mensis decembris habitis, hoc negotium pertractandum suscepere. Re itaque mature perpensa, iidem Eminentissimi Patres ad maius rei catholicae incrementum in illis insulis procurandum decreverunt ut loco duarum Missionum illic exsistentium, Insularum nempe Carolinarum Orientalium atque Carolinarum Occidentalium unica constitueretur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata, atque Provinciae Westfaliensis Ordinis Minorum Capulatorum curis excolenda committeretur.

*Conceditur.*

Hanc autem Eminentissimorum Patrum sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio divina providentia PP. X relatam in Audientia insequentis diei ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua benigne approbavit ratamque habuit, et praesens ea de re Decretum edi praecepit. *Approbat Sua Sanctitas.*

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propag. Fide, die 18 decembris an. 1905. *Dies (18 dec. 1905).*

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praef.*

*Aloisius Veccia, Secret.*

---

# 107. — SS. D. N. PII PAPAE X

## *LITTERAE 20 DEC. 1905 AD ABBATES UNIVERSI ORD. S. BENEDICTI*

### De promovendo apostolatu apud Brasiliae gentes

*Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem*

Dilectus Filius Gerardus van Caloen quam alacri constantique studio iam diu contendat, ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus bona conciliet, vobis satis superque esse notum pro certo habemus. *Memoratis studiis G. van Caloen.* Ut tamen ea omnia, quae idem dilectus Filius divino iuvante numine implenda sibi proposuit, reapse impleantur, unum deest, ut numerus videlicet operariorum augeatur, qui in messe Domini portent pondus diei et aestus. *Observat Pontifex desiderari operarios.* Quare, caritate Christi permoti et et salvandarum animarum desiderio, enixe vos exhortamur immo et obsecramus, ut si quos in monasterio quisque vestro reperiatis, qui praedictum Dilectum Filium Gerardum in Brasiliae oras sequi velint, eique in vinea Domini adlaborare, eos ne prohibeatis, immo hortatione vestra stimuletis et corde magno et animo volenti derelictarum gentium necessitatibus concedatis. *Hinc hortatur Abbates ut facile sinant suos monachos ultro fieri eius socios et cooperatores.* Hoc autem confidite, potentem esse Deum abundare facere in vobis, ut monasteria vestra nihil inde capiant detrimenti, sed, contra, numero et virtute floreant. *Ne inde timeant suis monasteriis.* Paternae Nostrae dilectionis testem ac munerum divinorum auspicem, Apostolicam Benedictionem vobis et subiectis cuique monachis amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 20 decembris 1905, Pontificatus Nostri tertio. *Dies (20 dec. 1905).*

Pius PP. X.

---

# 108. — S. RITUUM CONGR. (22 dec. 1905)

### Responsum de absolutione Tertiariorum

Frater Pirminius Hasenoehrl, sacerdos Ordinis Fratrum Minorum, sollemniter professus in Regulari Provincia Sancti Leopoldi et Director Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit : *Orator.*

**Dubium.** Utrum Director Tertii Ordinis vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia plenaria, sic dictam absolutionem generalem impertitur, uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei?

**Responsum.** Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Utatur stola coloris violacei.*

*Dies (22 dec. 1905).* Atque ita rescripsit, die 22 decembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

## 109. — S. CONGR. CONCILII

### *DECRETUM 22 DEC. 1905*

### De Seminariorum alumnis

*Tridentini vetitum.* Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, sess. 14, de reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis oboedientiam impendendo, in inferiore ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

*Alumnos quoque dimissos respicit.* Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus, sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

*Hi saepe haud recte ordinationem assequuntur,* At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. *Vexantque Ordinarios.* Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utiliiate minime assumpti sunt, ubi immo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a propria dimissus. *Legem contra hoc malum S. Sedem Episcopi rogarunt.*

Sed cum particularis haec conventio non plene undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius Pp. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit: *Sua itaque Sanctitas statuit:*

1°. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat. *De alumnis dimissis,*

2°. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum condicio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id iis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur. *De admissis bona fide,*

3°. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint. *De Religionem ingredientibus,*

4°. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in iis esse quod sacerdotali statui minus conveniat. *De dimissis ex religioso Instituto.*

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die XX m. iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23 de reform.* *Quinam ordinari non possint.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat. *Urgetur observatio.*

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 m. decembris 1905. *Dies (22 dec. 1905).*

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*
*Caietanus De Lai, Secretarius.*

# 110. — SS. D. N. PII PAPAE X SEU S. CONGREGATIONIS CONCILII

## *DECRETUM 20 DECEMBRIS 1905*

## De cotidiana SS. Eucharistiae sumptione

*Memoratur votum Tridentinum*

I. **Sacra Tridentina Synodus,** perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (Sess. XXII, cap. VI), ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo caelesti convivio cotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

*Congruaque Christi Domini voluntas.*

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis : *Hic est panis de caelo descendens*; *non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt : qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intellegi poterat, quemadmodum pane corpus cotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei cotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse cotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum cotidianum*, per id SS. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum cotidie sumendum intellegi debere.

*Quo spectent ista vota.*

II. Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles cotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae cotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda : non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August. Serm. LVII in Matth. *De Orat. Dom.*, v. 7). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (Sess. XIII, cap. II).

*Exemplum priorum Christi fidelium.*

III. 1. Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intellegentes, cotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (Act., II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

*Obortae disputationes de dispositionibus undenam originem duxerint et*

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, *disputari coeptum est de dispositionibus*, quibus ad frequentem et cotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam cotidie sumerent,

et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*. *quosnam habuerint effectus.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem cotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam fera VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant. *Error contrarius.*

2. Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI approbante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit. *Acta S. Sedis.*

3. Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus condicionibus, cotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint. *Reliquiae iansenianae quid effecerint.*

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad cotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex cotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua. *Melior quorundam opinandi ratio.*

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dno Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam cotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam cotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit. *Contentiones. Decreti opportunitas.* *Quaestio a SSo proposita S. Congr. Concilii.*

IV. Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit: *Sacri Ordinis deliberatio et statuta.*

*Omnibus pateat communio cotidiana.*

1° Communio frequens et cotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut condicionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit;

*Quid recta mens requisita.*

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei artius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere;

*Quaenam puritas requisita.*

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et cotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito fieri non potest quin cotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant;

*Diligens commendatur praeparatio et actio gratiarum.*

4° Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, condicionem ac officia;

*Pars Confessarii et officium.*

5° Ut frequens et cotidiana Communio maiori prudentia fiat uberioreque merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu cotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat;

*Multo studio commendanda cotidiana communio, secundum doctrinam Catech. Romani.*

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu cotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et contionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II, c. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur;

*Quid in religiosis domibus, in seminariis et christianis ephebeis sit faciendum.*

7° Communio frequens et cotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis;

*Vis regularum religiosarum.*

8° Si quae sint Instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel cotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere iisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. *Lectio annua decreti.* Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi;

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et cotidianam Communionem abstineant.

*Finis imponitur contentiosis disputationibus.*

Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. PIUM Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. dec. 1095, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de exsecutione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

*Confirmatio SSmi. Mittatur decretum ad Ordinarios et Praelatos regulares qui decretum divulgent et de eius exsecutione reddant rationem.*

Datum Romae, die 20 decembris 1905.

*Dies (20 dec. 1905).*

† VINCENTIUS Card., Episc. Praenestinus, *Praefectus.*
*C. De Lai, Secretarius.*

ANNOTATIO

Pro decreti istius momento, visum est explicationem reservare *Quaesitis variis*, hic infra.

---

## 111. — S. C. INDULGENTIARUM

### *DECRETUM URBIS ET ORBIS 14 FEBRUARII 1906*

### Qui Communione cotidiana utuntur, indulgentias lucrari possunt absque obligatione confessionis hebdomadariae

Sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communionem cotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro Pp. XIII f. r., per decretum huius Sacri Ordinis, sub die 9 decembris 1763, « omnibus christifidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Paenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se, post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, indulsit ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto peragantur ». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque

*Cotidie communicantes*

*Indulto Clementis XIII,*

*De actuali Confessione non praemittenda,*

*Frui possunt ad lucrandas indulgentias,* mente cotidie Sancta de Altari litare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII Indulto frui posse concedit, absque hedomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria exstaret. *Futuris quoque temporibus.* Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (14 febr. 1906.)* Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 februarii 1906.

A. Card. Tripepi, *Praefectus.*

† *D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

### Annotatio

Decretum istud hoc modo interpretamur: 1) Etiam qui non solent nisi quinquies vel sexies infra hebdomadam communicare, privilegio isto fruuntur quo, exceptis indulgentiis in forma iubilaei, nulla iam condicio confessionis requiritur ad lucrandas indulgentias etiam plenarias. 2) *Semel aut iterum* itaque, etiam habitualiter, poterit omitti communio in hebdomada.

Possuntne verba ista accipi etiam de habituali omissione trium communionum per hebdomadam. Fatemur id ambigi posse. Hinc urget istud: favores sunt ampliandi; illinc vero *semel aut iterum* proprie dualem tantum indicat numerum. Praeterea, si ter omittas, vix maior est numerus dierum quibus communicatur quam quibus abstinetur. Potestne ista communio late sumi pro cotidiana? Atqui gratia conceditur pro cotidiana communione.

---

## 112. — S. RITUUM CONGR. (19 Ian. 1906)

### *DE ORATIONIBUS IN MISSA, COMMUNIONE ET PROCESSIONE*

### Fratrum Minorum Apuliae

*Orator.* Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Reverendissimi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

**Dubia.** *De collectis.* I. — An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septennarium numerum excedunt, omitti debeant?

*De missa conventuali.* II. — An Missa Conventualis, quae sine cantu celebratur in Ecclesiis Regularium, debeat aequiperari Missae sollemni, sive quoad omittendam Commemorationem Simplicis et reticendas Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas Orationes post Missam iniunctas: idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. — An Sacerdos sacris vestibus Sacrificii indutus, possit administrare Sacram Communionem, data rationabili causa, ante vel post Missam sollemnem aut cantatam aut etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam? *De communione in missa sollemni.*

IV. — An in processione, quae die prima Augusti sub Vesperis fit per Ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, Sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione Indulgentiae Plenariae: et quae, silente Caerimoniali Ordinis, in eadem processione preces recitandae sint? *De processione.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: **Responsa.**

Ad I. *Affirmative.* *Ad I.*

Ad II. Servetur Decretum num. 3697 *Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Francisci*, 7 decembris 1888 ad VII; et alterum num. 2740 *Tridentina*, 12 martii 1836 ad VII. *Ad II.*

Ad III. *Negative.* *Ad III.*

Ad IV. Nihil obstat in casu quominus Reliquia Sancti Francisci in hac processione gestetur, recitando vel cantando aliquem hymnum in honorem eiusdem Sancti: tabula autem Indulgentiae Plenariae non deferatur in processione, sed affigatur, si placeat, ante portam Ecclesiae. *Ad IV.*

Atque ita rescripsit die 19 ianuarii 1906. *Dies (19 ian. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. S. R. C. Secret.*

---

# 113. — S. RITUUM CONGR. (22 ian. 1906)

## *DE USU KALENDARII, MISSALIS ET MARTYROLOGII ORDINIS CAPUCCINORUM*

### Tertiariorum ordinis Minorum Capuccinorum

*Beatissime Pater,*

Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri Generalis eiusdem Ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat pro gratia ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI. (Const. « Religiosos Ordines » diei 6 septembris 1785) Ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 8 augusti 1835 (*Decret. authen. S. R. C.* n. 2735 ad VI), et 15 aprilis 1904 editarum, non solum Moniales Capuccinae secundi et tertii Ordinis Regularis, quae iam vigore privilegii Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 ianuarii 1688 (*Decret. authen.* n. 1790 ad II), hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus Tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui sint Instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum Ordine *Supplicatur ut ad normam antiqui privilegii Moniales Capuccinae et Tertiarii Ordini Minorum aggregati*

Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 augusti 1903 et Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 18 novembris 1905, eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum Officium cotidie recitent, sed Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolvant in suis Ecclesiis et Oratoriis, uti valeant Kalendario, Missali ac Martyrologio ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint Sacerdotes, Ecclesiae sive simplici sive Parochiali canonice mancipati, in festis Patroni Principalis tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus Missam applicare debent pro populo, teneantur in Officio et Missa sequi Kalendarium Dioecesis prouti Fratres primi Ordinis, ac deinde recurrente iuxta Kalendarium primi Ordinis aliquo Officio, secundum Ordinem Dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere.

*Uti valeant Kalendario, Missali et Martyrologio Capuccinorum, certis condicionibus.*

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne precibus annuit : exceptis tamen Tertiariis Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus, qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Conceditur cum restrictione personarum.*

Die 22 ianuarii 1906.

*Dies (22 ian 1906).*

A. Card. Tripepi, *S. C. R. Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. S. C. R. Secret.*

---

## 114. — S. RITUUM CONGR. (26 Ian. 1906)

### *EXTENSIO PRIVILEGII*

### De translatione festorum in Ordine S. Benedicti

*Orator*

Revmus D. Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplex rogavit, ut Indultum Appstolicum diei 24 februarii 1905 Congregationi eiusdem Ordinis Casinensi a primaeva observantia concessum, quo festa duplicia primae vel secundae classis quotiens a digniore Officio impedita occurrerint, in diem primam respective sequentem transferri valeant, redacto ad ritum simplicem Officio ritus duplicis minoris (non tamen alicuius Sancti Doctoris) aut semiduplicis occurrente, benigne extendere dignaretur ad omnia Coenobia seu Monasteria sui Ordinis, quae eodem indulto iusta de causa uti voluerint.

*Petit indulti de festis duplicibus extensionem.*

Sacra porro Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, petitam enuntiati privilegii extensionem benigne indulsit iuxta preces, servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Conceditur.*

Die 26 ianuarii 1906.

*Dies (26 ian. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

## 115. — S. RITUUM CONGR. (14 febr. 1906)

### *DECRETUM SEU DECLARATIO*

### De cantu liturgico gregoriano

A nonnullis Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, diei XI augusti MCMV, [1] circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat : *Quaestio Editorum.*

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex iis quae eandem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eandemque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes exstent et coaequales. Ideoque signa quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent. *Declarationes. De forma notularum.*

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tamquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet ; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. *De ipsa editione.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 februarii 1906. *Dies (14 febr. 1906).*

A. Card. Tripepi, *S. R. C. Pro-Praef.*

*Diomedes Panici, Archiep. Laod., S. R. C. Secretarius.*

---

## 116. — S. CONGR. CONCILII

### *RESOLUTIONES 17 FEBR. 1906*

### *Romana et aliarum.* Dubium de alienatione

Quaesitum nuper fuit « 1° Se [2] per le alienazioni dei valori al « portatore spettanti ad enti ecclesiastici, od a case pie soggette « alla tutela della Chiesa, sia necessario il beneplacito apostolico, « come per le alienazioni dei beni immobili e delle cose preziose. **Dubia** *de alienatione titulorum.*

---

[1] Cfr. *Period.* vol. I, p. 174.

[2] Id est, latine : « 1° Ad alienandos « titulos » sine nomine, qui ad collegia ecclesiastica spectant vel ad domos pias sub ecclesiastica tutela constitutas, estne opus ut beneplacitum obtineatur apostolicum, quod ad alienanda bona immobilia et mobilia pretiosa requiritur ? 2° Eademne

*De titulis commutandis.* « 2° Se egual facoltà si richiede per la permuta dei medesimi in « altri titoli o valori, anche immobili. 3° Se i venditori e gli acqui- « renti siano soggetti alle pene ecclesiastiche sancite dal Tridentino « al *capo 11, sess. XXII de reform.* e dalla *Extrav. Ambitiosae* e « dalla Costit. *Apostolicae Sedis* ».

*De poenis.*

**Responsa.** Responsum fuit: *Ad 1um. Affirmative. Ad 2um. Affirmative excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad 3um. Affirmative quoad poenas in* Extravag. Ambitiosae... *et Constit.* Apostol. Sedis... *statutas.*

## Annotationes

I. Tituli isti, seu nomina certa hodierna seu credita quae, suppresso creditoris nomine facile ipsa traditione dominum mutant, spectari possunt ut mobilia pretiosa. Et si mere hanc feceris considerationem, omni ambiguitate carebit solutio. Clarissima enim lex vetat quominus mobilia pretiosa alienentur sine beneplacito apostolico. Atque ita ratiocinatus est Secretarius S. Congregationis in summaria sua relatione.

Verum enimvero, dissimulandum non est, hodie, titulos istos ita plerumque possideri, ut frequentissime locus sit permutationi vel conversioni in alios titulos vel bona. Hinc ambigi poterat utrum necne tituli isti a locis piis ita possiderentur, ut administratoribus liceret in venditione et commutatione se ad modernos usus accommodare. Ita, ni fallimur, ferebat usus sat generalis.

Aliter tamen visum est S. Congregationi, et vel ideo fortasse, quia ex eius mente, pecuniae ecclesiasticae non in quibuslibet titulis collocari possunt sed in iis qui certum et non labilem habeant valorem, quales sunt saepe tituli Status (rentes sur l'État).

II. In secundo responso casus excipitur in quo *urgens necessitas* tempus non linquat recurrendi ad S. Sedem.

Urgens ista neccessitas tunc certo aderit, cum sine detrimento retineri nequeant commutandi valores. Quid autem si mere agatur certum lucrum ex permutatione conquirendum?

Ne in dispendium vertatur quod propter utilitatem est introductum, censemus etiam tunc eidem exceptioni esse locum. Nec obici potest lucrum istud ad negotiationem pertinere quae et ipsa sit clericis prohibita. Etenim, ubi finis emptionis non fuit venditio, sed mere arripitur occasio lucri ex mutato valore qui, in his rebus, frequentior aderit, ne species quidem negotiationis habetur.

III. *Ordinarius*, si causa urgeat, cuius tunc beneplacitum requiritur, nobis videtur esse Praelatus qui in re auctoritatem habeat quasi episcopalem; ergo etiam Praelatus regularis, ubi de titulis agitur qui ad religiosas domos pertinent. Quamvis enim, ad alienandas terrulas (seu exigua bona immobilia) debeant regulares, nisi

---

requiritur licentia cum agitur de commutandis titulis istis in alios titulos vel valores etiam immobiles? 3° Qui vendunt vel emunt suntne obnoxii poenis ecclesiasticis sancitis a Concilio Tridentino, c. II, s. XXII de reform. et Extrav. Ambitiosae, et a C. Apostolicae Sedis?

speciali fruantur privilegio, ad Episcopum recurrere, hic occurrit casus in quo, ob urgentem necessitatem, ipsa lege beneplaciti videris immunis ; et S. Congregatio mere declarat modum quo exceptio ista est prudenter facienda. « Non est tunc, ut ait Wernz, (III, n. 154) insistendum litterae legis. » Praeterea nomine Ordinariorum, possumus his intellegere Praelatos qui ordinariam habent iurisdictionem.

IV. Denique, ipsa declarationis vis nobis videtur apte temperanda et circumscribenda istis titulis in quibus re vera facta est « capitalis » ecclesiastici collocatio.

Et re quidem vera, ut hodie sunt mores, prudens et sollers administrator iam solet in paucos menses pecunias collocare, quarum tamen liberam habet dispositionem. Si, itaque, tituli mere huiusmodi pecunias repraesentant, aeque bene poterunt alienari et permutari sicut ipsae pecuniae. Nec aliter respondendum nobis videtur si quis pecunias quaerens alicui aedificationi, interea, donec perficiatur summa, pecunias istiusmodi fructuose collocaverit. Cum opportunitas aedificationi habebitur, licebit ipsi titulos istos vendere et in bonum immobile commutare. Perinde dixeris de variis casibus huiusmodi.

V. Observes, dum quaerebatur de poenis etiam Tridentinis et Extrav. *Ambitiosae*, a S. Congregatione esse Tridentini concilii mentionem omissam. Sapienter quidem : poenae enim capitis Tridentini non respiciunt bonorum alienationem sed iniustam occupationem, qualis fit ab intruso beneficiario.

---

## 117. — SS. D. N. PII DIV. PROV. PP. X

### *MOTUS PROPRIUS 19 MARTII 1903*

### De Religiosis ante collationem Ordinum examinandis

PIUS PP. X

*Ut Religiosi ordines etiam doctrinae laude floreant,*

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum sollemnium, tum « votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines « non admittantur, nisi, praeter alia a Iure statuta, testimoniales « litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae « operam dederint, si agatur de subdiaconatu ; ad minus per

*Quae praescripsit Leo XIII,*

« biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per « triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curri- « culo ». Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII, Cap. VII, *de Reform.*, haec habet generatim: « Episcoporum ordinandorum omnium mores et « doctrinam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine dili- « genti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque « quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, cum die XVI mensis iulii (1) Motu proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.

*Iusseratque Tridentina Synodus de examine ad Sacros Ordines,*

*Revocavit Sua Sanctitas,*

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae dicioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum sollemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Iamque extendit.*

*Religiosi omnes, ante Ordinationem, doctrinae periculum faciant.*

*Tollitur omne privilegium et consuetudo contraria.*

*Modum examinis definient Episcopi.*

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX martii anno millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

*Dies (19 mart. 1906).*

Pius PP. X.

---

1 Cfr. supra, n. 84, pag. 30.

# SUPPLEMENTA

## QUAESITA VARIA

Quaeres de vi ac significatione nuperrimi Decreti de cotidiana communione.

I. Nemo enim est, quin persentiat quam grave sit monumentum, quo S. Pontifex cogitat primaevam de SS. Eucharistiae usu persuasionem et ipsam, gradatim, consuetudinem restituere, iansenianum virus penitius ex Ecclesiae corpore expellere, diutinis disputationibus finem imponere, atque apud regulares novam de accessu ad sacram mensam inducere disciplinam.

II. Imprimis iuvabit praesentem legem cum superioribus decretis et theologorum placitis conferre, quo magis sub oculis ponatur a quibus quasi initiis ad praesentia statuta sit perventum.

A. Decreta.

1. De cotidiano vel frequenti accessu occurrit nobis votum Concilii Tridentini, optantis ut quod in primis Ecclesiae temporibus sollemne erat et quasi praeceptum, a fidelibus sponte sua instauraretur ; id est, ut fideles assistentiam Missae cum sacramentali consumptione coniungerent. His enim verbis, sessione XXII, cap. 6, decretum quo missas probat in quibus solus communicat sacerdos, facit initium : « Optaret quidem sacrosancta synodus ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret : nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. »

Antea autem, de praeparatione adhibenda, s. Synodus ita loquitur, s. XIII, c. 7. « Si non decet ad sacras illas

functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe quo magis sanctitas et divinitas caelestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. »

Pia porro sequitur adhortatio in capite sequenti, octavo, his verbis: « Paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini Nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere iis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miserae penegrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. »

Denique, c. 10, s. XXV De Regularibus et Monialibus, iniungitur ut Moniales saltem singulis mensibus communicent.

2. Catechismus Romanus, postquam gravissimis verbis diligentem inculcavit praeparationem et puritatem, qua immunes saltem sint fideles ab odio et quolibet mortali reatu, de frequentia usus negat generalem omnibus statui posse regulam. Verum magnopere excitat parochos ut et adhibita comparatione cibi corporalis, et propositis Eucharistiae fructibus, et memorata mannae figura, et allata SS. Patrum auctoritate, fideles ad digne, etiam cotidie, panem istum sumendum multo studio

adhortentur. Hic est locus, cui alludit Decretum *Sancta Tridentina Synodus* : « Sed ne forte aliqui segniores ad hoc sacramentum percipiendum reddantur, quod tantam praeparationem adhibere grave admodum et difficile ducant, fideles saepe admonendi sunt, omnibus eam legem propositam esse, ut sacram Eucharistiam percipiant. Praeterea, constitutum est ab Ecclesia, ut qui semel saltem singulis annis in Pascha non communicaverit, ab Ecclesia arceatur.

« Neque tamen fideles hoc satis habeant, se, huius decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere : verum saepius iterandam Eucharistiae communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest. Verum tamen ista est S. Augustini norma certissima : Sic vive, ut cotidie possis sumere. Quare parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut quem ad modum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam cotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiciant : neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda, quod singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat : itemque SS. Patrum auctoritates, quae frequentem huius sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius S. Patris Augustini ea fuit sententia : « Cotidie peccas, cotidie sume ; » sed si quis diligenter attenderit, eundem omnium Patrum qui de hac re scripserunt sensum fuisse, facile comperiet. (2ª pars, De Eucharistiae sacramento, n. 62 & 63.)

3. Succedit celebre decretum Innocentii XI, *Cum ad aures*, cui plures excessus dederunt occasionem. Exscriptum reperitur in nostro tomo 2 De Religiosis, p. 605, ed. 2. Decreto isto, ait Lehmkuhl (t. 2, n. 156), cavetur ne propter solum statum laicalem, coniugalem, etc. aliquis a frequenti communione arceatur, sed iudicium de frequenti vel etiam cotidiano accessu ad sacram alimoniam confessariorum prudenti iudicio esse relinquendum, qui secreta cordis explorantes ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem progressu id,

quod prospiciat singulorum saluti, praescribere debeant.»

4. De ipsa Religiosorum disciplina ut sermo etiam fiat, diu, in hac parte, est ampla Superioribus relicta potestas, ita ut ad ordinariam eorum provinciam pertinere visum sit accessum ad sacram mensam subditis vel permittere vel prohibere, quamvis et ipsi laici fuerint vel muliebris sexus.

Verum, sensim sine sensu, iam ab ipso decreto *Cum ad aures*, anni 1679, quo iudicium committitur Confessario qui secreta cordis explorat, inducta est disciplina vi cuius ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium exclusive pertinet singulis concedere communionem frequentius quam fert regula vel usus.

Ita iam, apud Lacroix, l. 6, p. 1, n. 656, in nota habetur responsum 3 febr. 1725, in Ianuensi. «Dubitatum fuit an et de cuius licentia (Confessarii ordinarii an Directoris) S. Eucharistiam recipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a Constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales communicent. Porro 14 aprilis eiusdem anni respondit S. Congregatio (l. 3, p. 151) de licentia Confessarii Ordinarii et non Directoris, praevia participatione Praelati Ordinarii. »

Recentius, anno 1888, 14 aug. in Burdigalensi haec legimus: « Ex parte Officialis istius curiae ecclesiasticae expositum nuper fuit, quod in omnibus fere familiis religiosis praescribuntur in statutis certi dies quibus omnes ad sacram Communionem accedere debent; et quod multi Communionem catalogum ita intellegunt, quasi nulli sit licitum saepius communicare etiam de consilio Confessarii, nisi accedat quoque formalis consensus superioris vel superiorissae. — Quibus expositis, quaesitum proponit quaenam sit mens Ecclesiae quando approbat haec statuta circa communionem in familiis religiosis, an haberi debeant ut prohibitiva ne plures fiant communiones; vel praeceptiva, ut omnes conentur ita vivere ut mereantur ad sacram communionem accedere saltem in illis diebus.

Itaque S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus perpensis respondit:

Negative ad primam partem, at facultatem frequentius ad S. Synaxim accedendi relinquendam esse privative iudicio confessarii, excluso consensu superioris vel superiorissae.

Affirmative ad secundam partem, quotiens rationabilis causa non obstet. (4 augusti 1888.)

Porro disciplina decreti *Quemadmodum* 17 dec. 1890 his paucis verbis comprehendi potest :

a) Ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium exclusive pertinet singulis concedere communionem frequentius quam fert regula vel usus.

b) De generali tamen licentia debent subditi semel monere Superiorem qui possit, si velit, contrarias suas rationes confessario proponere. Superior iste est per se localis. Si quid tamen obstet, videtur satis esse si moneatur mediatus Superior.

c) Omne vetitum ne religiosi frequentius accedant quam regula iubentur, est sublatum. Immo nec privata prohibitione possunt Superiores alicui e subditis interdicere sacra communione, nisi « post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem (lato sensu) externam culpam patraverit, donec ad Paenitentiae sacramentum rursus accesserit. »

Age vero decreto isto *Quemadmodum* reguntur omnia Instituta mulierum et Congregationes virorum qui professione et condicione penitus sunt laici.

De numero autem communionem communitatibus praestituendo, videtur ad mentem S. Sedis quadrare si, praeter dominicalem, duae intra hebdomadam Constitutionibus praescribantur faciendae, citra tamen omnem legis obligationem. Ita ex variis animadversionibus S. Congregationis in Constitutiones.

Ex brevi isto conspectu satis apparet, disciplinam de communionibus sicut de pluribus aliis punctis variasse. Ubique tamen, et tale est istud ut admirationem nostram moveat, laudibus afficitur usus communionis cotidianae. Ita iam apud Innocentium XI, in decreto *Cum ad aures*.

B. Placita theologorum.

Tamquam communem doctrinam hanc refert Lacroix : (l. 6, p. 1, n. 652.) « Quamvis unicuique expediat cotidiana communio, si adsit status gratiae, actualis devotio et debita reverentia, tamen, quia difficile est ut omnes, praesertim saeculares, ita cotidie habeant, hinc cotidiana communio absolute loquendo non expedit omnibus indifferenter, sed hoc relinquendum est iudicio prudentis Confessarii. »

Hinc, pro varia indole, alii potius inclinarunt ad coti-

dianam communionem, alii potius ad usum minus frequentem. Cfr. Lacroix, l. 6, p. 1, n. 654.

Doctrinam S. Alphonsi, non quidem ex theologia sua morali sed ex variis eius scriptis depromptam, ita, anno 1865, omnibus sodalibus Instituti SS. Redemptoris proponebat et sequendam praescribebat Rev^mus p. Generalis, Nicolaus Mauron, [1]: Distinctione prius facta communionis hebdomadariae, quae passim permittitur, his pergit scribere verbis : « Quod ad *communionem frequentem* attinet seu quae pluries in hebdomada fit, haec, iuxta doctrinam S. Alphonsi, triplicem dispositionem exigit : a) fuga cuiusvis peccati venialis plene deliberati et immunitatem ab omni affectu ad peccatum veniale quodcumque ; — b) studium perfectionis et recipiendae communionis desiderium sincerum, ad augendam flammam divini amoris ; — c) exercitium orationis mentalis et sensuum passionumque assiduam mortificationem.

« Tandem ad *communionem cotidianam* S. Fundator noster exposcit ut anima suas cupiditates maxima ex parte domitas habeat, ut exercitio orationis mentalis et mortificationibus multam operam impendat et quendam gradum perfectionis maiorem minoremve attigerit. Tum vero etiam ad unam in hebdomada diem excipiendam hortatur directores. »

Similes satis regulas a R. P. Lehmkuhl [2] expositas laudavit ipsa S. C. de propaganda fide. Sic enim respondit ad Vic. Apostol. Madagascar, qui de regulis P. Lehmkuhl S. Congregationem interrogaverat, anno 1892, 25 maii, « Cum schema hoc maturius examinatum fuerit... Dignum quod in substantialibus approbetur inventum est : minime tamen ut lex absoluta et taxativa, sed veluti norma confessariis tradenda. »

Porro, hisce verbis suam effert sententiam laudatus P. Lehmkuhl : « Communio frequens non cotidiana, sc. praeter dies dominicos (et festos) una alterave vice in hebdomada, requiri talem dispositionem, ut peccata venialia deliberata *consueverint non accidere* (igitur peccatum quodlibet deliberatum non debet esse aliquid quod ordinarie fiat), et ut insuper conatus adhibeatur ad exstirpandos pravos affectus cum desiderio proficiendi in

---

[1] Ex opere R. P. Godts, *L'apôtre moderne du T. S. Sacrement*, 1906, p. 94.
[2] *Theol. mor.* t. 2, n. 156, 157.

virtutibus. Aliis verbis dici potest : serius progressus in via quam vocant purgativam, cum conatu in via illuminativa progrediendi.

« Communio cotidiana requirit non solum conatum serium pugnandi contra pravos affectus, sed exstirpationem pravorum affectuum, ex magna parte revera factam, et insuper conatum omnino serium incumbendi in christianam perfectionem et imitationem Christi omnimodam idque maxime Christi pauperis, abiecti, patientis ; paucis, serium progressum et fervens desiderium proficiendi in dies magis in via illuminativa et unitiva. »

Mens autem qua regulae huiusmodi proponebantur, haec erat. Hinc quidem existimabant irreverentiam, saltem venialem, committi ab eo qui, multis culpis venialibus non expiatis, immo quibus affectu inhaereat maculatus, frequenter sumat Christum, omnis puritatis fontem ; illinc vero maiorem ipsius sumentis considerabant utilitatem ; « si quidem accessus cum tepore minus iuvat quam rarior accessus, qui, utpote rarior, fiat cum maiore fervore et reverentia » (Lehmkuhl, t. 2, n. 157). Fructus enim ex opere quidem operato enascitur, verum ad dispositionem subiecti attemperatus. Quare pro suo quisque ingenio et gentili indole, alii alliis maiorem suadebat moderationem. In qua disputatione, perspici potuerunt etiam vestigia istius « rigorismi » qui haeresi iansenianae in pluribus partibus superfuit, et de quo S. Pontifex : « Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte et legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit ; quo factum est ut nonnulli, etiam boni nominis theologi, raro et positis compluribus condicionibus, cotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint. »

Restat nunc ut brevi sermone ipsius decreti tenorem aliquantisper illustremus.

III. Decreti declaratio.

1. De ipsa introductione, quatenus praeteritam historiam adumbrat, nihil est nobis disserendum : a nostro proposito est hoc argumenti genus alienum. Satis erit monere, vim decreti et pontificii oraculi ex veritate istarum considerationum minime pendere. Etiamsi

quaedam videantur deinceps fortasse temperanda vel corrigenda, sua tamen stat mole Pontificium decretum.

2. Obiectum autem dirimendum clarissime proponitur. Mandat S. Pontifex ut diluatur quaestio de dispositionibus ad SS. Eucharistiam recipiendam requisitis, et simul disciplinares statuantur regulae quae isti declarationi sint congruae.

Hinc quasi duas partes secernere licet in decreto : moralem alteram, alteram disciplinarem.

3. De parte morali. Ex documentis pontificiis haec haurimus :

a) Iam a primo initio principium ponit severioribus opinionibus contrarium, dum n. II gravibus verbis inculcat illud, quod, non excepto omnium augustissimo, « Sacramenta sunt propter homines. » Magis quam honor Domini, est, in sumptione Eucharistiae, robur quaerendum et medicina. Nec tam merces est et praemium quam « antidotum quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. » (Trident. s. XIII, c. 2.)

b) Quaestio de dispositionibus requisitis ad cotidie communicandum inopportuna apparet tam ex origine, quae esse dicitur imminutio pietatis et ianseniana lues, quam ex effectu elongationis a sacra mensa. (III, 1, 3.)

Simul tamen indirecte solvitur quaestio, dum probantur placita eorum qui docebant, « nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad cotidianam quam ad hebdomadariam aut menstruam communionem. » (III, 3.)

c) Confirmatur reprobatio iam ante facta erroris prorsus contrarii, asserentium divinum praeceptum de sumenda cotidie Eucharistia, etiam feria VI, in Parasceve. (III, 1.)

d) Declaratur recta mens, ad usum eucharisticum necessaria. Summa est, ut finis supernaturalis inducat ad communicandum.

Duo simul fines humani ac naturales traduntur ut ab his caveatur : *usus*, id est respectus quidam humanus quo ideo movearis ad sacram dapem sumendam, quia alii id faciunt, quia ita fert domus consuetudo; *vanitas*, qua laus quaeritur, fama devotionis, pietatis. A priore defectu, seu servitute imitationis, praesertim cavendum est in conservatoriis et domibus ubi instituuntur adulescentulae et puellae.

Verum, dum fines isti sunt amovendi, sedulo secernenda est tentatio et scrupulus a vero vanitatis vel humani respectus motu. Saepe etiam erit prudenti directori inspiciendum quid in intentione praevaleat : facile enim cum intentione substantialiter pura miscetur aliquid humanum. In qua re, hoc videtur sufficere, ut aliquis serio existimare possit, omisso etiam motivo minus bono, nihilo minus ipsi potius esse ut communicet.

e) Ea sufficere declaratur puritas, qua quis immunis sit a mortalibus.

f) Commendatur sedula praeparatio et congrua gratiarum actio. Attendi tamen potest ad sumentium *vires* : quare minus ab aegroto quam a sano erit postulandum ; ad *condicionem* : plus a sacerdote quam a laico, ab homine exculto quam a rudi praestandum est ; denique ad ipsa *officia*, quae aliis maius quam aliis relinquant otium. In qua re retinenda videtur haec norma, ut, nisi extraordinarium obstet impedimentum, non minus quam per quadrantem horae fiat actio gratiarum sub forma orationis mentalis vel vocalis.

g) Ad moralem decreti partem referri etiam potest monitum ut adeatur Confessarius. Sed quia id simul spectat ad disciplinarem partem, in hac punctum istud examinabimus.

4. De parte disciplinari.

Pars ista clarissimis constat statutis.

a) Tollitur omnis sanctio iuris positivi, sive generalis fuerit lex saltem alicuius communitatis, sive peculiare praeceptum, quo liber non maneret accessus ad sacram Eucharistiam, etiam cotidie sumendam. (IV. 1.)

b) Parochi, Confessarii et contionatores debent, secundum probatam Catechismi Romani doctrinam (cfr. supra) « christianum populum ad hunc tam pium et tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortari. »

c) Communio frequens et cotidiana promovenda est praesertim in religiosis Institutis, in clericorum seminariis, in aliis omne genus ephebeis. (IV, 7.)

Verba « cuiusvis generis » ad designanda Instituta, ideo posita nobis videntur, ne regula videretur contemplativis reservata.

Quo spectat autem confirmatio decreti *Quemadmodum ?* Eo potissimum, ni fallimur, ut in Institutis mulierum et laicorum Superiores provinciam istam non

usurpent etiam ad frequentiores obtinendas subditorum communiones, verum omnem directionem Confessariis relinquant.

Sed in eodem decreto iubentur subditi superiorem monere de generali licentia facta communicandi saepius quam ferat regula, dum, ut videbimus, nihil huiusmodi praestituitur in Ordinibus et Institutis clericorum. Quid iuris igitur? Num certior fieri debebit Superior laicus, non autem clericus? Ut nobis videtur, post decretum de quo disserimus, pars ista decreti *Quemadmodum*, parum urgenda est, et, potius neglegenda. Non enim videtur menti Ecclesiae consentaneum, ut, in hac re, aliquid tribuamus laico quod negatur sacerdoti.

Denique, dum ordine enumerantur religiosa Instituta, dein seminaria, denique christiana ephebea, quasi gradus indicatur quo studia ista sunt commendanda, observata Instituti natura, et non praetermissis communis prudentiae regulis.

d) De regulis, vel Constitutionibus, vel calendariis, quae certum praescribere videntur communionum numerum, haec statuuntur : normae sunt non praeceptivae sed directivae : directione ista innotescet qui minimus numerus religiosis, non quidem praecipiatur, sed indicetur tamquam congruus ; secundum communes normas, antea praestitutas, numerus iste augeri poterit, immo in cotidianum accessum converti. (IV, 8.)

Observes dispositionem istam conceptis verbis transferri etiam ad Instituta votorum sollemnium.

Quaeres itaque quid demum intersit inter Superiorem Instituti clericalis et laici? inter Praelatum regularem et Superiorem Instituti votorum simplicium?

Cui quaesito ita satisfacere posse arbitramur. Superior Instituti clericalis, quamvis non sit consuetus subditorum confessarius, poterit plerumque subditorum, id sponte sua petentium, audire confessionem. Quod si fuerit Praelatus, est in ipso ordinaria iurisdictio in subditos. Quocirca, qua Confessarius, poterit roganti subdito consilium dare de communionibus.

Praeterea, si videatur id, in casu particulari, expedire, non prohibetur Superior ecclesiasticus, in salutarem poenam imponere aliquam a communione abstinentiam. Communionem praecipere posse non videtur : perpetuum enim est istud, quod Superior ultra regulam praecipere nequit. Atqui nulla iam communio ex regula

praescribi potest; ergo nec ex praecepto Superioris.

e) Decreti divulgationi prospicere non omisit S. Congregatio. Quare iussit ut vernacula lingua quotannis in communi religiosis legatur infra octavam festivitatis Corporis Christi, in sollemni isto tempore quo beneficium sacri convivii speciali modo ab Ecclesia recolitur. Lectio ista non praecipitur facienda in triclinio. Loci igitur optio moderatori linquitur. Communis ista lectio fieri itaque poterit in aula capitulari vel ubi spiritualis fiat collatio, ita ut omnes per se eam audire queant. Omnes, inquam, et non tantum religiosi nondum sacerdotio aucti vel laici. Quamvis enim id horum specialiter intersit, etiam sacerdotibus et moderatoribus est familiaris tantae legis habenda notitia.

f) Communis est indicatio decreti quo statuitur : « Ut frequens et cotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. »

Perpendenda est verborum istorum proprietas. Apte eligitur vox *consilii*, tum quia praeter paenitentiam nihil praecipere stricte potest Confessarius, sed reliqua eius monita ad munus consiliarii quo ipse fungitur, pertinent; tum quia cotidiana communio omnibus per se offertur; non est enim aliquid quod honeste non fiat sine licentia.

Simul tamen vox *oportet* necessitatem quandam indicat. Quamnam? nullam, ni fallimur, necessitatem humani praecepti, cum S. Congregatio potius declarare hic velit quid ex divina Sacramenti institutione postuletur; sed necessitatem prudentiae. Contra hanc prudentiae legem peccabit christianus qui nolit de communionibus interrogare confessarium, vel positive faciat contra Confessarii (cuius ceterum optionem habet) consilium. Quis praeterea non videt in hac agendi ratione inesse aliquam superbiam? Non peccabit autem qui ad mentem confessarii prudenter praesumptam aliquam communionem addat vel omittat. Accedit etiam, ex hac docilitate, meritum maioris humilitatis, quod n. 5 etiam inculcatur.

Confessariis ipsis praecipitur norma sequenda. Cum debeant populum ad frequentem hortari sacrae eucharistiae usum, neminem a frequenti vel cotidiana communione avertere possunt qui in statu gratiae et recta mente accedat. Ubi haec habeantur, de maiore fructu iubentur esse persuasi.

g) Questioni quae prius iudicata est parum utilis, simul imponitur finis. De dispositionibus ad frequentem et cotidianam communionem, non iam est contentiose disputandum. Contentiose, inquam, id est, quasi res dubia adhuc sit et in controversiam veniat de ea re tractare. Historice potius dicendum est quaestionem istam esse agitatam, donec decreto isto quasi e medio sit sublata. Definitum enim iam est, ex Ecclesiae doctrina non aliam ad frequentem atque ad non frequentem requiri dispositionem. Positiva prohibitio disputandi contentiose ecclesiasticis scriptoribus circumscribitur, id est iis qui argumenta istius modi tractare consueverunt.

In decreti conclusione divulgandae legi hoc modo providetur : debent locorum Ordinarii et Praelati Regulares illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicare. Haec igitur communicatio ad eos potissimum spectat quorum est, ut ita dicam, decretum active exsequi ipsa ratione qua animas vel subditos regunt consiliis vel praeceptis.

Iam tamen ante subditis ius erat ad communionem, ut ad mensam omnibus ab ipso Deo paratam, accedere.

Debent etiam iidem Superiores ecclesiastici de executione decreti S. Sedem edocere in relationibus dioecesis suae vel instituti. Relatio de instituto recentioribus constitutionibus praecipue inscribitur.

---

# BIBLIOGRAPHIA

Question de conscience : **La liquidation judiciaire des biens congréganistes,** par J. Dumartin. Brochure de 24 pages in-8°. Toulouse, Privat, 14 rue des Arts. L'exempl. frs 0,25 ; franc de port frs 0,30 ; par 50 ex. 10 frs port en sus.

Cette brochure est une consultation théologique sur cette question actuelle : Dans quelle mesure pèche-t-on et à quoi est-on tenu en conscience, si l'on coopère d'une façon ou d'une autre à la vente d'un bien congréganiste ?

La consultation est divisée en 2 parties :

1° La liquidation est injuste et son inscription dans la loi civile n'ôte en rien à la culpabilité de ceux qui y coopèrent ;

2° Responsabilité des coopérateurs de la liquidation : du juge, du liquidateur, de l'avocat, etc.

Ces pages s'adressent à tous les honnêtes gens, sans distinction de parti ou d'opinion, qui peuvent être appelés à s'occuper de la liquidation des biens d'Église ou de Congrégation et qui gardent le souci de la simple probité.

# QUAESITA VARIA

## III. De Commutationibus titulorum anonymorum (titres au porteur).

« Die 17 febr. 1906, cum quaereretur utrum necne beneplacitum apostolicum necessarium esset, non tantum ad alienandos, sed etiam ad commutandos titulos anonymos, pertinentes ad patrimonia ecclesiastica, S. Congregatio Concilii, audita relatione quae reperitur in ANALECTA ECCLESIASTICA, febr. 1906, et cuius summa habetur in hoc periodico, supra, p. 74, respondit ad utrumque, *affirmative*.

» Age porro, requiri beneplacitum apostolicum ad alienandos, quin commutentur cum aliis, titulos anonymos, pertinentes ad patrimonia ecclesiastica, id a nemine negari arbitror.

» Sed multi, iique eximii theologi nostri temporis, ut BUCCERONI [1], NOLDIN [2], GÉNICOT [3], quibus consentit ipse huius periodici auctor [4], existimant beneplacitum non requiri, ubi agitur de titulis commutandis cum aliis securioribus et melioribus.

» E contra, relator S. Congregationis, ex eo quod beneplacitum requiratur ad alienationem, arguit inde consequi evidentem necessitatem beneplaciti ad meram titulorum commutationem.

» Ratio foret, quod canonistae uno ore declarant in Const. *Ambitiosae cupiditati*, sub nomine alienationis venire etiam commutationem.

» Nos autem existimamus Ecclesiam, quamvis exigat beneplacitum ubi agitur de commutandis bonis immobilibus, idem non exigere ubi agitur de commutandis titulis anonymis.

» Ratio est, quod Ecclesia non potest velle aliquid rationi minus consentaneum, immo moraliter impossibile.

---

[1] *Theol. mor.* t. 2, p. 3, 98, ed. 1893.
[2] *De praeceptis Dei et Ecclesiae*, p. 811, ed. 1902.
[3] *Theol. mor.* t. 2, p. 782, ed. 1897.
[4] *De Religiosis*, t. 1, p. 261.

» Quo melius quis intellegat quantum id sit impossibile, iuvat notare administrationem scrinii seu arcae titulorum *(portefeuille)*, praeter perceptionem redituum, consistere totam quantam in prudenti atque opportuna commutatione eorundem titulorum. Bonus enim administrator, commutatis nummis cum titulis varii nominis, ne, ut aiunt, omnia ova in eadem ponat canistra, constanter curare debet ut ii tituli commutentur qui periclitantur, vel cum multum probabili lucro et utilitate commutari possunt.

» Procul dubio, ii ab initio eligendi sunt tituli, qui minori aleae et variationi exponuntur : sed quicumque eligantur, ut commutentur quandoque necesse erit, idque eo crebrius quod arca magis ampla et variis titulis est referta.

» Si ergo commutatio titulorum subiacet beneplacito apostolico, administratores bonorum ecclesiasticorum, iam non raro, ut hactenus, sed saepissime recurrere debebunt ad S. Sedem, immo habitualiter, pro omni gestione maximae partis bonorum ecclesiasticorum : bona enim ecclesiastica magis in dies formam induunt titulorum anonymorum.

» Quod autem centralis potestas sic quodammodo gerere conetur bona toto orbe terrarum diffusa, id sane parum rationi consentaneum esse et incommodis plenum nemo non videt.

» Prima difficultas inde exsurgeret, quod immensus esset numerus eorum qui, titulos commutandi causa, postulationes essent missuri. Hodie enim, innumera sunt ecclesiastica patrimonia quae ex toto vel ex parte conflantur titulis anonymis. Si ad quamlibet horum omnium commutationem faciendam apostolicum beneplacitum est exquirendum, tantus erit libellorum supplicum acervus, ut ne perlegere quidem eos S. Sedes possit.

» Praeterea, nisi inutilem afferre molestiam volueris, oporteret ut peritorum iudicio committeretur quaevis postulatio. Sed innumeri sunt tituli anonymi quos acquirere possunt personae ecclesiasticae. In periodico LE MONITEUR DES INTÉRÊTS MATÉRIELS, qui non agit nisi de praecipuis Europae titulis, numerantur quavis hebdomoda, *plura millia* titulorum diversae speciei. Argentarius quam maxime peritus, circa maiorem partem eorum titulorum sententiam qualemcumque aperire non posset.

» Sed, etiam si supplex libellus Romam missus a vero perito perlectus foret, saepissime accideret ut eiusdem responsio serius adveniret. Valor enim titulorum sequitur varias rerum politicarum et oeconomicarum fortunas, unde saepe fiet, ut opportuna commutandi occasio paucas post horas iam evanuerit. Ergo, ex eo quod ad S. Sedem recurrere debeant ii qui commutare titulos velint, damnum plus minusve grave inde patientur.

» Orietur etiam summa molestia et fastidium. Etenim necessitas recurrendi ad aliquam Congregationem romanam ut obtineatur beneplacitum, personas ecclesiasticas cogeret manifestare paulatim officialibus, amanuensibus eiusdem Congregationis et « agentibus » intermediis, quales ac quot titulos contineat earum arca. Immo quis affirmare ausit fore ut in sinu Congregationis reconditum maneat secretum eorum negotiorum ? Inter enim officiales inferiores S. Congregationis homines inveniuntur quandoque alterius secreti et linguae propriae minime tenaces, ne quid peius dicamus. Inde omnibus personis ecclesiasticis molestia et non nullis damni periculum.

» Videtur ergo mens Ecclesiae non potuisse esse ut beneplacitum requiratur ad commutandos titulos anonymos. »

Rursus tamen responsio 17 febr. 1906 multo severior videtur. **Quaeritur** ergo, an prudens administrator debeat se considerare ut ligatum tali decreto tamquam lege sibi imposita ?

**Resp.** Grave in pluribus ex his rationibus [1] inesse pondus, non videtur negari posse [2].

Atque addas, ab ipsa S. Paenitentiaria benignius iam esse responsum. Ad quaesita enim Ill. Episcopi Conversani [3], hoc modo respondit, 25 ianuarii 1888 : « S. Paenitentiaria venerabili in Christo Patri Episcopo Oratori

---

[1] Non tamen in omnibus. Quia enim in urgenti casu beneplacitum apostolicum non est petendum, non tam grave ex mora videtur pertimescendum damnum.

[2] Nemo negat recentes illas resolutiones non facile exsecutione compleri posse. Quam ut minuat difficultatem, scriptor I. B. periodici libelli REVUE THÉOL. FRANÇ., non eum reprobarit qui sibi licere existimet ut etiam plures simul commutet titulos qui singuli valore haereant infra mille libellas. Singulos enim tunc non esse inter pretiosos, nec certo constare eosdem esse simul seu collective aestimandos, eo quod ad unum idemque pertineant scrinium (*portefeuille*). REVUE THÉOL. FRANÇ. t. 11 (1906) p. 350.

[3] MONITORE, t. 16 (1904), p. 418.

ad praemissa respondet : Attentis omnibus, tolerari, servatis de cetero servandis ; id est :

1° Personae ecclesiasticae se abstineant a qualibet negotiatione praedictarum *obligationum*, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *di guochi di borsa*.

2° Administratores autem locorum piorum curent ut hi tituli in loco tuto caute custodiantur.

3° Ne commutentur in alios titulos absque gravi necessitate, et de consensu Ordinarii, eiusque et administratorum onerata conscientia.

4° Ne alienentur inconsulta S. Sede, quando ad eam recurrendi tempus suppetat. »

Et re quidem vera, illud relatori causae libenter concedimus, titulos istos inter mobilia pretiosa esse numeranda, ita ut inconsulta S. Sede alienari prohibeantur. Sed istud venit in quaestionem, utrum necne conversio titulorum in alios titulos pro vera alienatione haberi debeat. Certe S. Paenitentiaria alienationem a conversione apprime distinguebat. Et in ipso Periodico MONITORE, qui tamen in hac re partes sequitur severiores, alia alienationis, alia commutationis tradebatur definitio. « *Alienantur*, sic fere dictus libellus [1], quando tituli isti alii deputantur usui, ita ut hoc fonte redituum priveris ; *commutantur*, quando pecunia alio modo fructuose collocatur. »

Verum quidem est, *permutationes* rerum ad alienationes adscribi. Sic omnes doctores. Non nimis absolute tamen est istud accipiendum. Sin minus, argenteam pecuniam pro aurea accipere vel pro schedis argentariis *(billets de banque)* non possis inconsulta S. Sede, in magna saltem quantitate : quod nemo sane contenderit. Attendendum itaque est ad possessionum genus, ad modum quo res communiter habentur. Iam vero, cum agitur de titulis istis anonymis, id unum videtur esse substantiale, ut summa servetur intacta, et annuos afferat fructus [2]. Nec iuvat, in hac causa, interrogare superioris aetatis doctores, quid senserint, v. g. de schedis montium pietatis. Tunc enim temporis, feneratio pecuniae per se prohibebatur, raro et modo magis stabili fiebant contrac-

---

[1] Ibidem.

[2] Cfr. WERNZ, *Ius Decretalium*. n. 153, ubi haec habet : « Superior lex est ipsa *conservatio* bonorum ecclesiasticorum, et legitima sufficientium redituum *perceptio*. »

tus census. Hodie contra, tituli indesinenter inter se commutantur.

Haec cum dicta sint, et cum resolutiones 17 februarii 1906 sint formae particularis, non videtur inquietandus esse qui ex principiis ab interrogante propositis conscientiam suam formarit, et actionem direxerit.

Neque ideo easdem resolutiones praecipuo suo defraudantur effectu. Supersunt enim haec duo summi momenti, quae non uno responso sed perpetua iurisprudentia S. Sedis inculcantur :

a) Pecuniae ecclesiasticae modo tuto, et, quantum fieri potest, stabili, non nimis fluxo, sunt fructuose collocandae.

b) Pecunias quae capitale constituunt non licet, inconsulta S. Sede, convertere in aedificia vel alia bona immobilia non frugifera : tunc incidit casus verae alienationis, quae simul, ut recte fiat, praeter causam necessitatis vel evidentis utilitatis, postulat, ubi res non est mediocris valoris, beneplacitum apostolicum.

IV. **De professione valida, vel invalida, quaesita varia.**

A. Titius, iam sacerdos, Religionem stricti nominis est ingressus. Noviciatum peregit totum extra noviciatus domum, longe ab ipso magistro noviciorum, quem perfecte ignoravit, et sine ulla informatione ad vitam spiritualem. In alia autem Religionis domo, ministeriis spiritualibus est valde, toto anno, distentus. Elapso sic noviciatus anno, professionem emisit, prius simplicem, dein, tempore statuto, sollemnem.

**Quaeritur** iam de huiusmodi professionis valore.

**Casus resolutio.** 1. Si Religio ex iis fuerit cuius noviciatus est a S. Sede designandus, vel in qua non quaelibet domus noviciatui a Superiore deputari potest, ambae Titii professiones substantiali vitio, eoque perspicuo, corrumpuntur. Nec vitium huiusmodi sanari posse videtur, nisi ex apostolico Indulto vel ipsius noviciatus iterata probatione, legitimo loco et modo.

2. Si tamen quaelibet domus a Superiore designari potuit ubi noviciatus fieret, de valore votorum non ita dubitandum videtur. Substantiale quidem est ut mutua fieri possit Religionis et religiosi probatio. Sed religio satis cognosci potuit a Titio, immo melius fortasse quam

a pluribus noviciis, cum per annum in ordinaria Instituti domo sit versatus.

Magis fortasse incertum est an sufficiens facta fuerit Titii exploratio, cum nullus fuerit ipsi magister noviciorum, nullaque eius facta formalis probatio. Observari nihilo minus a fratribus potuit eius persona, agendi modus et indoles. Quare potius est pro valore respondendum.

3. Sive autem clara sive dubia fuerit nullitatis causa, haec ad legitimum ecclesiasticum iudicem est referenda (Cfr. Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. 19, De Ref. regul.), nec potest Titius, proprio marte monasterio valedicere. Iudex autem hic esse videtur S. Sedes, saltem si professio ideo nullitatis arguatur quia receptio facta sit in monasterium non legitime designatum (Cfr. Const. URBAN. VIII, 5 ian. 1636, et BEN. XIV, *Si datam* [1]).

S. Sedes est etiam adeunda si a professione sollemni quinque anni elapsi fuerint. Tunc enim impetranda est restitutio in integrum, quam S. Sedes sola concedere potest.

4. Denique, in gravi isto noviciatus defectu, Titius habere videtur causam cur longe facilius ipsi quam alteri religioso concedatur perpetua saecularizatio, vel etiam perfecta, ad cautelam, votorum dispensatio. Et cum Episcopum, quem ingrediendo Religionem iam habebat, numquam certo amiserit, verisimile est futurum ut, sic saltem optante S. Congregatione, ad eundem tamquam suum proprium remittatur.

Quod si in Religione voluerit perseverare, valde opportunum esse videtur ut factae professionis obtineat sanationem, si quod substantiale irrepserit vitium.

B. In votorum sollemnium Instituto, professio sollemnis est per decem annos cuidam religioso dilata, iustam quidem ob causam, sed inconsulta S. Sede. Bona fide omnia esse facta, supervacaneum est monere. Nuper autem, cum tandem aliquando religiosus iste ad sollemnem professionem admittendus videretur, interrogata S. Congregatio vitium ad cautelam sanavit. ne valor sollemnis professionis in dubium vocari posset.

---

[1] Cfr. VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. 2, n. 59 et 60. Et ex Constitutionibus istis adeunda tunc est S. Congr. Concilii.

**Quaeritur** iam de necessitate vel utilitate istius recursus ad S. Sedem.

**Resp.** Perfecte inutilis iudicandus videtur huiusmodi recursus, cum de valore faciendae, etiam post decem annos, professionis sollemnis, ambigi nequiret. Idque sive ex principiis, sive ex Actis S. Sedis quaestionem solvere malueris.

*Ex principiis*, istud habetur inconcussum, leges irritantes strictae interpretationi obnoxias esse, atque eo rarius admittendas nullitates quo propter eas frequentius periret status per se stabilis et immutabilis. Ita de matrimonio pronuntiant omnes doctores. Nimis enim bono communi adversaretur, si status per se perpetuus frequenter nutaret. Age vero, perpetuum statum professio sollemnis etiam inducit. Quare BENEDICTUS XIV causis de nullitate professionis sollemnitates praescripsit iis similes quibus contra intempestivas nullitatis sententias saeptum voluit matrimoniale vinculum [1]. Et Constitutiones SIXTI V de admissione in Ordinem, a duobus Pontificibus, GREGORIO XIV et CLEMENTE VIII, temperari debuere, ob incommoda orta « ex nimia facilitate et multitudine casuum in quibus professio a suscipientibus habitum alicuius Regularis Ordinis a dicto Sixto Praedecessore Nostro nulla declaratur. [2] »

Iam vero, quaenam lex, quaenam Instructio, quaenam saltem declaratio vel interpretatio S. Congr[is] vetat ne, sub poena nullitatis professionis, ultra permissum temporis spatium religiosus maneat simplicibus, sed perpetuis votis adstrictus? Nonne contra, ex quo, absoluto professionis simplicis praescripto triennio, 25 aetatis annum expleverit religiosus, in dies magis urgere videtur lex ipsum ad professionem sollemnem admittendi. Poteritne eadem lex actum infirmare et praecipere?

*Ex decretis S. Sedis.* Lex de professione simplici facienda ante sollemnem inducta est Encyclicis litteris *Neminem latet*, 19 martii 1857; Const. autem *Ad universalis*, 7 febr. 1862, est deinde statuta nullitas contra eos qui dictam simplicem professionem facere omisissent. Atqui, interrogata S. Congregatio de valore sollemnis professionis, quae ante posteriorem Constitutionem sine praecedente professione simplici erat facta, sapientissime declaravit professionem istam fuisse vali-

---

[1] Cf. citatam Const. *Si datam.*

[2] C. *In suprema*, 2 april. 1602. Cfr. *De Religiosis*, t. 2, n. 27, p. 277.

dam. Casus his verbis est propositus : « Cum quidam novicius, post dictam encyclicam *(Neminem latet)*, sed ante memoratas litteras apostolicas *(Ad universalis)*, vota sollemnia nuncupaverit, non praemissa professione votorum simplicium, quaestio de validitate professionis votorum sollemnium exorta est, quamvis actum illicitum fuisse nemo dubitaret. Ideoque in Congregatione diei 16 augusti 1866, propositum fuit dubium: « Utrum dictus Religiosus professionem sollemnem validam emiserit ? Cui E^mi^ Patres rescripserunt : *Affirmative*. »

Unde sic ratiocinamur. In casu proposito, fine suo est fraudata lex quae severissime volebat, professionis simplicis institutione, immature factas professiones sollemnes impedire. Professio autem ultra 25^m^ aetatis annum differre prohibuit, ne Ordo nimis diu servaret arbitrium dimittendi alumnos, qui, quo magis aetate sunt provecti, eo gravius ex dimissione timendum habent damnum. Admissione autem ad sollemnem professionem desinit periculum dimissionis, et fini legis est satisfactum. Itaque, si actus quo finis frustratur dicendus est valere, quamvis legi fuerit contrarius, multo magis valebit actus, utut illegitimus, quo finis iste obtinetur.

C. Sorores quaedam Instituti votorum simplicium vota quae ad certum diem fecerant non statim, adveniente die, renovarunt, sed post aliquot dierum intervallum, ut, selecta die dominica vel festiva, maiorem experirentur devotionem et consolationem sentirent. Postmodum autem, nescio quo scrupulo motae, de valore novorum votorum interrogaverunt S. Congregationem quae hanc dedit responsioni formam quasi sanatio fuerit necessaria. **Quid ad casum ?**

**Resp.** Nec de istorum votorum valore serio dubitari potest. Namque :

1. Nisi recentibus Normis regatur Institutum, quia post editas istas Normas fuerit approbatum, ne praeceptum quidem ostendi poterit quo sorores istae ad immediate renovanda vota adigantur.

2. Etiamsi praeceptum violetur, nec ulla legitur nullitatis sanctio, nec ulla nullitatis apparet ratio.

Quin immo, nonne illud doctoribus est exploratum, a novicio qui, absoluto noviciatu sed nondum factis votis discesserit, deinde autem, facti paenitens monasterium repetierit, statim, sine nova probatione, vota fieri posse,

nisi notabilis obstet mutatio personae vel Instituti'[1] ? Quanto minus pauci isti dies, in ipsis claustris et sub oculis superiorum transacti, valori votorum obesse poterunt !

V. **De opportunitate recursus ad S. Sedem ad enodenda dubia.**

Per has quidem occasiones **quaerere** pronum est utrum necne expediens sit de passim occurrentibus dubiis Sacras adire Congregationes.

**Resp.** De hac re meminisse iuvabit a doctissimo C. GENNARI scriptam esse lucubrationem quam ex MONITORE ECCLESIASTICO[2] desumptam hic latine damus.

» Vitus et Basilius quaestionem hanc movent, utrum necne expediat frequenter, dubiorum solvendorum gratia, ad S. Sedem recurrere. Affirmat Vitus, eo quod securior, hoc modo, obtineatur dubiorum solutio. Negat autem Basilius, eo quod ad proprias actiones recte ordinandas generalia iuris principia sufficiant.

» Quaeritur iam utri sit adiudicanda causa.

» Ad huiusmodi quaestionem solvendam, non brevis quaedam responsio, sed integer tractatus requiri videtur. Porro, etsi libenter concedimus necesse interdum esse, ut propter dubium quod plene enodari specialiter interest ad S. Sedem recurratur, aperte tamen reprobamus nimium quorundam studium et quasi pruritum quo ad quamlibet solvendam quaestiunculam Romana tribunalia adeunt, ut authentica obtineant responsa.

» Quam parum autem expediat modum illum agendi tenere, variae demonstrant rationes.

» 1. Si a suprema potestate quaelibet res foret definienda, omnis periret scientia. In eo enim scientiae ratio consistit, ut ex principiis eruantur consectaria quibus deinde actiones informentur. Iam vero, si summa Ecclesiae potestas quid in quolibet casu agendum sit decretoria lege ediceret, iam nullo pacto opus foret ad principia recurrere, ita ut ipsa scientiae necessitas periret.

» 2. Minueretur, nimio recursu, libera actionum optio. Res sunt quae in utramque partem controverti possunt, ita ut quam sibi quisque praeferendam ducat sententiam,

---

[1] Cfr. *De Religiosis* t. I n. 190. — [2] Vol. IX, 1, p. 256.

eam sequi tuto possit. Ex quo autem res a S. Sede dirimitur, perit illa in tam multis difficilibus adiunctis pretiosa libertas.

» 3. Cum S. Sedes habenas disciplinae semper adducere debeat, ne latae interpretationes eas nimis laxent, huc plerumque in iudicando propendet, ut Legi faveat, detrahat de libertate. Illud quidem per se bonum est atque optandum ; in casibus tamen particularibus, ea ipsa adiunctorum varietate nascuntur inexsuperabiles quandoque difficultates, quibus occurri posset si decretoriae S. Sedis sententiae non exstarent.

» 4. Cum, in ferendis sententiis, S. Sedes consideret quid bonum commune, non autem quid propria cuiuslibet loci condicio ac status postulet, eo saepe fit ut eius responsa, quibus locales difficultates superare volebant, adveniant contraria votis, ita ut difficultates faciant maiores.

» 5. In legitima consuetudine vis inest legem abrogandi, ita ut idipsum liceat quod secus non liceret. Hinc S. Sedis oraculo saepe non indigemus.

» 6. Semper praesto nobis sunt theologicae vel canonicae scientiae principia, quae, in rebus obscuris, reflexis scientiae moralis principiis non parum iuvantur. Quare generatim dubia solvi possunt sine S. Sedis interventu.

» Quod si quis proprio labore ac studio dubium solvere nequeat, virum doctum interroget, qui responso suo nullum meliori disputationi praecludet aditum, nec opinandi aliquam tollet libertatem.

» Hactenus dicta non modicam confirmationem accipiunt ex litteris quas die 26 augusti anni 1621 ad S. Ioannam de Chantal, filiam spiritualem, dedit S. FRANCISCUS SALESIUS : « Errare eos qui absque necessitate Romam adeunt, mandatarius meus me monet, atque non unus Cardinalis idem sentire declaravit. Res enim sunt quae sine positiva facultate fieri possunt eo quod licent. Si facultas tamen petatur, diversa de re oriuntur iudicia. Nec S. Pontifex aegre fert consuetudine plura permitti quae ipse, propter factae expresse licentiae consectaria, positive concedere nollet. »

» Minime tamen ideo negare cogitamus interdum opus esse ut supremum petatur S. Sedis oraculum [1]. Inter-

---

[1] Ipsi hic supra, p. 94, auctores fuimus ut a S. Sede peteretur incertae professionis sanatio.

rogetur autem quam rarissime, et de iis tantum quae generaliorum principiorum subsidio solvi nequeant, praesertim si frustranei prius facti sint doctorum conatus.

» Ceterum, cum S. Sedes attenta mente observet quid ere sit christiana, et quibus incrementis scientiae augeantur et evolvantur, Ipsa, ubi opus id esse iudicaverit, decretis a quibus neminem appellare fas est, sine mora providere non omittit.

» Quomodo solvendus sit casus, ex omnibus quae dictae sunt clarissime perspicitur. »

Hactenus Eminentissimus scriptor MONITORE. Recens autem similia in ipsa Urbe audivimus. Importuni isti recursus, sic aiebant ingenio et loco praestantes viri, produnt vel pusillanimitatem quae casus solvere non audeat et, statim ac res paulisper ardua videatur, religionem solutionis in se suscipere nolit, vel imperitiam et damnabilem ignorantiam faciunt manifestam. Nec sua desunt isti timiditati vel pigritiae notabilia incommoda.

Ecclesiasticae provinciae vita sua propria magis ac magis privantur. Ast, quo magis optandum est ut in causis vere maioribus et vere universalibus splendescat Ecclesiae unitas et auctoritas S. Sedis affirmetur, eo minus videtur expetendum, ut unitas illa rerum maiorum decore frustretur varietatis et vitae propriae in rebus quae ad varias circumstantias videntur esse attemperandae. Hinc ipse Ecclesiae amor apud non paucos minuitur.

Ipsae dein S. Congregationes negotiis tractandis obruuntur. Quo fit ut de gravissimis causis minus sollicitae esse possint; quod communi bono obesse nemo non videt.

Languent inde in provinciis seria canonica studia ; et pro veris iuris peritis, qui principia et leges examinent, succedunt alii, quibus pro omni lege, omni principio, responsa quaedam sunt romana, quae sine delectu accipiuntur, et sine discretione ad alios casus transferuntur contra ipsam Sacrarum Congregationum mentem. Sic, labente studio iuris romani, iudices prohibiti sunt ex principiis solvere controversias, sed mere ad anteriora prudentum responsa respicere iubebantur. Quod si haec inter se pugnabant, ne tunc quidem liberum permittebatur imperitis istis iudicium, sed, omissa omni ponderatione, ex pluralitate anteriorum suffragiorum ius dicere

cogebantur [1]. Nemo est qui haec tempora exoptet scientiis sacris et canonicis.

## VI. **De decreto « Ut debita » seu de missarum stipendiis.**

De decreto *Ut debita*, 11 maii 1904, **quaeritur** quomodo intellegenda sint priora verba dispositionis 3ae « Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat. »

**Resp.** Regula ista ordinarium regit casum ubi plures personae paucarum numero missarum singulae offerant stipendia, ita ut singulis sit per se infra annum satisfaciendum. Vetantur itaque tot simul stipendia colligi quae summam superent obligationum quibus sacerdos ipse per se vel per subditos satisfacere intra annum probabiliter possit. Sed statutum istud ad stipendia simul ab uno oblata minime transferendum est. Praevalet tunc offerentis intentio, quae ex maiore numero eleemosynarum, ut ipse sonat numerus 3 in fine, colligitur.

Quocirca corrigendum etiam ex parte putamus quod in PERIODICA, p. 48, c. α) tom. 1, diximus ; sed qui a Titio tercentum missas accepit, bene potest, contra atque scribebamus, tempus anno maius sibi permittere. Vera autem manent quae addebantur sub litt. β) : « Qui iam a Titio ducentas acceperit missas dicendas, non potest a Gaio alias ducentas recipere, nisi hunc diserte monuerit de impotentia qua impeditur quominus eas per se intra annum celebret. »

**Quaeritur 2°** Utrum necne, ad explenda onera missarum, idem linquatur spatium communitati religiosae quod singulis sacerdotibus.

**Resp.** Per se *affirmative*, cum in decreto nulla facta sit distinctio.

Observanda tamen semper est regula suprema quae, ex ipsis verbis Decreti, intentio est offerentis eleemosynam. Quocirca, cum eleemosynae monasterio traditae virtualiter pluribus sacerdotibus tradantur, tot scilicet quot sunt in communitate, videndum est an, pro qualitate intentionis (v. gr. in suffragium recens defuncto-

[1] Lex Theodosii II pro Oriente et pro Occidente, Edictum citationis Valentinianum anni 426.

rum), pro numero missarum et stipendii momento, aliud, idque angustius spatium sit definiendum. Ex numero, inquam, missarum. Magna enim vis missarum sacerdoti singulari tempus permitteret plurium annorum, quod clarae videtur intentioni derogare eius qui frequenti monasterio similem copiam dederit. Quod ut pressius declaremus, nobis videntur rationabili dantis intentione a singulis monasterii sacerdotibus (nisi notum sit eos multis missis celebrandis impediri), exspectari in anno 100-150 missae. Si ergo 5000 simul ab uno offerantur dicendae, et 20 sint communitatis sacerdotes, spatium utile videtur nobis non esse multum ultra duos annos ampliandum.

A monasterio autem quod ordinario numero sacerdotum componitur, videntur regulariter 500 missae annuae rationabiliter exspectari posse.

Longe autem praestat, in his casibus, de utili tempore oneri explendo expresse convenire.

VII. **Quaeres de vi ac significatione recentis Motus proprii de Institutis religiosis dioecesani iuris.**

I. Motus proprii divisio

Motus proprius *Dei providentis* imprimis dividitur in duas partes. Prior causas legis et consilium manifestat; altera eiusdem prodit decreta.

*Prior pars hoc modo subdividitur.*

1. Laudibus afficiuntur familiae quae non sine divinae Providentiae dispositione, in hac veterum Ordinum clade, votis simplicibus adstrictae, vel etiam sine votis, perfectionem sectantur, et in opera caritatis incumbunt.
2. Incommodum tamen oriri dicitur ex nimia harum familiarum frequentia.
3. Variae quae ad incommodum istud avertendum sumptae sunt provisiones commemorantur.
4. Superesse tamen monemur illud detrimentum praecavendum, quod, cum Instituta episcopalia a S. Sede approbantur, nimis a statu pacifice possesso recedere debeant.

*Altera pars autem his concrescit articulis.*

1. Praeviae licentiae Pontificiae necessitas.
2. Modus licentiam obtinendi.
3. Concessae licentiae vis.

4. Approbatio Constitutionum.
5. Regimen novi Instituti.

## II. Motus proprii Declaratio

A. *De Priore Parte.*

In hoc quasi legis exordio et introductione quaedam praecipue sunt notanda.

1. Familiae quas laudibus afficit S. Pontifex iis genericis notis describuntur quae in eas etiam cadant ubi nulla fiunt vota. Hae tamen etiam dicuntur eniti ad virtutis perfectionem, et, quod valde notabile est, ex ipso Decreti titulo, nomine *religiosarum* decorantur. Nescio an alterum hactenus exemplum habeamus ubi in monumento S. Sedis vota ad vitam religiosam, etiam late sumptam, non praedicentur essentialia.

2. Finis legis pressius perspicitur ex incommodis quibus dicitur occurrendum. Age porro malum prius denuntiatur nimiae frequentiae. Cum tamen huic iam plura opposita sint remedia, alterum additur cui superiores praescriptiones inefficax remedium attulerunt : id est, episcopalia sodalicia saepe in eo statu collocantur ut a S. Sede approbari nequeant, nisi nimis multis factis mutationibus quae, sine perturbatione quadam, induci non possint. Huic igitur malo pressius occurrere cogitat Pontifex praesenti suo Motu proprio. Ad quem finem, re vera sunt dein accommodata decreta.

B. *De altera parte.*

Huc, in summa, spectant generalia Motus proprii Decreta, non ut tollant dioecesana Instituta, sed ut nova licentiae apostolicae cautione impediant ne nimis numero crescant familiae ecclesiasticae, cum nova finis utilitas non postulet Institutum novum, idque efficiant ut eo modo instituantur quo facile dein possint in congregationem pontificii iuris converti.

Iam singulos paucis verbis perpendamus articulos.

1. Articulus iste, a) Generalis est : de omni Ordinario loci, sive Episcopus fuerit, sive Abbas Nullius, sive Vicarius apostolicus ; et de omni Instituto quod notas habet supra descriptas. Vota non sunt necessaria, sed requiritur ut voce vulgari nomine religiosi instituti designari possit. Ad hoc opus est vita communi et studio perfectionis. Utilitas proximi, quod tertium dixeris esse requisitum, nobis videtur poni potius tamquam nota

quae re vera in omnes quadrat huiusmodi familias, non tamen est necessaria. Quare Instituta vitae contemplativae etiam hac lege comprehenduntur.

b) Statuit autem Apostolicam requiri licentiam, et quidem *per litteras* datam, antequam possit Episcopus vel ipse Institutum condere vel sinere ut in sua dioecesi condatur.

2. Ex altero articulo licentia impetranda est per S. Congregationem Episcoporum et Regularium ; libellus autem supplex exhibere debet auctoris nomen et qualitatem, addito fine quo impellatur, sodalicii nomen seu titulum, habitum accurate descriptum, opera quae assumere velit, opes, raritatem in dioecesi.

Atque haec quidem sunt clara. Statim autem hic oritur quaestio.

Omnia Instituta quae fundantur in locis Propagandae Fidei subiectis et, in quocumque condantur loco, Instituta quae praecipue ad missiones exteras deputantur, ordinariam S. Congregationis Episcoporum et Regularium competentiam excedunt, sed ad S. Congr. Prop. Fidei spectant. Nullus tamen de hac Congregatione est in Motu proprio factus sermo. Nec argumentum istud, quod sciamus, est aliquo superiore decreto ordinatum.

Encyclicae enim litterae S. Congr. Prop. Fidei, 7 decembris 1901, hoc tantum Ordinariis praescribunt, ut nulla Instituti nova domus inconsulta S. Congr. Prop. Fidei in locis missionum aperiatur [1] ; nihil autem habent de novi Instituti erectione, nihil praesertim de Instituto quod extra loca missionum condatur. Quid iuris ergo, cum articulus 1 omnino universalis videatur, articulus autem 2 nihil definiat de recursu ad Prop. Fidem ? Certa itaque obligatio recurrendi ad S. Sedem, cum agitur de condendo Instituto missionum, saltem extra missionum loca, statui nequit. Verum, ni fallimur, nova declaratio praesentis Motus proprii silentium supplebit.

3. Ex tertio articulo habemus, impetrata venia, novum sodalicium Episcopi auctoritate erigi posse. Verum, propter canonem generalem quo dioecesana potestas mutare nequit quae a S. Sede sunt statuta, omnia quae de titulo, habitu, proposito, etc. sunt a S. Sede approbata

---

[1] Cfr. *De Religiosis*, t. 2, n. **278**, p. 744.

vel designata, sunt exigenda, nec inconsulta S. Sede mutari possunt.

Ipsa itaque mutatio, aliquo modo substantialis, in tale Institutum induci nequit, nisi ex S. Sedis auctoritate.

Intacta autem manent iura Episcopi de aliis iam a se approbatis Institutis, nisi re vera novum moraliter condatur.

4. Quartus articulus est de Constitutionibus. Eas solus recognoscit Episcopus, sed cavendum ei est ut satis congruant cum Normis a S. Congr. Episcoporum et Regularium de novorum Institutorum approbatione promulgatis. Sic vitabitur nimia illa disparitas, quae incommoda affert cum novum Institutum a S. Sede est approbandum.

Non nimio tamen rigore istud est accipiendum, cum quaedam Normarum partes in Instituta episcopalia non quadrent, v. gr. de iure dimittendi alumnos ; sed de punctis praecipuis, qualia sunt disciplina votorum, vera potestas Superioris localis, etc.

5. Ultimo articulo clare definitur, quod iam ex tota legis oeconomia apparebat, distinctionem Instituti dioecesani et Pontificii minime esse suppressam. Ista S. Sedis licentia nullo modo efficit ut nova Instituta romano iure utantur, sed, donec successerit decretum laudis [1], servat Episcopus omnia iura dirigendi, dispensandi, et etiam exstinguendi, quae ipsi a Const. *Conditae* sunt attributa. Quod ample est accipiendum, ne peccemus in illud : « Correctio iuris est odiosa. »

Sequitur derogatio contrariorum. Contraria erat dispositio C. *Conditae*, quae fundationem novi Instituti satis libero Episcoporum arbitrio permittebat.

[1] Cfr. *De Religiosis*, t. 2, p. 123, n. 12.

# MONUMENTA

## 118. — S. RITUUM CONGR. (12 maii 1905)

### *RESPONSA DE MISSIS VOTIVIS*

**Ordinis Fratrum Minorum**

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum : *Orator.*

I. An Missa votiva cantata celebrari possit ac debeat semper post Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra sollemnem eorundem Commemorationem, permittunt? *Hora celebrationis.*

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente, dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore; immo et Collectae ad omnem Votivam, si Commemoratio Duplicis primae classis debeatur; et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti? *Orationes in duplici,*

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur? *Semiduplici,*

IV. An in Missa votiva cantata vel sollemni, vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis, vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit, vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occurreret? *In votiva sollemni vel instar Conventualis.*

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu sollemnis reservari dumtaxat debeat pro casu, in quo eadem Votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae? *Tonus sollemnis,*

*Vel Ferialis.* VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymno Angelico et *Ite*, *Missa est* in Missis Deiparae votivis?

*Symbolum.* VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat?

*Ultimum Evangelium.* VIII. An in Missa votiva quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

*In simplicibus et feriis.* IX. An in Missa votiva cantata, vel sollemni, vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubitu addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: « Communicetur Votum praelaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico » :

**Responsa.** Ad I. *Affirmative*, sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam, iuxta Decreta 3059 ad XII, et 3914 ad IV; excepta tamen Missa votiva *pro re gravi* vel *cum populi concursu*, quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas.

Ad II. *Affirmative* in omnibus, ad mentem Decretorum 2542 ad II, et 2597 ad II, ac praesertim 3574 ad V (quaest. 1-4).

Ad III. *Negative*, ad mentem Decretorum 1322 ad VIII, et 3832 ad VIII.

Ad IV. *Affirmative*, iuxta Decretum 3553 ad II.

Ad V. *Affirmative*.

Ad VI. *Affirmative*, iuxta Decretum 3574 ad V (quaest. 5).

Ad VII. *Affirmative*, ad mentem Decreti 15 maii 1903 ad III in una *Ordinis Minorum Cappuccinorum Provinciae Belgicae*.

Ad VIII. Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922 tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae sollemnis.

Ad IX. *Negative*, iuxta Rubricas Missalis, tit. V, n. 4, pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro lubitu Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.

*Dies (12 maii 1905).* Atque ita rescripsit, die 12 maii 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus*.

*D. Panici*, *Archiep. Laodicen. Secretarius*.

---

## 119. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *RESPONSUM 2 IUNII 1905*

### De mutanda dispositione redituum

*Oratrix.* Sanctimonialis N...., praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis reditibus

disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Cong. Ep. et Reg., 12 iulii 1896, quae in Collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo « quoad votum paupertatis », ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet.

Iam vero frater nunc, ob auctas necessitates, maiore subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat: *Occasio petendi.*

I. An iuxta normas a S. Congr. Ep. et Reg., die 28 iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem redituum mutare? **Quaesita.**

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur.

Pro qua gratia....

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit:

Ad I. *Affirmative.* **Responsa.**

Ad II. *Provisum in primo.*

Romae 2 iunii 1905. *Dies (2 iunii 1905).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

Annotationes

1. Si apud Bizzarri (p. 849, ed. 1863, vel p. 806, ed. 1885), legas quae voto paupertatis Presbyterorum Soc. Mariae seu Maristarum sunt descripta, perspicitur dispositionem redituum ab ipsis mutari non posse, nisi accedente Apostolicae Sedis Beneplacito.

Affirmativo itaque suo responso ad primum, videtur S. Congregatio Episc. et Regularium Sorori oratrici vi Normarum indulgere quod ex Constitutione a S. Pontifice approbata facere clare prohibebatur.

Id non potuit attentionem et mirationem doctorum non excitare. Hi tamen, in suis declarationibus, duas ingressi sunt vias.

2. Clarissimus enim professor Boudinhon, responsi vim perpendens, ea maximi momenti consectaria inde eruit. Quod nullus interpres suspicari poterat, id praesenti responso effecit S. Congregatio Episc. et Regularium; Normis suis, quae ne lex quidem sunt, efficaciam tribuit mutandi voti paupertatis disciplinam a S. Sede antea approbatam, ita ut Superiorissa Sorori oratrici dare potuerit facultatem clara Instituti sui lege vetitam. Et cum nulla peculiari ratione praesens responsio fulciatur, videtur in omnes Congregationes traduci posse [1].

Eiusdem sententiae est scriptor Nouv. Revue Théolog. nov. 1905.

3. De tanta ac tam mira efficacia merito dubitans J. B. in Revue théol. franç. subtilem hanc proposuit explicationem. Maius subsidium quo fratrem donare volebat oratrix, in ea parte consistebat redituum quae, ex Sororis renuntiatione, communitati obtingebat. Hanc autem partem poterat, ob iustam causam, Superiorissa fratri oratricis liberaliter concedere. Ac istum intuita modum rem componendi, potuit S. Congregatio declarare in casu non requiri nisi Superiorissae assensum.

[1] Le Canoniste contemporain.

4. Superest autem tertia explicatio longe planior et facilior, quam ob nota nobis adiuncta incunctanter proponere audemus.

Observes in primis causam istam non in plenario Consilio, sed in Congressu, ut aiunt (quo conveniunt Praefectus, Secretarius et auditor Congregationis) fuisse diremptam. Hinc nullo pacto verisimile est, in minore isto coetu hanc tributam esse Normis vim, quam solus Pontifex tribuere potuit. Quare, quamvis valde consequenter scripserint Le Canoniste contemporain et la Nouvelle Revue théologique, in eorum sententiam concedere non possumus.

Consideres dein parum elegantem rationem qua species facti est narrata et propositum est dubium. Dum disciplinam voti paupertatis poterat uno verbo declarari, supplex libellus mere dixit eam esse similem disciplinae Maristarum, qualis legitur apud Bizzarri. Quaestionem dein hoc modo fecit : « An *iuxta Normas recentiores*, possit, cum sola Superiorissae licentia, dispositio redituum mutari. »

Addas nunc, negotiis et solvendis dubiis obrui hanc S. Congregationem. Non miraberis quaestionem sic intellegi potuisse, quasi mera petatur declaratio Normarum, ita ut oratrix certior fiat, utcumque se habeat alia quaedam disciplina, eam esse Normarum legem, ut cum sola Superioris licentia redituum dispositiones mutari possint. Ita, inquam, respondere potuit S. Congregatio, sine ulla intentione transferendi ius Normarum ad Instituta quae alio iure utebantur.

Quae cum ita sint, concludes responsum huiusmodi plane esse a iuris interprete neglegendum, donec clarioribus quaesitis et clariore responso demonstretur vera S. Sedis iurisprudentia.

---

## 120. — SS. D. N. PII PP. X

### *BREVE 15 SEPT. 1905*

### Indulgentiis fovens coronam septem gaudiorum B. V. M.

*Orator, descripta devotione et memoratis gratiis quibus fruuntur Franciscani,*

Dilectus filius Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, impense cupiens ut erga Deiparam Immaculatam magis magisque fidelium cultus augeatur, rettulit ad Nos inter multiplices cultus ac pietatis significationes in eandem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum obtinere laudabilem eam praxim, ut peculiari Corona septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipsius divinae Matris in caelum Assumptione, in Deo salutari suo mirabiliter exsultavit. Hinc factum esse, ut Decessores Nostri Romani Pontifices, non modo speciale festum Septem Gaudiorum B. M. V. cum Officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint; verum etiam Fratribus et Sororibus Ordinum Seraphici Patris Francisci Assisiensis, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, indulgentiam plenariam, pluries vel eadem die lucrandam, benigne concesserint. Verum idem dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Minorum animo perpendens devotionem erga Septem B. M. V. Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis

*Apostolicas* **petit** *gratias quae omnibus prosint fidelibus.*

fidelibus communi esse exornatam; probe autem noscens eandem Gaudiorum Coronam publice in ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum fidelium interventu recitari, Nos enixis precibus flagitavit, ut huic Septem Gaudiorum Virginis Coronae, prouti iam concessum fuit Coronae Septem Virginis eiusdem Dolorum, plenarias nonnullas ac partiales indulgentias vel ab omnibus fidelibus rite lucrandas adiungere de Apostolica Nostra benignitate dignaremur.

*Prompta Pontificis voluntate auditae preces.*

Nos autem, quibus nihil antiquius est neque magis gratum, quam ut per universum orbem fidelium pietas erga Virginem Immaculatam latius propagetur, et divina Mater in Gaudio non minus quam in Dolore admirabilis, pari a christiano populo recolatur obsequio, votis hisce piis ultro libenterque annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui publicae recitationi Coronae Septem Gaudiorum B. M. V. apud ecclesias ubique terrarum exsistentes trium Ordinum Seraphici Patris habendae, adstiterint, easdem tribuimus indulgentias quas Fratres et Sorores eiusdem Ordinis, quibuscum sunt in recitatione sociati, promerentur. Insuper iisdem fidelibus admissorum confessione rite expiatis et Angelorum pane refectis, qui Coronam eandem quotannis tum festis cuiusque e Septem Gaudiis, cum potioribus B. M. V. festivitatibus, vel quovis die intra respectivi festi octiduum, ad cuiusque eorum lubitum eligendo, pie recitent, quo ex iis die id agant, plenariam; et iis, qui singulis anni sabbatis Coronam eandem recitare consueverint, uno cuiusque mensis die, ad lubitum pariter eligendo, dummodo vere ut supra paenitentes et confessi ad S. Synaxim accedant, etiam plenariam; tandem iis qui memoratam Coronam retineant, illamque frequenter in vita percurrerint, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere paenitentes et confessi ac S. communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo acceperint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ipsis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui contrito saltem corde, aliis per annum B. M. V. festis diebus Coronam eandem recitant, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita trecentos annos; quotiens vero Coronam ipsam quocumque alio anni die persolverint, totiens illis septuaginta annos totidemque quadragenas; iis tandem fidelibus qui coronam memoratam Septem Virginis Gaudiorum apud se fideliter retinentes, eamque frequenter recitantes, quodvis pietatis opus in Dei honorem vel in spiritualem aut temporalem proximorum utilitatem item contrito corde exercuerint, sive in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint, de numero similiter poenalium in forma Ecclesiae solita, quotiens id agant, decem annos expungimus. Porro largimur ut excepta plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, fidelibus ipsis, si malint, liceat plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Verum praecipimus, ut in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis Coronae Gaudiorum Virginis a fidelibus adhibendae, sint a Ministro Generali pro tempore Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio sacerdote sive saeculari sive regulari, per ipsum deputando, in forma Ecclesiae solita,

**Concessae indulgentiae.**

*Imposita condicio.*

servatisque servandis, benedictae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Indulgentiarum Congregationis Secretariam, alioquin praesentes nullae sint; utque item praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

*Dies (15 sept. 1905).* Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV septembris MCMV, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D^no Card. MACCHI.
*Nicolaus Marini, Substitutus.*

*Breve transmissum ad S. Congr.* Praesentium litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 18 septembris 1905.
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

ANNOTATIONES

1. Binas, fere eodem tempore, concessas observamus indulgentiarum series: priores, magis consuetas, ex audientia Sanctissimi per S. C. Indulg., [1] alteras magis speciales, directa Pontifices largitione ex Apostolicae potestatis plenitudine.

2. Porro Indulgentiae annectuntur recitationi atque asservationi coronae quae a septem Gaudiis appellatur, quia septem concrescit decadibus [2] ad recolenda septem Gaudia quibus in septem memoratis mysteriis B. V. M. est perfusa. Inter indulgentias istas pretiosissima profecto habetur *plenaria* quae quotiens corona recitetur totiens, nullo alio addito opere, est concessa indulto LEONIS X, quod PAULUS V abrogavit 1606, restituit autem 1608, et quod ab INNOCENTIO XI confirmatum est declaratum authenticum a S. C. Indulg. (*Decr. auth.* n. 412). Hanc tamen ut lucrentur fideles, opus est ut, Fratribus vel Sororibus Ordinis Franciscani sociati, publicae intersint recitationi dictae coronae in aliqua ex ecclesiis trium Ordinum Seraphici Patris.

Debentne praeterea rite benedictam manibus habere coronam, ut « in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis » praescribitur? Ita putant BOUDINHON [3] et BERINGER [4]. Nobis autem non constat, cum supradicta verba referenda videantur ad solas indulgentias quae fidelibus coronam recitantibus seu tenentibus directe conceduntur.

De ista corona plura habentur sive in opere BERINGER [5], sive apud BOUDINHON [6] qui laudat opus R. P. MOCCHEGIANI, *Collectio*

---

1 Has dedimus supra, n. **92**, p. 41.
2 Usus habet addendi duo *Ave Maria*, ut 72 Ave Maria honorentur 72 anni quos, ut pie ferunt, B. V. M. hic in terra deguit.
3 CANONISTE CONTEMPORAIN, t. 28 (1905) p. 675.
4 *Die Ablässe*, ed. 13, p. 824, n. 23.
5 L. c.
6 L. c.

*Indulgentiarum*, n. 711-723. Prius autem septem Gaudia B. V. M. distincta esse quam septem Dolores, memoravimus in opere *Méditations sur la Ste Vierge*, t. 1, p. 40. Auctoritate nisi sumus ANALECTA BOLLANDIANA.

---

## 121. — S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQ.

### *EX AUDIENTIA SSmi RESCRIPTUM 29 NOV. 1905*

### Indulgentiae archiconfr. a Corde Iesu Eucharistico

*Beatissime Pater,*

*Orator,*

Mathias Raus, Congregationis SS. Redemptoris Superior generalis, nec non Archisodalitatis SSmi Cordis Iesu Eucharistici supremus Moderator, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, suppliciter petit, ut Christifidelibus eidem Archisodalitati addictis, sequentes plenarias indulgentias, defunctis quoque applicabiles, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur, nempe :

**Petit** *Indulgentias defunctis applicabiles.*

I. Quo die SS. Sacramentum in tabernaculo reclusum, in ecclesia Archisodalitatis vel in ecclesiis seu oratoriis ubi aliqua sodalitas Archisodalitati legitime aggregata reperitur, saltem per dimidium horae adoraverint.

II. Prima dominica vel prima feria quinta cuiusvis mensis.

III. In festis et diebus infra descriptis, scilicet : 1. Epiphaniae Domini N. Iesu Christi ; 2. Die anniversaria erectionis primae sodalitatis (22 ian.) ; 3. S. Tarcisii Mart. (27 ian.) ; 4. Purificationis B. M. V. (2 febr.) ; 5. S. Thomae Aquinatis (7 mart.) ; 6. S. Ioseph, Sponsi B. M. V. (19 mart.) ; 7. S. Benedicti I. Labre ( 16 april.) ; 8. S. Paschalis Baylon (16 maii) ; 9. S. Antonii Patavini (13 iunii) ; 10. B. M. V. de Perpetuo Succursu (dominica ante festum S. Ioannis Bapt.) ; 11. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Ch. (dominica prima mensis iulii) ; 12. SSmi Redemptoris (dominica tertia mensis iulii) ; 13. S. Alphonsi M. de Ligorio (2 aug.) ; 14. S. Ioachim, patris B. M. V. (dominica infra octavam Assumptionis) ; 15. Nativitatis B. M. V. (8 sept.) ; 16. S. Theresiae Virg. (15 oct.) ; 17. S. Gerardi Maiella (16 oct.) ; 18. Omnium Sanctorum ; 19. Commemorationis Fidelium defunctorum ; 20. Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 dec.) ; 21. S. Ioannis Ap. et Evang. (27 dec.).

Dummodo praefatis diebus iidem sodales confessi ac sacra Synaxi refecti ecclesiam Sodalitatis devote visitaverint, et inibi ad mentem Sanctitatis Vestrae pias preces fuderint.

*Consuetis condicionibus.*

Et Deus, etc.

*Ex Audientia SSmi diei 22 novembris 1905.*

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

**Annuit** *Sua Sanctitas.*

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 novembris 1905.

*Dies (29 nov. 1905).*

A. TRIPEPI, *Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.*

## 122. — S. C. EPISCORUM ET REGULARIUM

*RESCRIPTUM 20 IANUARII 1906*

**De exstinctione titulorum Abbatiae et unione cum aliis Abbatiis**

*Beatissime Pater,*

*Oratores,* Abbates et Monachi Capitulares Cong. Brasiliensis O. S. B. in Abbatia Bahiensi ad S. Sebastianum capitulariter congregati, humiliter exponunt Sanctitati V. ad restaurationem Congregationis suae *Exposito abbatiarum statu,* plurimum referre ut duae antiquae Abbatiae, scilicet B. M. V. de Gratia in civitate Bahiensi et B. M. V. ad locum denominatum Brotas, in eodem Statu Bahiensi, nunc temporis reditibus ferme destitutae necnon de facto exstinctae, iure etiam quoad ipsarum titulum Abbatialem exstinguantur et Abbatiae Bahiensi ad S. Sebastianum quoad temporalia incorporentur. **Petunt** *titulorum exstinctionem,* Ad pedes igitur S. V. prostrati iidem Abbates et Patres Capitulares unanimiter petunt, ut Sedes Apostolica, auctoritate sua suprema, Abbatias de Gratia et de Brotas denominatas, exstinctas quoad titulum et Abbatiae S. Sebastiani *Et duarum Abbatiarum unionem, sub eodem Abbate.* Bahiae incorporatas quoad temporalia declarare dignetur. Insuper iidem Capitulares opportunum censent, ut duae aliae eiusdem Congregationis Abbatiae, scilicet Abbatia S. P. Benedicti de Olinda et Abbatia B. M. V. de Parahyba sub eodem uniantur Abbate, ita ut Abbas Olindensis ipso facto sit etiam Abbas Parahybanus, et uterque titulus in eadem persona coniungatur. Ideo humiliter petunt ut Sanctitas Vestra Abbatiam Parahybanam Abbatiae Olindensi unitam declarare velit, ita ut uterque titulus in eodem permaneat Abbate, qui in utraque Abbatia iurisdictionem exerceat.

Et Deus etc.

*Utrumque* **conceditur.** Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito voto D. Abbatis Primatis, attentisque expositis rerum adiunctis, eidem D. Abbati Primati facultatem benigne tribuit ad exstinctionem enuntiatarum Abbatiarum deveniendi, facta etiam potestate Abbatiam Parahybanam Abbatiae Olindensi unitam declarandi in omnibus iuxta preces.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (20 ian. 1906).* Romae, 20 ianuarii 1906.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
*Giustini, Secretarius.*

---

## 123 — Emi CARD. SECRET. STATUS AD ARCH. COLON.

*LITTERAE 26 IANUARII 1906*

**De authentia vaticanae editionis Kyriale gregorianum continentis**

*Disceptatum est de* Vaticana Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita

quidem, ut pronum sit credere, minus iustas de eius indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud Beatissimus Pater iussit me declarare Tibi, Vaticanam editionem Kyrialis non equidem esse emissam, ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam, ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Huiusmodi autem authenticitatis character communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus, si quando, Sanctae Sedis iudicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eaedem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater iucunde est affectus.

*Vaticana Kyrialis editione. Declaratur authentica, At non immutabilis. Germaniis acceptam fore sperat sua Sanctitas,*

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te existimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor, ac permaneo

*Cuius mandato praesens fit notitia.*

Eminentiae Tuae

Humillimus et addictissimus vere famulus.
R. Card. MERRY DEL VAL.

Romae, die XXVI ianuarii a. 1906.

*Dies (26 ian. 1906).*

Dno Cardinali ANTONIO FISCHER.
Archiepiscopo Coloniensium.
Coloniam Agrippinam.

---

## 124 — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *INDULTUM 29 IANUARII 1906*

### Pro Fratribus conversis Ordinis S. Benedicti

Praeses Congregationis Benedictinae Bavaricae exponit quod Constitutiones a Capitulo generali recognitae atque Apostolica auctoritate nuperrime confirmatae, sub. n. 93 praescribunt : « Conversi Pro Officio divino Dominicis et festis de praecepto Officium parvum Beatae Mariae Virginis communiter recitant ; aliis vero diebus SSmi Rosarii quinque decades cum una ex litaniis approbatis ». Porro cum in quibusdam monasteriis in usu iam sit cotidie recitandi publice Officium parvum Beatae Mariae Virginis lingua latina, vespere autem litaniam una cum precibus vespertinis necnon privatim SSmum Rosarium, humiliter declarari postulat :

*Orator, Expositis Constitutionum praecepto, Et monasteriorum usu,* **Petit.**

I. An Fratres conversi celebrare possint Officium parvum B. M. V., quod in Breviario invenitur, etiam diebus infra hebdomadam ?

II. An iidem Fratres, non obstante supra relata Constitutionum praescriptione, illud recitare valeant lingua latina ?

*Super recitando parvo officio B. M. V.*

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, Praesidi Congregationis Bavaricae, firmis remanentibus Constitutionibus, facultatem tribuit permittendi ut Fratres conversi, qui hucusque Officium B. M. V. cotidie celebrare sole-

**Indultum.** *Circa privatam illius recitationem.*

bant publice, ex mera devotione privatim persolvere valeant, servata, quoad linguam sive latinam sive vernaculam, uniuscuiusque monasterii consuetudine.

*Dies (29 ianuarii 1906).*

Romae 29 ianuarii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
*Philippus Giustini, Secretarius.*

---

## 125. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (16 febr. 1906)

### *RESPONSA DE LAUDIBUS EXPOSITO SSmo (Saluts, Benedictioni)*

### Societatis Salesianae

*Orator. Ratio petendi.* **Dubia.**

Cum circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati Liturgiae interpretes, hodiernus Rmus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum :

*I. De inclinatione coniungenda cum genuum flexione.*

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentem adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem) flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis ?

*II. Estne inclinatio facienda dum genuflectit qui tabernaculum aperit vel claudit.*

II. Cum expositor, aperto ostiolo tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat, et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere ?

*III. De variis reverentiis.*

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus ? Videlicet : 1) Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento*, etc., debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare ? 2) Idem quaeritur de celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum ; 3) De celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat ; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum ; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

*IV. De inclinatione capitis post benedictionem.*

IV. Celebrans postquam, benedictione impertita, ab altari descendit et genua flectit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem, an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare ?

*V. Quid de altera turis impositione, post orationem.*

V. More apud Subalpinos recepto, secundo tus imponitur post cantatam orationem *Deus qui nobis*, etc. Iam quaeritur : 1) an mos servari possit ? Et quatenus affirmative, quaeritur : 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat ante impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem ?

*VI. Quaenam facienda adoratio ab eo qui ab altari descendit tus impositurus ?*

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab altari descendit tus impositurus debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere, ut quidam eruunt ex *Memoriali Rituum* Benedicti XIII, c. II, § III, n. 5 ?

VII. Iuxta Caerimoniale Episcoporum, dum celebrans canit orationem *Deus qui nobis*, etc., ministri librum sustinent genuflexi; contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id iis permittunt. Quaeritur qua norma utendum? *VII. De ministris, dum canitur oratio* Deus.

VIII. An celebranti in impertienda benedictione cum SS. Sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono dalmatica et tunicella indutis adiungi queant duo vel quattuor clerici induti pluviali? *VIII. De clericis qui suppleant ministros sacros.*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: **Responsa.**

Ad I. *Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.* *Ad I.*

Ad II. *Nulla reverentia facienda est.* *Ad II.*

Ad III. Quoad primum, *Nullam reverentiam debet facere*; quoad secundum, *Inclinationem mediocrem faciant*; quoad tertium, quartum et quintum, *Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare, genuflectat in medio.* *Ad III.*

Ad IV. *Nulla reverentia facienda est.* *Ad IV.*

Ad V. Quoad primum, *Negative*; quoad secundum, *Provisum in praecedenti.* *Ad V.*

Ad VI. *Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in turibulo.* *Ad VI.*

Ad VII. *Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta* Caerimoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n° 27. *Ad VII.*

Ad VIII. Quoad primum, *Affirmative si benedictio cum SSmo Sacramento fiat immediate post Vesperas sollemnes, id est si celebrans cum pluvialistis non recedat ab altari; dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SSmum Sacramentum, illudque celebranti tradat et ab eo recipiat.* Quoad secundum, *Negative.* *Ad VIII.*

Atque ita rescripsit die 16 februarii 1906. *Dies (16 febr. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotatio

Momento et utilitate non vacat haec responsionum series, cum caerimonias declaret sacrae functionis cuius in diebus festivis, post meridiem, frequentissimus est usus.

Potuerunt autem quaedam addi dubia; v. gr. de inclinatione facienda dum canitur: *Veneremur cernui;* et utrum necne possint clerici, dalmaticam induti sed sine manipulo et stola adstare celebranti quasi duo ministri sacri, otiosi tamen, cum ipse celebrans Sanctissimum exponat et reponat in tabernaculo.

# 126. — S. RITUUM CONGREG. (10 martii 1906)

## *DECRETUM SPECIFICE A S. PONTIFICE APPROBATUM 14 MART. 1906*

### De clerico qui inter Missam subdiaconum vel Cappellanum suppleat

*Decreti occasio.* **Statuta.** Cum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa sollemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

*Requisita causa et qualitas ut subdiaconum suppleat.* 1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa sollemni numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

*Quomodo suppleat subdiaconum,* 2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia, quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expleat, hisce tamen exceptis: *a)* aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *b)* calicem ipsum infra actionem numquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; *c)* post ablutionem, calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

*Quomodo Cappellanum.* 3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alii Sacerdoti in Missa sollemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caerimoniali Episcoporum Lib. I, cap. XXIX dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper: *a,* calicem ante Offertorium non abstergat; *b)* nec vinum nec aquam in eo infundat; *c)* nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

*Modus afferendi et deferendi calicem.* 5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

*Quid si clericus non sit tonsuratus.* 7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu, calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem assistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 10 martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et approbavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 martii 1906.

*Dies decreti (10 mart. 1906).*

*Confirmatio Pontificia, abrogatio contrariorum (14 mart. 1906).*

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.*

ANNOTATIO

Usus generalis istius decreti causa fuit cur inter nostra PERIODICA reciperetur. Clara ceterum sunt statuta. Observes tantum voce « *Palmatoriae* designari lumen (*la bougie*) quod honoris causa in missis Praelatorum adhibetur.

---

# 127. — SS. D. N. PII PP. X VEL S. RITUUM CONG. (14 martii 1906)

## *INDULTUM DE FESTO AC MISSA CUM OFFICIO MYSTER. VIAE CRUCIS ET GAUDIORUM B. V. M.*

### Ordinis Fratrum Minorum

Exercitium pietatis a Via Dolorosa, sive Crucis, nuncupatum, quo reverens fidelium studium in praecipua Loca et Mysteria Dominicae Passionis magnopere nitescit, merito coaevum Ecclesiae primordiis censendum est. Exemplo namque Deiparae Virginis et Apostolorum incitati Christifideles, tum indigenae tum advenae pie Hierosolymam peregrinantes, ea monumenta et sacrum potissime ad Calvariam iter, Divini Sanguinis vestigiis purpuratum, numquam colere desiverunt. Pia tamen Minorum Ordinis industria, praecipue a saeculo decimo quinto et deinceps, factum est, ut quemadmodum Hierosolymis, ita alibi sacrum illud iter a Praetorii situ ad Calvariae locum in spiritu a fidelibus conficeretur, nempe per exercitium, ut aiunt, Viae Crucis. Hoc sane pietatis exercitio, quod sensim fere ubique institutum, Sancti Leonardi a Portu Mauricio ferventi opera per Italiae regiones saeculo decimo octavo labente diffusum, viget ac floret nostra hac aetate ; depictis tabellis Mysteria Christi Dolorum, vel sacris litteris, vel constanti universali traditione innixa, seorsim referentibus, quattuordecim Loca sive Stationes illius itineris (per auctores et peregrinos cuiuscumque saeculi, necnon ex locali traditione indubie designatas) velut invisimus, ipsumque Dominum patientem et Cruce oneratum devota mente subsequimur. Saluberrimum vero eiusmodi morem, sive piam peregrinationem Viae Crucis Romani Pontifices multo indulgentiarum thesauro locupletarunt. Tantis rationum acti momentis Franciscales praesertim e custodia Hierosolymitana iam dudum concupierant, ut quae pia Mysteria hactenus privato tantum et populari velut more ubique gentium coluntur, ea ipsis in locis ubi parta sunt, atque ab

*Quaedam traduntur de historia devotionis « Viae Crucis », studiis franciscanis, concessis indulgentiis.*

*Hinc pro Fr. Min.* **petitur** *festum cum officio ac Missa propria.*

Ordine Minorum universo legitime celebrari liceret. Hisce itaque votis libenter obsecundans R^mus Pater Bonaventura Marrani, Procurator totius Ordinis Minorum, et nomine R^mi Patris Ministri Generalis, SS^mum Dominum Nostrum Pium Papam X humillimis precibus rogavit, ut festum de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi feria VI ante Dominicam Septuagesimae, sub ritu secundae classis in Kalendario ac Breviario et Missali Ordinis Minorum affigi valeat, cum Officio ac Missa propriis, quorum schema supremae sanctioni Apostolicae Sedis demisissime subiecit.

*Simul, memoratis rationibus, festum pro Fr. Min. petitur septem Gaudiorum B. V. M.*

Cum insuper ad peculiarem devotionem omni antiquitatis aevo celeberrimam, Sancto Martyri Thomae Cantuariensium Antistiti valde familiarem, atque a Summis Pontificibus indulgentiarum largitionibus ditatam, qua Deiparam Virginem in gaudio non minus quam in dolore admirabilem pientissime veneramur, Minorum Ordo antiquitus vocatus dici possit, quemadmodum de Virginis ipsius Doloribus praedicandis et assidue colendis Servorum Ordini munus caelitus traditum fuit; hinc R^mus idem Pater Procurator Generalis festum quoque Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplici secundae classis, Dominica prima post octavam Assumptionis, cum exhibitis Officio ac Missa propriis, ab ipso Minorum Ordine recolendum flagitavit.

*Suffragium Cardinalium die 20 febr. 1906.*

Itaque, ad iuris tramitem, cum E^mus ac R^mus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Relator, eiusmodi Officia cum Missis propria de utroque Festo in ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit, E^mi ac R^mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: *Pro gratia, et ad E^mum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 20 februarii 1906.

*Concessio Pontificia. Dies (14 mart. 1906).*

Postmodum duobus iisdem Officiis ac Missis diligenti studio revisis atque emendatis, hisque omnibus SS^mo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, benigne indulgere dignata est, ut Festum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque alterum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis cum eiusmodi officiis ac missis propriis ab Ordine Fratrum Minorum quotannis expetita Feria et Dominica recoli valeant : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 martii eodem anno.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

# 128. — SS. D. N. PII PP. X

## *LITTERAE APOSTOLICAE 27 MARTII 1906*

## De ratione studiorum sacrae scripturae in seminariis clericorum servanda [1]

*Momentum speciale studiorum S. Scripturae. Finis ad quem sunt dirigenda.*

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti quantum fortasse numquam antea, omnino necesse est adulescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quicquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent ». In eandem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

*Hinc, tamquam utilissima, quaedam statuuntur:*

*I. Necessaria scholae S. Scripturae argumenta.*

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

*II. Disciplinae istius distributio per singulos annos commorationis in seminario.*

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii saepta commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

*III. Apta magisterii constitutio.*

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii condicio et facultates ferent; ubique tamen cavebitur ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi quas ignorare sacerdoti non licet.

*IV. Tradendae « introductiones » et vindicanda librorum auctoritas.*

IV. Cum ex una parte fieri non possit ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere; qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in iis Libris immorabitur ac Librorum partibus quae graviores sunt.

*V. De V. Testam. in universum.*

V. Atque is, ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

---

[1] Quamvis huius decreti statutis sola clericorum seminaria regantur, i. e. seminaria quae a saecularibus clericis frequentantur, tantum est eius momentum tamque oportet ut etiam regularium Superiores ad istas normas suorum studia exigant, ut ei locum in Periodicis nostris facere non dubitemus. Ceterum sunt Universitates regularium quas saeculares clerici etiam celebrant.

*VI. Specialis Psalmorum cura.*

VI. Praesertim curabit ut in alumnis intellegentiam et studium Psalmorum quos divino officio cotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

*VII. De Novo Testamento.*

VII. Quod vero ad Novum Testamentum, presse dillucideque docebit, quattuor Evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistulis ceterisque Libris comprehensam exponet.

*VIII. Singularis cura de locis qui ad fidem vel mores attinent.*

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis qui ad fidem moresque christianos pertinent.

*IX. Non neglegenda pratica informatio.*

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi, eosque ex occasione ad exsequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

*X. Selecti alumni linguis studere debent.*

X. Alumni qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis sint magisteria » (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

*XI. Amplir sit expositio ubi gradus conferuntur.*

XI. In Seminariis quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum, altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologicae, vel geographicae, vel chronologicae, vel theologicae, itemque historicae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

*XII. Praeparentur quidam ad academicos S. Scripturae gradus.*

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur : quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

*XIII. Prudens magisterii exercendi ratio.*

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere : utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negleget ; idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intellegentiam et defensionem Scripturarum conducat ; denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

*XIV. Certum privatae lectioni definiendum tempus.*

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Cum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt ; in quo optimum factu erit breve

aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint. *XV. Periculum faciendum scientiae scripturisticae antequam aliam adire scholam vel sacros ordines suscipere possint.*

XVI. Omnibus in Academiis quisque candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem. *XVI. Ad gradus consequendos quid ultra requiratur.*

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant, ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent. *XVII. Utili lectione perficienda erudutio.*

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint. *XVIII. Instauranda bibliotheca ad usum alumnorum.*

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus. *Praeceptum pontificium.*

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio. *Dies (27 mart. 1906).*

A. Card. MACCHI.

---

## 129. — S. C. NEGOT. ECCLES. EXTR.

### *RESPONSUM*

### De munere deputatorum a clericis exercendo

Ex audientia Sanctissimi, die 2 aprilis 1906.

Quaesitum est ab hac S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita, num clericis sive saecularibus sive regularibus in Gallia liceat, in praesentibus rerum adiunctis, candidatos se sistere in proximis electionibus ad Deputatorum comitia. *Exponitur quaestio.* Re igitur per me infrascriptum Secretarium ad SS^mum^ D. N. Pium PP. X delata, Sanctitas Sua respondere dignata est iisdem id non licere absque consensu proprii Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt. **Responsum.**

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis. *Dies (2 apr. 1906).*

† *Petrus, Archiep. Caesariensis, Secret.*

ANNOTATIO

Postea, ut videtur, aliae datae sunt litterae, quibus praesens responsum in sacerdotes qui in Gallia munus istud iam exercebant non transferebatur.

---

*quid doloris S. Sedi attulissent.*

« rumque amorem nostrum et oboedientiam erga Sanctam Sedem « et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, « humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos « paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos « statim omnibus viribus allaboraturos ut pax populi cum Episco- « pis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus « pacem hanc re vera brevi secuturam ».

*Et allaboraturos ut pax cum Episcopis fieret.*

*Petiit Sua Sanctitas ut Inquisitores eosdem, si starent promissis, benigne haberent.*

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniam reversos, operam daturos, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque idcirco Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, condicionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis ad iuris tramitem, restitueretis.

*At contra, brevi redierunt ad vomitum.*

At spem fefellit eventus ; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quandam dedisse epistulam, veritati ac genuinae oboedientiae minime consentaneam.

*Non fuerunt submissi Vicario Christi, siquidem Episcopis obstiterunt.*

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim « ex Episcopis constat pars Ecclesiae « longe augustissima (prout legitur in epistula diei 17 mensis decem- « bris 1888 s. m. Leonis XIII, Decessoris Nostri, ad Turonensem « Archiepiscopum) quae nimirum docet ac regit homines iure « divino ; ob eamque rem quicumque iis resistat, vel dicto audiens « esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit... Contra, « inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo « attinet ad privatos ; verum ad eos dumtaxat attinet qui sacro in « ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maxi- « mum quippe cui Christus non agnos modo sed oves, quotquot « ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi « aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Ponti- « ficem Romanum deferre ; id tamen caute moderateque, quemad- « modum studium suadet communis boni non clamitando aut « obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignun- « tur, aut certe augentur.

*Eorumque mandata violarunt.*

Inanis pariter et subdola sacerdotis Ioannis Kowalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

*Quare confirmatur suppressionis decretum.*

*Et accessus ad dictam mulierem prohibetur.*

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Ioannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Mariavitarum* consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobatamque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

*Si errantes sacerdo-*

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna caritate

amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris, in sua contumacia perseveraverint — quod Deus avertat — muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis ; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iam diu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

*tes resipicant, cum caritate excipiantur.*

*Si fuerint contumaces, erit in eos animadvertendum.*

*Episcopi fideles ad antiquam pietatem reducere conentur.*

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque nostrae benevolentiae testem, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimur.

*Benedictio Apostolica.*

Datum Romae apud S. Petrum die V aprilis MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

*Dies (5 april. 1906).*

PIUS PP. X.

---

# 131. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (25 maii 1906)

## *RESPONSUM DE EXTENSIONE PRIVILEGII MISSAE VOTIVAE IMM. CONC.*

### Ordinis Minorum Cappuccinorum, prov. Tirolis Septentrionalis

*Orator.*

Rev. Fr. Franciscus Tischler, Lector Ordinis Minorum Cappuccinorum in Provincia Tirolis Septentrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod Rescripto Apostolico diei 14 martii vertentis anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Cappuccinorum celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congregationum, quae in horis canonicis persolvendis Calendario Ordinis Minorum Cappuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis « *in horis canonicis persolvendis* » comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Calendario Minorum Cappuccinorum utuntur quod ad Missam etc., loco autem horarum Canonicarum officium parvum B. M. V. tantum recitant?

*Memorato indulto S. Sedis,*

**Quaerit** *an valeat de Congregationibus quae in sola Missa calendario Fratrum Minorum utuntur.*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito R^mo^ P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Cappuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit : « Affirmative, iuxta Decretum Ordinis Fratrum Minorum 15 aprilis 1904 ad I. »

**Responsum :**

*Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 25 maii 1906.

*Dies (25 maii 1906).*

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

† *D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

# 132. — SS. D. N. PII PAPAE X

## *MOTUS PROPRIUS 26 MAII 1906*

### Duas congregationes exstinguens

*Memoratur institutio Congr. super Disciplina Regulari,*

*Eiusdemque obiectum.*

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus,* Congregationem instituit *super Disciplina Regulari;* quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum,* quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis.*

*Item Congr. de Statu Regularium Ordinum,*

*Eiusque pariter obiectum.*

*Praestat iam ut ambae coalescant cum C. Episc. et Regul.*

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iam diu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

*Abolitae igitur declarantur.*

*Rato firmoque decreto.*

*Dies (26 maii 1906).*

Datum Romae apud S. Petrum die 26 maii anno millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Annotatio

De binis istis Congregationibus egimus in opere *De Religiosis,* t. I, n. **391, 392**. Ceterum et munus quo defungebantur et ratio cur supprimantur ea luce ex ipso Decreto apparent, ut aliis addendis commentariis supersedere possimus.

# 133. — SS. D. N. PII PAPAE X

## *MOTUS PROPRIUS 16 IUL. 1906*

## De religiosorum sodalitatibus nisi consulta apostolica sede non instituendis

PIUS PP. X

*Motu proprio*

*I.* **Introductio.** *Opportunitas novarum Familiarum religiosarum. Describuntur.*

**Dei providentis** benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, iisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam : hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbruisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Verumtamen, quae est humanae condicionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit ; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset ; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut reditibus careret ad sodalium victum necessariis, aut quicquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, cum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus :

*Et laudibus efferuntur.* *Disciplinae perturbatio et confusio ex nimia frequentia.* *Factae iam provisiones a S. Pontifice vel S. C. Ep. et Regul.* *Malum cui nondum est satis prospectum.*

*II.* **Sanctiones.**

*1. Necessaria licentia Apostolica.*

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

*2. Modus licentiam impetrandi.*

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit : quis qualisque sit novae

sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a noviciis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

*3. Vis factae licentiae.*

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito, ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

*4. Constitutiones quomodo condantur.*

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

*5. Novi Instituti Regimen.*

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione « *Conditae* » sancitum est.

*Clausulae.*

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

*Dies (16 iul. 1906).*

Datum Romae apud S. Petrum die XVI iulii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X

ANNOTATIO

*Motus proprii* huius momentum suasit rursus ut in locum consuetarum Annotationum ordinatam quandam subiciamus istius legis doclarationem. Hanc posuimus inter Quaesita varia, supra p. 101.

---

## 134. — SS. D. N. PII Pp. X

### *DECRETUM 16 IUL. 1906*

### De modo quo conficienda est triennalis relatio de Instituto votorum simplicium.

*Obligatio mittendae triennalis relationis memoratur, huiusque celebratur utilitas.*

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderatoribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis exstant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

*Apta tamen ratione facienda est relatio.*

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac

tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

*Hinc confectus Elenchus in plenario S. Cong. coetu approbatus.*

Itaque haec S. Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum quibus distincte indicantur ea omnia quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario Emorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus Institutorum, per modum *instructionis*, cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

*Approbatio S. Pontificis et praeceptum factum superioribus.*

His autem relatis SSmo Dno Nostro Pio Divina Providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto die 17 iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur, ut in triennali relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *Eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

*Derogatio amplissima contrariorum.*

*Dies (16 iul. 1906.)*

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis die 16 iulii 1906.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
*Ph. Giustini, Secretarius.*

## INSTRUCTIO

SEU

## *ELENCHUS QUAESTIONUM*

**ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in Relatione ad S. Sedem tertio quoque anno transmittenda**

### Praemittenda

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando Institutum a S. Sede obtinuerit.
2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.
3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.
4. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.
5. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.

saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore noviciatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi*.

6. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

## I. De Personis

*a) De admissis.*

7. Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.

8. Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.

9. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.

10. (*In Institutis religiosorum*). Num litterae testimoniales per Decretum *Romani Pontifices* praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.

11. Quotiens et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.

12. In quanam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.

*b) De Noviciis.*

13. Quot sint domus Noviciatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

14. Quot novicii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.

15. Quot nunc in Noviciatu degant.

16. Num Novicii a Professis rite separati exsistant.

17. Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.

18. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Noviciatus sub cura magistri degerint.

19. Num, quantum et qua auctoritate, tempus Noviciatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.

20. Utrum Novicii primo noviciatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

21. Num durante secundo anno Noviciatus (ubi peragitur) novicii in alias domus missi fuerint.

22. (*In Institutis Sororum*). Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

*c) De Professis.*

23. Quot nunc sint in Instituto sodales *a*) votorum temporaneorum, *b*) votorum perpetuorum.

24. Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.

25. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.

26. Quot sodales sive professi sive novicii post ultimam relationem obierint.

*d) De egressis et dimissis.*

27. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint *a*) ex noviciis, *b*) ex professis temporaneis, *c*) ex professis perpetuis.

28. Num in dimittendis sodalibus temper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.

29. Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.

30. (*In Institutis Sororum*). Num in casibus dimissionis professarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.

31. (*In Institutis virorum*). Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum *Auctis admodum*; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti

*a*) praemiserint trinam monitionem;

*b*) admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint;

*c*) an, quotiens et qua facultate processerint summario modo.

32. (*In Institutis Sororum*). Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.

33. Num iis quae propriis bonis desiitutae erant, in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

## II. De Rebus

### *a*) *De domibus.*

34. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.

35. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

37. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

39. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

40. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

41. (*In Institutis Sororum*). Num habitatio Cappellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

### *b*) *De bonis.*

42. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae *a*) tum Instituti in communi, *b*) tum uniuscuiusque domus.

43. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari nova mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

44. Num pecuniam semper utili faenore et honesto ac tuto collocaverint.

45. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.
46. Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.
47. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.
48. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.
49. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.
50. Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.
51. Num Procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.
52. Num lites de bonis habeant.
53. Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.
54. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.
55. (*In Institutis Sororum*). Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.
56. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, exsistant.
57. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.
58. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.
59. Num Episcopo iuxta Constitutionem *Conditae* de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.
60. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.
61. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.
62. An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

## III. De Disciplina

### a) *De vita religiosa.*

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.
64. Num omnes sodales cotidie missae sacrificio assistant.
65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.
66. Num observetur Decretum *Quemadmodum a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam, *b*) quoad sacramentalem confessionem: num pariter servetur decretum *Sacra Tri-*

*dentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.

67. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

69. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

70. Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.

71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum Instituti tantum, typis edantur absque Episcopi licentia.

73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis, sodales utantur.

*b) De observantia quarundam specialium legum.*

74. Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint: *a*) quoad litteras convocatorias; *b*) quoad electionem delegatorum; *c*) quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d*) quoad electionem Moderatoris generalis; *e*) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

76. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum iis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.

79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. Num in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

82. An alicubi sodales sint numero insufficientes, ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque condicionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

84. (*In Institutis Clericorum*). Quot annis clerici vacent studiis *a*) litterarum humaniorum, *b*) philosophiae, et *c*) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

*a*) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

*b*) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium

decretum *Auctis admodum* respective praescripta rite perfecerint;

*c*) cetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

• *c*) *De operibus Instituti.*

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. (*Pro institutis quae stipem ostiatim colligunt*).

*a*) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

*b*) Num decretum *Singulari* d. d. 27 mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;

*c*) Num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. (*Pro Institutis Religiosorum*). Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam exsistentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates exsistant *a*) cum Ordinariis locorum, *b*) cum confessariis, *c*) cum cappellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt. Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit condicionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*

L. † S. *Ph. Giustini*, *Secretarius.*

## ERRATUM

Supra, p. 68, in decreto de cotidiana communione quaedam verba exciderunt. Numero enim 8° linea 4 ita supplenda est: hae normae tamquam mere *directivae*, non tamquam praeceptivae putandae sunt.

---

# BIBLIOGRAPHIA [1]

N. B. *Quamvis de nullo opere censuram facere nobis sit propositum, eorum tamen quae ad nos pervenerunt magis completam damus indicationem. His porro signis varios designamus libellos periodicos, ubi de operibus allatis facta est censura.*

A. B. = ANALECTA BOLLANDIANA (Bruxellis, t. XXV)).
A. E. = ANALECTA ECCLESIASTICA (Romae, t. XIV).
C. = LE CANONISTE CONTEMPORAIN (Parisiis, t. XXIX).

### De Theologia Ascetica

Rmus **H. Parkinson. S. T. D., Rector Collegii S. Mariae de Oscott.** *Refectio spiritualis, alumno clerico meditanti proposita.* Brugis. BEYAERT. 1906. 2 vol. in-16, 592 et 560 p. 5,00 frs.

I Vol. Pars I. Via Perfectionis Sacerdotalis.
Pars II. De vita Christi Salvatoris.
II Vol. Pars III. Iter per liturgicum annum.
Pars IV. De Sanctis Dei.
Pars V. De Singulis Ordinibus.

### De indulgentiis

**Franz Beringer,** S. J. *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch.* Paderborn, Schöningh, 1906. 1 vol. in-8° XXIII. 859-64 p. Erster Teil: Die Katholische Lehre und allgemeine kirchliche Bestimmungen über die Ablässe. — Zweiter Teil: Die einzelnen Ablassbewilligungen. I Abschnitt Gebete, fromme Uebungen und Werke der Liebe die mit Ablässen bereichert sind. II Abschnitt. Andachtsgegenstände, Orte und Zeiten an welche Ablässe geknüpft sind. III Abschnitt. Bruderschaften Kongregazionen und fromme Vereine. — Dritter Teil, Verchiedene Formulare.

### De iurisprudentia forensi

**Ian. Simeone.** *Tractatus de canonica dioecesium Visitatione.* Altera editio. Napoli, Pisanzio, 1904, in-4° VIII, 124 p. Pars prima, De subiecto activo et passivo SS. Visitationis. — Pars secunda. De actuali visitatione. — Pars tertia. De locali, reali et personali visitatione. Pars quarta. De S. Visitationis effectibus. — Appendix. Exemplaria edictorum, relationum etc.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

**Salvatore Trama.** *Manuale theorico-practicum pro conficiendis processibus sive ordinariis sive apostolicis in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei.* Editio altera. Napoli, Pisanzio. 1904, in-8°, 367 p.

**Salvatore Trama.** *Manuale teorico-practico per gli ufficiali delle curie ecclesiastiche.* Napoli, Pisanzio. 1904, in-8°, 183 p. Sezione I. Matrimonii. — Sezione II. Clero. — Sezione III. Monache. — Sezione IV. Visita pastorale.

## De Liturgia

**H. Casier.** *Le Décret général de la S. Congrégation des Rites du 27 juin 1893 sur les fêtes primaires et secondaires appliqué à leurs octaves.* Tournai, H. et L. Casterman.

**Beniaminus Panin.** in Semin. Ep. Tarvisino. Rectoris vice fungentis. *Praxis sollemnium functionum Episcoporum, cum appendicibus pro Abbatibus mitratis et Protonotariis apostolicis, iuxta Ritum Romanum.* Romae 1906. apud Fred. Pustet. (A. E. t. XIV, p. 316.)

## De theologia dogmatica

**I. Souben,** O. S. B. *Nouvelle théologie dogmatique.* Fasc. VI. La grâce et les vertus infuses. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie, 1905, in-8°, de 163 p. Première partie. La grâce actuelle. Chap. I. En quoi consiste la grâce actuelle. — Chap. II. De l'acte surnaturel. — Chap. III. La grâce efficace et la grâce suffisante.— Chap. IV. Les systèmes orthodoxes. — Chap. V. Critique des systèmes.— Chap. VI. La grâce et la vie chrétienne.— Deuxième partie. La grâce sanctifiante. Chap. I. La théorie catholique et la théorie protestante. — Chap. II. L'inhabitation du Saint Esprit. — Chap. III. La nature de la grâce sanctifiante. — Chap. IV. Les vertus infuses. — Notes. 1. La grâce et l'argument liturgique. — II. Fragment d'une lettre de St Vincent de Paul sur le jansénisme.

## De theologia morali

**P. Fr. Andrea Tarani a Spalannis,** O. F. M. *Manuale theoretico-practicum pro minoribus Paenitentiariis apostolicis,* in-8, de 860 p. — Romae, Pustet, 1906. (C. p. 440, et A. E. p. 216).

**J. B. Ferreres,** S. J. *La mort réelle et la mort apparente et leurs rapports avec l'administration des sacrements.* Étude physiologico-théologique. Traduction française faite sur la 3me édition espagnole par le Rév. Docteur **J. B. Geniesse,** avec *Notes et Appendices* du même. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie 1906. 1 vol. in-8° 466 XVI p. — Art. I. Importance du traité. — Art. II. Étude remarquable de la question faite par l'académie des SS. Cosme et Damien de Barcelone. — Art. III. Administration du baptême aux fétus et aux nouveau-nés que l'on croit dans l'état de mort apparente. — Art. IV. De l'administration des sacrements aux adultes probablement vivants quoique se trouvant dans l'état de mort apparente.

*(Intermittitur).*

# 135 — SS. D. N. PII PP. X

## *DECRETUM 22 AUG. 1906*

### De quotannis recolenda consecratione generis humani ad SS. Cor Iesu

URBIS ET ORBIS

Quo perennis exstet memoria illius amplissimi religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 maii augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SS. D. N. Pio PP. X. ut, apertis quoque indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SS. Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur. *Occasio et finis instantiae factae.*

Has porro preces eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga Sacratissimum Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito, formula consecrationis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SS. Cordis erunt adiciendae. *Prona SSi voluntas.* *Mandatum.*

Sanctissimus vero, universis Christifidelibus, huic piae cerimoniae corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem Suam orantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem qui sacramentali confessione expiati, etiam ad s. synaxim accesserint, plenariam clementer est elargitus; quas indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Indulgentiae.* *Valor perpetuus gratiae.* *Derogatio contrariorum.*

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 22 augusti 1906. *Dies (22 aug. 1906).*

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

# 136. — SS. D. N. PII PP. X VEL S. RIT. CONGR.

## *INDULTUM 8 AUG. 1906*

### Indulgentiis fovens celebrationem mensis SS. Cordis

*Nomine sodalicii cuiuspiam Neapolitani*, Il Grande Apostolato del mese del S. Cuor, *quod, ex ipso fine suo, pium fovet opus celebrandi mensem SS. Cordis Iesu, scriptae sunt die 11 iul. 1906, litterae devotione plenae ad has impetrandas gratias a S. Pontifice:* *Narrantur preces oblatae ad obtinendas indulgentias.*

*1. Ut in ecclesiis in quibus mensis SS. Cordis sollemniter celebretur, possint fideles, die 30 iunii, lucrari indulgentiam plenariam* totiens quotiens, *defunctorum animis applicabilem;*

*2. Ut, eadem 30 die mensis iunii, contionatores qui mensem contionibus suis honestarunt et Rectores ecclesiarum in quibus sollemnis facta est mensis celebratio, fruantur favore altaris Gregoriani* ad instar.

*3. Ut quicumque piam istam exercitationem promovent, indulgentiam luccrentur 500 dierum quotiens opus aliquod fecerint pro eius diffusione vel perfectiore celebratione, praeter indulgentiam plenariam, quotiens in mense iunio eucharistica dape reficiuntur: quae indulgentiae prodesse possint animabus Purgatoris detentis.*

His precibus est hoc modo responsum :

*Gratiae fons ac dies (8 aug. 1906).*

*Ex Audientia SSmi, die 8 Augusti 1906.*

*Pontifex libenter concedit petitas gratias et apostolicam benedictionem.*

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Cristifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, suprascriptis precibus libenter annuens *pro gratia*, Indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam Benedictionem Apostolicam peramanter impertivit.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

*Pro D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

*Iosephus M. Coselli, Substitutus.*

### Annotationes

1. Tanti momenti visae sunt istae gratiae, ea praecipue quae primo loco ponitur, ut visum sit illas inserere in Periodico Nostro, quod ad ampliandum cultum SS. Cordis Iesu non parum facere potest. Itaque, huc spectat prior gratia, ut in quacumque ecclesia celebretur sollemniter mensis SS. Cordis Iesu, id est, ni fallimur, *cotidie* per mensem iunium publicae fiant exercitationes in SS. Cordis honorem, possint fideles rite confessi ac sacra dape refecti, die 30 iunii lucrari indulgentiam, similem eius quae die 2 augusti, notissimo *Portiunculae* nomine, est in ecclesiis franciscalibus proposita.

2. De altera gratia putamus Altare ad instar Gregoriani concedi non iis tantum qui cotidie per integrum mensem contionem habuerint, sed iis etiam quotquot, ob contiones habitas, in mensis iunii « praedicatoribus » merito ponantur.

---

## 137. — S. C. PROPAGANDAE FIDEI

### *DECRETUM 10 MAII 1905*

### **Laudans Institutum novum Sororum et Constitutiones ad tempus approbans**

*Instantia facta.*

Cum Reverenda Mater Maria Aemilia a SS. Angelis, Priorissa generalis Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Dominici congregationis Sanctae Catharinae Senensis, quarum domus princeps est in loco archidioecesis Milwaukiensis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis qui vulgo dicitur *Racine*, enixe petierit ut Sancta Sedes praedictum Institutum illiusque constitutiones adprobare

dignaretur, eius petitio Romanae Commissioni pro examine constitutionum novorum Institutorum ab hac S. Congregatione dependentium institutae, cui Eminentissimus Cardinalis Franciscus Satolli praeest, prout opus erat delata fuit. Praelaudata vero Reverendissima Commissio, attenta huius Instituti pro missionibus in supradicta regione utilitate, de qua litterae commendaticiae Ordinariorum, in quorum dioecesibus Sororum domus exstant, fidem faciunt, et attenta etiam illius aggregatione ad Tertium Ordinem Sancti Dominici a R. P. Magistro Generali peracta, idem Institutum interim laudandum eiusque constitutiones iuxta schema exhibitum, introductis tamen modificationibus prout in annexo exemplari habetur, ad quinquennium per modum experimenti approbandas censuit. Quare haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, iuxta votum Reverendissimae Commissionis, decretum laudis praefato Instituto et temporaneam praedictam approbationem eius constitutionibus dare decrevit, sperans ipsum tale incrementum consecuturum, ut Sedis Apostolicae approbationem suo tempore obtinere valeat. Quam S. Congregationis sententiam ab infrascripto eiusdem Secretario, in audientia diei 9 maii 1905 SS. D. N. Pio divina Providentia PP. X relatam, eadem Sanctitas Sua in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, et super his praesens decretum fieri mandavit.

*Votum Commissionis.* *Decretum.* *Approbatio pontificia.*

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 10 maii 1905. *Dies (10 maii 1905).*

Fr. Hieronymus Card. GOTTI, *Praefectus.*
*Aloysius Veccia, Secretarius.*

ANNOTATIO

Observes quam accurate secernantur laus Instituti, approbatio Constitutionum, ipsiusque Instituti approbatio.

---

# 138. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (8 nov. 1905)

## *INDULTUM, EX AUDIENTIA SSmi, VARIA MUTANS IN CALENDARIO CISTERCIENSIUM ANT. OBS.*

### Ordinis Cisterciensis

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, Rmus D. Amedeus de Bie, Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SSmo Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit, nimirum : *Orator* **petit** *pro Cisterciensi calendario*

1° Ut festum Sacratissimi Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava elevetur, extendendo integrum Decretum diei 28 iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense.

2° Ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia universali, iuxta Decretum diei 23 aprilis 1895. *elevationem ritus festi SS. Cordis Iesu, Annuntiationis B. M. V.*

*Exaltationis S. Crucis; Assignationem diei fixae pro impedito festo S. Ioseph. Extensionem ad Cistercienses decreti 1896 de orationibus in Missis Defunctorum. Concessio. Dies (8 nov. 1905).*

3° Ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris elevetur, sicut obtinet in Ecclesia universali.

4° Ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quotiens impeditum occurrat Dominica Passionis aut quindena paschali, assignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum 5° ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 iunii 1896 extendantur ad Breviarium Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de sollemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis ceterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 novembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.*

---

## 139. — S. C. PROPAGANDAE FIDEI

### *DECRETUM 18 DEC. 1905*

### Missiones Carolinae una reguntur Praefectura apostolica

*Divisio facta a Leone XIII.*

Decreto S. huius Congregationis Fidei propagandae praepositae, die 15 martii anni 1886 dato, Leo f. r. Papa XIII duas Missiones instituit in Insulis Carolinis, unam nempe Carolinarum Orientalium, Occidentalium alteram, easque Minoribus Capulatis Hispanis excolendas commisit. Cum nuper autem praelaudati Ordinis Minister Generalis ab hoc S. Consilio petierit ut in illis insulis, quae hodie germanicae dominationi subsunt, loco duarum Missionum, unica erigeretur Praefectura Apostolica, quae Provinciae Westfaliensis eiusdem Ordinis curis traderetur, Emi huius S. Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus die 4 vertentis mensis Decembris habitis, hoc negotium pertractandum suscepere. Re itaque mature perpensa, iidem Emi Patres ad maius rei catholicae incrementum in illis insulis procurandum decreverunt ut loco duarum Missionum illic exsistentium, Insularum nempe Carolinarum Orientalium atque Carolinarum Occidentalium, unica constitueretur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata, atque Provinciae Westfaliensis Ordinis Minorum Capulatorum curis excolenda committeretur.

*Instantia pro unione.*

*Sententia S. Congr.*

*Probatio Pontificia.*

Hanc autem Emorum Patrum sententiam SSmo Domino Nostro Pio divina providentia PP. X relatam in audientia insequentis diei ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua benigne approbavit ratamque habuit, et praesens ea de re Decretum edi praecepit.

*Dies (18 dec. 1905).*

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 18 decembris an. 1905.

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praef.*
*Aloysius Veccia, Secret.*

## 140 — S. C EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *EX AUDIENTIA SSmi 6 MAII 1906 DECRETUM 7 MAII 1906*

### Constitutiones approbans Sororum a S. Iuliana

SSmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 6 huius mensis, attentis litteris commendaticiis Antistitum locorum in quibus reperitur Institutum Sororum a S. Iuliana, vulgo *Apostolines du Très Saint Sacrement* nuncupatarum, domum principem habentium in Archidioecesi Mechliniensi, eiusdem Instituti Constitutiones, prout continentur in hoc exemplari, cuius authographum in Archivio praefatae S. Congregationis asservatur, ad sexennium per modum experimenti approbare et confirmare dignatus est, prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

*Dies Audientiae (6 maii 1906).* *Instituti nomen sedes principalis.* *Constitutionum approbatio ad sexennium.*

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 7 maii 1906.

*Dies (7 maii 1906).*

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
*Ph. Giustini, Secretarius.*

---

## 141. — SS. D. N. PII Pp. X

### *RESCRIPTUM 8 IUN. 1906*

### Mutans, ad usum praesertim Monialium, condiciones quarundam indulgentiarum

Cardinalis Episcopus Barcinonen. S. V. humiliter quae sequuntur exponit:

*Orator* **Petit:**

1. Apud Monialium Monasteria haud lucrantur Indulgentiae invocationi « Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis » concessae, eo quod post Missam Conventualem dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis Orator, ut Sanctimoniales indulgentias praedictae invocationi adnexas lucrarentur eam recitantes post Antiphonam « Angelus Domini », quae ter in die exorari solet.

*1. De invocatione, « Cor Iesu sacratissimum. »*

2. Non ita pridem S. V. benigne concessit nonnullas indulgentias pie recitantibus « Domina nostra Sanctissimi Sacramenti ora pro nobis », coram SSmo Sacramento sollemniter exposito; sed plura exstant Monialium Monasteria in quibus non nisi raro Augustissimum Sacramentum sollemniter exponitur. Optandum ergo esset ut illud in Tabernaculo asservatum, pro iis Indulgentiis sufficiens condicio habeatur.

*2. De invocatione, « Dna Nostra SSmi Sacramenti. »*

3. Ad devotionem in Iesum, Mariam et Ioseph magis magisque fovendam, implorat orator, ut fidelibus, eorum nomina coniunctim invocantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur totiens quotiens Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum; nec non Plenaria semel in mense lucranda, pro rite con-

*3. Invocatio Sanctae Familiae.*

fessis ac Communione refectis, qui dictam invocationem cotidie recitare consueverint.

**Conceditur.** Iuxta preces in Domino quoad omnia.

*Dies (8 iun. 1906).* Die 8 iunii 1906.

PIUS PP. X.

*Consignatio S. Congr. Indulg.* Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congni Indulg. Sacrisque Rel. praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secria eiusdem S. Congnis, die 16 iunii 1906.

D. Panici, *Arch. Laodicen., Secret.*

### Annotationes

1. Tertia gratia perspicitur non esse Monialium propria, cum novam concedat indulgentiam omnibus fidelibus propositam, quam hic exscribimus quia in eodem continetur supplici libello, nec nimis multis verbis exprimitur.

2. De extensiva ceterum amplitudine qua binae etiam priores gratiae sunt concessae haec sunt observanda :

a) Prior gratia communis videtur omnibus Monialibus quae, vi regulae suae, addicuntur choro, ita ut Missam habeant proprie conventualem.

Vi, inquam, regulae, ne privilegio priventur Moniales illae quae in Belgio et Gallia non iam nisi simplicia nuncupant vota, ita ut communi Monialium stricte dictarum iure iam non regantur.

Per se quidem gratia ista fere non afficit nisi Monasteria votorum sollemnium; si quae tamen latius dictae Moniales canonicas persolvant horas Missamque audiant conventualem, privilegio isto non excident, ita ut magis observanda videatur circumstantia Missae conventualis, quam votorum qualitas.

b) Altera vero gratia, quamvis per Monialium occasionem sit postulata, verbis generalibus est expressa, ita ut omnibus fidelibus suppressa sit condicio, prius requisita, sollemnis expositionis SSmi Sacramenti.

3. Quaeret quispiam cur post Missam Conventualem Sacratissimum Cor Iesu non imploretur. Ratio petenda est ex responso S. Rituum Congregationis, diei 17 decembris 1888, secundum quam Missa Conventualis, etiam lecta, est Missae cantatae aequiperanda in lege qua Leo XIII Missis privatis tantum annexuit fundendas quasdam preces.

---

## 142. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQ.

### *INDULTUM 13 IUN. 1906 EX AUDIENTIA SSmi*

### Concedens Congr. Missionis faciliorem impositionem Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo

*Orator.* **Petitio.** Augustinus Veneziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum, cuius vigore Sacerdotes dictae Congregationis, qui facultate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo,

*occasione tantummodo magni concursus* illa benedicere valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omissa etiam nominum inscriptione in album confraternitatis.

Et Deum, etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus. **Gratia.**

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 iunii 1906. *Dies.*

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

## 143. — S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

### *DECRETUM 13 IUN. 1906*

### Indulgentiae, Privilegia et Indulta Tertii Ordinis S. P. Dominici

I. — INDULGENTIAE PLENARIAE

*A*) Tertiariis ex utroque sexu confessis et S. Communione refectis: *A. Pro certis adiunctis vel exercitationibus:*

1. Die ingressus in Tertium Ordinem, quo eiusdem habitus recipitur. *Ingressus,*
2. Die professionis. *Professio,*
3. Quotiens potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint. *Exercitia spiritualia,*
4. Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus, per quartam horae partem vel per mediam horam, orationi mentali vacaverint. *Oratio mentalis,*
5. Quo die, canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam vel primae Missae alicuius sodalis adstiterint confessi ac S. Communione refecti. *Prima Missa.*

*B*) Iisdem Tertiariis, si confessi et Sacra Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint: *B. Diebus absolutionis generalis. Horum catalogus.*

1. Nativitatis D. N. I. C.
2. Paschatis Resurrectionis.
3. Pentecostes.
4. SSmi Corporis Christi.
5. Immaculatae Conceptionis.
6. Annuntiationis.
7. Assumptionis.
8. SSmi Rosarii.
9. S. P. Dominici.
10. S. Catharinae Senensis.

*C*) Iisdem Tertiariis, si confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam Ordinis aut Sodalicii devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus festis sequentibus: *C. Pluribus festis diebus.*

1. Nativitatis D. N. I. C. *Hi numerantur.*
2. Circumcisionis.

3. Epiphaniae.
4. Paschatis.
5. Ascensionis.
6. Pentecostes.
7. SSmi Corporis Christi.
8. SSmi Cordis Iesu.
9. Purificationis B. M. V.
10. Annuntiationis.
11. Visitationis.
12. Assumptionis.
13. Nativitatis.
14. SSmi Rosarii.
15. Patrocinii B. M. V.
16. Praesentationis.
17. Immaculatae Conceptionis.
18. S. Raymundi de Pennafort C. O. N.
19. Translationis S. Thomae Aquin.
20. S. Catharinae de Riccis V. O. N.
21. Translationis S. Catharinae Senensis.
22. S. Thomae Aquinatis Doct. C. O. N.
23. S. Ioseph Sponsi B. M. V.
24. S. Vincentii Ferreri C. O. N.
25. S. Agnetis de Monte Politiano V. O. N.
26. S. Petri Mart. O. N.
27. S. Catharinae Senensis V. O. N.
28. S. Pii V Papae et C. O. N.
29. S. Antonini C. O. N.
30. Translationis S. P. Dominici.
31. S. Ioannis O. N. et Sociorum MM. Gorcom.
32. S. Mariae Magdalenae Protect. O. N.
33. S. P. Dominici.
34. S. Hyacinthi C. O. N.
35. S. Rosae Limanae V. O. N.
36. Commem. S. P. Dominici in Suriano.
37. S. P. Francisci Assis.
38. S. Ludovici Bertrandi C. O. N.
39. Omnium Sanctorum O. N.
40. S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. N.

*Similis gratia tribuitur iis qui intersunt praescriptis anniversariis.*

41. Iis qui quattuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis, uni scilicet pro animabus Fratrum, Sororum ac Tertiariorum ipsius Ord. (die 10 novem.), alteri pro animabus suorum consanguineorum et affinium (die 4 febr.), tertio pro familiarum [1] et benefactorum suorum animabus (die 5 sept.), quarto pro sepultis in eorum Ecclesiis et Coemeteriis (die 12 iul.) devote interfuerint ac confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint.

*D. In hora mortis.*

*D*) Iisdem Tertiariis morituris, si ut supra dispositi vel saltem contriti SS. Iesu Nomen ore si potuerint sin minus corde devote invocaverint.

### II. — Indulgentiae Partiales

*A. Septem annorum et quadragen.*

*A*) Septem annorum et totidem quadragenarum :

1. Tertiariis qui saltem corde contrito, diebus in praecedenti

---

[1] Suspicamur vocem hanc esse positam pro *familiarium*.

capite istius catalogi enumeratis, Ecclesiam Ordinis aut Sodalicii visitaverint ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint. *Visitatio Ecclesiae.*

2. Qualibet vice per mediam horam orationis mentalis exercitio devote vacaverint. *Oratio mentalis.*

*B*) Trecentorum dierum : *B. Trecentorum dierum.*

Quotiens aliquod pium opus pietatis vel caritatis, corde saltem contrito, exercuerint. *Pium quodpiam opus.*

### III. — Indulgentiae Stationales

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis, iidem Tertiarii, si Ecclesiam in qua sedes Sodalicii est constituta, vel, ea deficiente, propriam Ecclesiam Parochialem visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem Indulgentias consequuntur quas lucrarentur si Ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint. *Visitatio Ecclesiae pro ecclesiis Urbis.*

### IV. — Indulgentiae pro recitatione nonnullarum precum

1. Pro Responsorio « *O spem miram* » : *Pro Responsorio « O spem miram. »*

Tertiarii, quotiens Responsorium « *O spem miram* » in honorem S. Dominici recitaverint, indulgentiam quingentorum dierum semel quolibet die lucrantur ; et, si per totum annum cotidie illud recitaverint Indulgentiam Plenariam in festo : *a*) S. P. Dominici (4 aug.) ; *b*) Translationis eiusdem S. P. (25 maii) et *c*) Commemorationis eiusdem in Suriano (15 septembris).

2. Pro orationibus S. Catharinae Senensis vel ad ipsam : *Pro orationibus S. Cathar. Senensis vel ad ipsam.*

Tertiarii Indulgentiam centum dierum lucrantur semel in die pro recitatione singularum ex his orationibus :

*a*) Ad S. Catharinam Senens. « *O virgo* » cum versiculo et oratione ;

*b*) Pro Summo Pontifice ab ipsa S. Catharina dictata « *O Dio Supremo ed ineffabile* » ;

*c*) Pro Ecclesia pariter ab ipsa composita « *Ho ricorso a Voi* ».

Omnes et singulae Indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus Defunctorum in Purgatorio detentis. *Indulgentiae valent in suffragium Defunctorum.*

### V. — Privilegia

1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare Missam celebraverint gaudent indulto personali Altaris Privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint. *Altare privilegiatum.*

2. Missae omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae. *Missae privilegiatae.*

### VI. — Indulta

1. Tertiarii degentes in locis ubi nulla exstat Ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalicii, lucrari valent eas omnes Indulgentias quas dictam Ecclesiam visitando lucrarentur, dummodo respectivam parochialem Ecclesiam visitent, ceteris condicionibus adimpletis. *Visitatio Ecclesiae paroch. pro Ecclesia Sodalicii.*

*Commutatio pro infirmis.* 2. Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem Indulgentias ac si personaliter Ecclesiam Ordinis vel Sodalicii visitarent, ceteris tamen condicionibus adimpletis.

*Pro iis qui in communitate degunt.* 3. Tertiarii qui in Collegiis, Seminariis allisque communitatibus degunt, lucrari valent Indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus sacellum visitando, ceteris adimpletis condicionibus.

*Pro Officio parvo B. M. V. secundum ritum FF. Praedicatorum.* 4. Tertiarii recitantes Officium parvum B. M. V. secundum ritum FF. Praedicatorum, easdem Indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti exstat in Breviario Romano recitarent.

### Decretum

*Exponitur occasio et ratio conficiendi Elenchum.* Cum, per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo Ordine respectivo perfruebantur, Supremis Moderatoribus Religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit ut novum Indulgentiarum indicem pro suis Tertiariis Saecularibus proponerent, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum indicem elaboravit, illumque huic S. Congregationi humillime subiecit, quae, adhibita etiam quorundam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit.

*Examinatus probatur.* SSmus vero Dominus N. Pius Pp. X, in audientia diei 13 iunii 1906, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito elencho enumeratis eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt benigne confirmavit, alias vero, loco earum quibus vi communicationis gaudebant clementer est elargitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti *Revocatis aliis indulgentiis et privilegiis.* Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum iisque potiantur Privilegiis et Indultis quae in praedicto elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit absque ulla brevis expeditione.

*Derogatio contrariorum.* Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (13 iun. 1906).* Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 iunii 1906.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodic. Secret.*

### Annotationes

1. In generalibus Comitiis 15 iul. 1903, Emi Patres quibus constituitur S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, hanc aperuerunt mentem, ut Generales quorum interest S. Congregationi elenchum exhiberent indulgentiarum quas suo quisque Tertio Ordini saeculari obtinere cuperet [1]. Quod, cum esset Sanctissimo probatum, Rmus P. Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum,

---

[1] Cfr. Decretum, Periodica, n. 12, t. 1, p. 37.

vestigia premens Fratrum Minorum, Servorum B. M. V., Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Summarium quod modo exscripsimus confecit.

2. Quamvis, in Decreto quod post Summarium ponitur, omnia privilegia revocata videantur, scite tamen nos monet qui Summarium vulgavit, id intellegendum esse in subiecto indulgentiarum argumento. Vigent itaque privilegia alterius rationis, illud v. gr. quo Revmus Ordinis Magister Generalis Tertiariis sacerdotibus saecularibus potestatem facere potest recitandi Breviarium Fratrum Praedicatorum.

3. Illud denique memoremus, Tertiarios qui in communitate degunt et vota faciunt simplicia, frui communicatione indulgentiarum quae primo et secundo Ordini sunt directe concessae. Cfr. decretum 28 aug. 1903 [1].

---

# 144. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

## *INDULTUM EX AUDIENTIA SSmi 13 IUN. 1906*

### Confratern. SS. Rosarii sinuntur post adventum FF. Praedicat. permanere

*Orator, narratis factis,*

Vicarius Provincialis Fratrum Ordinis Praedicatorum in regione Canadensi degentium. ad pedes S. V. provolutus, exponit quod sequitur: Assentiente Reverendissimo Archiepiscopo Quebecensi, Fratres Praedicatores in ipsa urbe Quebecensi recenter advenerunt, Ecclesiam et Conventum ibidem fundaturi. Variae ergo SS. Rosarii Confraternitates, quae iam in tribus Ecclesiis eiusdem urbis, nempe B. V. Mariae, SS. Salvatoris, et S. Rochi, legitime erectae fuerant, ad ipsam Fr. Praedicatorum ecclesiam ipso facto redire deberent, ut cautum fuit in earundem Confraternitatum erectione. Cum tamen huiusmodi Confraternitatum translatio absque notabili fidelium pietatis detrimento fieri non valeat, praedictus superior, ad ipsiusmet Reverendissimi Ordinarii petitionem, humiliter a S. V. necessariam implorat dispensationem, vi cuius, non obstante erectione Confraternitatis Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Fratrum Praedicatorum, tres supradictae eiusdem nominis Confraternitates in eadem civitate Quebecensi exsistentes, in suo robore legitime exsistere et conservari valeant.

*Et legitima sorte trium confraternitatum,* **Petit** *ut in Quebecensi civitate nihilominus permanere sinantur.*

Et Deus, etc.

**Concessio.**

SS. D. N. Pius Pp. X, in audientia habita die 13 iunii 1906 ab infrascr. Cardinali Praef. S. C. Indulgentiis sacrisque Reliq. praeposita, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C. die 13 iunii 1906.

*Dies (13 iun. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

---

[1] Periodica, n. 13, t. 1, p. 38.

## 145. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

### *RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SSmi 13 IUN. 1906*

**Spirituales gratiae pro festis Viae dolorosae D. N. I. C. et Septem Gaudiorum B. M. V.**

*Orator.* Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festis: *a*) Mysteriorum Viae Dolorosae (Feria VI ante Dominicam Septuagesimae), et *b*) Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis (Dominica I post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe:

*Pro duobus festis* **petit.**

*Absolutionem generalem.* I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

*Plenariam indulgentiam pro omnibus fidelibus.* II. Plenariam indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint.

Et Deus, etc.

**Concessio.** Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita die 13 iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (13 iun. 1906).* Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 iunii 1906.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

*D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.*

Annotatio

Utriusque festi institutio recens est et continetur decreto 14 mart. 1906. Cfr. Periodica, t. 2, p. 117, n. **127**.

---

## 146. — SACRAE RITUUM CONGREGAT. (27 iul. 1906)

### *INDULTUM DE MISSA VOTIVA S. FRANCISCI*

**Fratrum Minorum Provinciae Seraphicae**

*Orator* Quo cultus et pietas erga Portiunculae Sanctuarium Assisiense magis magisque foveatur, Reverendissimus Pater frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, votis quoque Religiosorum Seraphicae illius Provinciae satisfacturus, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X humilli-

**Petit,**

mis precibus rogavit, ut Sacerdotibus divinae rei operantibus in pervetusto Sacello *a Rosis* nuncupato, Sancti Patris Francisci miris virtutum exemplis gestisque clarissimo, Missam votivam de eodem Sancto Confessore liceat celebrare, etsi Officium ritus duplicis occurrat, prouti eiusmodi privilegio ditata sunt Sacellum Portiunculae et alterum olim Cubiculum, in quo Sanctus Patriarcha ad caelestia regna transivit.

*Ut sacellum* a Rosis *fruatur privilegio missae votivae, quo fruitur sacellum* Portiunculae *et cubiculum ubi e vivis decessit S. Franciscus.*

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitum Missae votivae privilegium ad Sacellum de Rosis ita benigne extendit, ut cuilibet Sacerdoti ibidem Sacrum facturo, Missam votivam de Sancto Francisco, uti in die quarta octobris, fas sit celebrare; dummodo non occurrat Duplex primae vel secundae classis, aut Festum de praecepto servandum, necnon Feria, Vigilia vel Octava quae sit ex privilegiatis : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

**Indultum.**

Die 27 iulii 1906.

*Dies (27 iul. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

---

# 147. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## *EX AUDIENTIA SSmi 15 IUL. 1906, DECRETUM 30 IUL. 1906*

### Usus cappae magnae Praelatis Benedictinis conceditur

Romani Pontifices non semel Religiosorum Ordines bene de Ecclesia et civili societate meritos, laudibus, honoribus privilegiisque honestarunt. Quod in primis erga Monachorum Nigrorum S. Benedicti Ordinem factum est, quippe qui, historia testante, in his occidentalibus oris, non modo totius monasticae vitae semen, sed etiam bonarum artium eximius vindex et cultor exstiterit. Cum igitur Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas totius Ordinis S. Benedicti, a SSmo D. N. Pio PP X. postulaverit, ut usus Cappae Magnae, quo, ex S. Sedis privilegio, nonnulli Praesules dicti Ordinis fruuntur, omnibus capitibus Congregationum Monachorum Nigrorum Confoederationi suae adscriptarum extenderetur; Eadem Sanctitas Sua Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, peculiarisque suae benevolentiae pignus praefato inclito Ordini dare volens, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 iulii 1906, benigne concessit, prout praesentis Decreti tenore concedit usum Cappae Magnae omnibus Praesulibus Congregationum eidem Ordini adscriptarum, ipsis Praesulibus indulgens, ut ea uti valeant non modo in propriis ecclesiis, verum etiam in ecclesiis totius Congregationis cui praesunt.

*Gratiae opportunitas,*

*Postulatio,*

*Concessio in audientia 15 iulii,*

*Concessionis vis.*

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Derogatio contrariorum.*

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 30 iulii 1906.

*Dies (30 iul. 1906).*

D. Card. Ferrata, *Praef.*
*Ph. Giustini, Secret.*

## 148. — SS. D. N. PII Pp. X

### DECRETA 31 IUL. 1906

### De Societate SS. Rosarii

A. *Facultas delegandi sacerdotes ad socios recipiendos.*

*Orator.* Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, ab Ea humiliter petit sibi suisque successoribus fieri facultatem delegandi ubique locorum Sacerdotes, sive Regulares, sive Saeculares, ad hoc ut Christifideles utriusque sexus in Societatem SS. Rosarii recipere, eorumque Rosaria, Rosas et candelas benedicere valeant, cum applicatione Indulgentiarum a Summis Pontificibus eidem Rosarii Confraternitati concessarum, firmo remanente onere mittendi, data opportunitate, adscriptorum nomina ad aliquam Confraternitatem canonice erectam.

**Petitio.**

**Gratia.** Et Deus.

*Dies (31 iul. 1906).* Iuxta preces, die 31 iulii anno 1906.

PIUS Pp. X.

ANNOTATIO

Observet lector facultatem fieri delegandi *ubique locorum :* ergo etiam ubi sint Ordinis conventus.

B. *Restitutio indulgentiae centum annorum et totidem quadragenarum.*

*Orator,* Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus exponit quod Innocentius VIII, in Bulla « *Splendor paternae gloriae* », diei 26 feb. 1491, ita edixerat :

*Memorato indulto Innocentii VIII.* « Nos cupientes ut ipsi Confratres et Consorores sedulius Rosa« rium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant... quo « ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se fore refec« tos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et « Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus et Auctori« tate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis « confratribus et consororibus conscriptis, vere paenitentibus, nunc « et pro tempore exsistentibus, Rosarium deferentibus centum « annos et totidem quadragenas Indulgentiarum de iniunctis sibi « paenitentiis, misericorditer in Domino indulgemus.

« Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. »

*Eiusque suppressione.* Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in Catalogo Indulgentiarum, die 29 aug. 1899, a fel. rec. Leone XIII approbato, quo edicitur « quascumque alias Indulgentias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas », praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii Confratrum et Consororum nomine, humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum Indulgentiam, semel in die lucrandam ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

*Petit indulgentiae renovationem.*

*Gratia.* Et Deus.

*Dies (31 iul. 1906).* Iuxta preces in Domino, die 31 iulii anno 1906.

PIUS Pp. X.

# 149. — S. CONGR. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

## *INDULTUM EX AUDIENTIA SS^mi, 8 AUG. 1906*

## De Ecclesiis et Oratoriis quorum curam habent Tertiarii religiosi S. F.

Per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 augusti 1903, concessum est, ut Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia emittentium Ecclesiae aut Oratoria publica iisdem indulgentiis gaudeant quibus perfruuntur Ecclesiae aut Oratoria publica respectivi primi et secundi Ordinis. Altero dein Decreto, sub die 22 martii 1905, hoc indultum in favorem Tertiariorum et personarum cum ipsis in communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica. *Memoratis decretis superioribus,*

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto Decreto huius S. Congregationis sub die 18 augusti 1868 [1], dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae, etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive publice sive privatim exercent. *Orator*

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda : *Proponit* **dubia.**

I. An indultum, per Decretum sub die 22 martii 1905 concessum, extendatur ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum. Collegiorum. etc.) quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel temporalis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est? *De extensione Indulti ad Ecclesias non proprias.*

Et quatenus negative :

II. An non expediat concedere, ut dictae Ecclesiae vel Oratoria sive publica, sive etiam semipublica, eodem indulto gaudeant, saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur indulgentiis respectivi primi et secundi Ordinis? *Petitque extensionem quatenus opus sit,*

III. An non expediat indulgere, ut membra Congregationum Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degentia, in quibus non exsistunt Ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant indulgentias Ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea condicione, ut, loco Ecclesiae aut Oratorii primi et secundi Ordinis, parochialem Ecclesiam visitent. cum Tertiarii saeculares S. Francisci simile privilegium obtinuerint (Decr. 31 ian. 1893)? *Et ad ecclesiam parochialem in certo casu.*

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarum Ordini FF. Minorum Capuccinorum concessarum, ab hac S. Congregatione approbatum, « Altare Maius omnium Ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio cotidiano pro Missis quae in eodem celebrabuntur, etc. » Iam quaeritur, utrum hoc Privilegium vi Decreti huius S. Congregationis diei 22 martii 1905 etiam extensum fuerit ad altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum? *De altari privilegiato in oratorio semipublico.*

---

[1] *Decreta authent.* n. 424. Causa erat Soc. Ies.

Et quatenus negative :

*et Xenodochii.*

V. Utrum hoc Privilegium Altaris saltem extendatur ad Altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Min. Capuccinorum aggregati ad infirmorum assistentiam sive spiritualem, sive temporalem degunt, et quidem vi Indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat : « Religiosi, qui debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis Conventibus moram haberent? »

*Coetus Em Patrum die 7 aug.*

Et Emi Patres in Generalis Congregatione ad Vaticanum coadunati responderunt die 7 augusti 1906 :

**Responsa.**

*Ad I.* Ad I. Negative.

*Ad II.* Ad II. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

*Ad III.* Ad III. Affirmative, et ad mentem; mens autem est, quod si in loco ubi degunt Tertiarii adsit Ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis, haec erit omnino visitanda, nisi distent nimis ab Institutis, quibus ipsimet inserviunt, id est non ultra milliarii spatium. His vero deficientibus, indultum concedi poterit, quo Ecclesia parochialis, similiter non distans ultra milliarium, visitari valeat ; secus alia quaecumque Ecclesia, prout libuerit adeunda, facto verbo cum SSmo.

*Ad IV et V.* Ad IV et V. Non proposita.

*Approbatio et gratia Sanctissimi.*

De quibus omnibus facta relatione SSmo Dno Nostro Pio Pp. X in Audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 8 augusti 1906, idem SSmus Emorum Patrum resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, nec non indultum in III dubio propositum benigne concessit.

*Dies (8 aug. 1906).*

Datum Romae, e Secret. eiusdem S. Congregationis, die 8 augusti 1906.

A. Card. Tripepi, *Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

## Annotationes

1. Orator in suis quaesitis varia commemorat decreta, quorum vel extensionem postulat vel declarationem.

Decreta 28 aug. 1903 et 22 mart. 1905, quae de Tertiariis sunt religiosis, habentur in t. 1, Periodica, n. **13**, p. 38 et n. **59**, p. 152.

Privilegium porro vi cuius possunt Tertiarii saeculares in parochiali ecclesia lucrari Franciscalium ecclesiarum indulgentias, ubi nulla exstat vel Ordinis ecclesia vel ecclesia in qua saecularis Tertii Ordinis congregatio canonice sit erecta, repetitur ex responso 31 iun. 1893, ad XII, quod exscripsimus in t. 2 *De Religiosis*, n. **280**, p. 737-740.

2. Quartum et quintum oratoris dubium proposita non fuerunt. Ut de his mentem nostram aperiamus, videntur nobis responsum exigere negativum. Tam enim in rescripto 22 martii 1905 quam in indulto Fratrum Minorum Capuccinorum quod in ipsis dubiis citatur, indulgentiae reservantur lucrandae *certis personis*, dum in dubio IV et V quaeritur de indulgentia quae *altare maius* sacellorum afficeret, ita ut omnibus ibi litantibus necessario prodesset.

## 150. — S. CONG. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

*RESPONSUM 8 AUG. 1906*

### Tertiarii ex religiosis nova cooptatione non indigent

Raphaël Delarbre, Ordinis Minorum S. Francisci Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita postulavit nempe : *Orator.*

Utrum Religiosi votorum simplicium, qui ante ingressum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis admissi fuerant, ad saeculum per solutionem votis rite redeuntes, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint? **Dubium.**

Et E$^{mi}$ Patres in Congregatione generali ad Vaticanas aedes habita die 7 augusti 1906 respondendum mandarunt: *S. Congr. 7 aug. 1906).*

Negative. **Responsum.**

In audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni, E$^{morum}$ Patrum sententiam, relatam ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, SS. D. N. Pius PP. X approbavit et confirmavit. *Approbatio pontificia.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 8 augusti 1906. *Dies (8 aug. 1906).*

A. Card. Tripepi, *Praefectus*

*D. Panici Archiep. Laodicen., Secret.*

Annotatio

Decretis S. C. Indulg. et SS. Reliquiarum, 25 iun.-16 iul. 1887, et 10-31 ian. 1893, ita religiosi, etiam votorum simplicium, Tertiis Ordinibus saecularibus dicuntur excludi, ut ii quoque qui ante religiosum statum in Tertium Ordinem cooptati sunt, a momento votorum religiosorum desinerent ad Tertium Ordinem pertinere. Hinc ratio fuit dubitandi, quid iuris, si iidem deinceps saeculum legitimo modo repeterent. Novane requiritur allectio, an pristina re ipsa reviviscere censetur? Atque posterius istud obtineri, iam constat ex modo recitato responso.

De sollemniter autem Ordinum professis non fuit causa quaerendi, cum, etiam saecularizati, vota sua conservare soleant. Sin minus, eodem iure uterentur.

---

## 151. — S. CONGR. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

*RESPONSUM 8 AUG. 1906*

### Iubilari S. Benedicti numismati indulgentia Portiunculae coniuncta non est

*Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci*

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum exhibuit, nempe : *Orator.*

**Dubium (reformatum).** « Utrum Numisma Sancti Benedicti Iubilare, a sanctae memo-« riae Pio Papa IX, per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub « die 31 augusti anni 1877 specialibus Indulgentiis ditatum, « annexam habeat Indulgentiam Portiunculae? »

**Responsum.** Et Eminentissimi Patres ad Vaticanum in Generali Congregatione coadunati die 7 augusti 1906 proposito dubio respondendum mandarunt :

« *Negative* ».

*Approbatio pontificia.* Quam resolutionem Eminentissimorum Patrum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 8 eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

*Dies (8 aug. 1906).* Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 8 augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*
*D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.*

ANNOTATIO

1. Fusa totius causae hoc responso diremptae expositio reperitur in ANALECTA ECCLESIASTICA, t. XIV, p. 409-413.

Satis nobis erit paucissimis verbis dubii occasionem narrare. Cum anno 1880 centenaria sollemnia celebranda essent in honorem S. Benedicti, Pius IX Brevi 31 aug. 1877 novis ditavit indulgentias S. Benedicti numisma quod, per iubilaei occasionem Abbatis Montis Cassini curis recusum, ab Abbate istius archicoenobii vel delegato presbytero sibi traditum, fideles gererent. Ipsis si quidem concessit, visitata qualibet ecclesia vel oratorio publico, omnes indulgentias quas visitantibus Basilicam Cathedralem ecclesiam et cryptam ac turrim S. Benedicti elargita est S. Sedes.

Age porro, Basilica praedicta Indulgentiam Portiunculae etiam participat. Hinc in foliolo quodam ad iubilare S. Benedicti numisma propagandum conscripto asserebant, in qualibet iam ecclesia vel oratorio publico indulgentiam istam lucrari posse quotquot fideles dictum numisma secum gererent.

Duo tamen huiusmodi conclusioni refragari videbantur :

a) Indultum Pii IX eas videtur spirituales gratias respicere quae locorum Cassinensium intuitu directe sunt concessae, ita ut sanctuariorum istorum quasi propriae videantur, minime autem eas quae per quandam extensionem, qualem multa habent templa, ex Franciscalibus ecclesiis ad basilicam Cassinensem ut ad alias, indulto plerumque temporali, perveniunt. Huiusmodi indulgentia cum S. Benedicti veneratione nihil habet commune.

b) Indulgentiae Portiunculae gratia est specialissima, quae concessione communi non comprehenditur.

2. Atque haec quidem E^mos^ Patres movere potuerunt ut suo suffragio benigniorem conclusionem improbarent. Inde etiam aliquam confirmationem accipit sententia quae negat Portiunculae indulgentiam per privilegiorum et indulgentiarum communicationem acquiri posse. *Aliquam* dico confirmationem. Cum ipsam enim rationem ignoremus qua Cassinensia sanctuaria Portiunculae indulgentiam participent, firmum argumentum ex actis erui nequit.

# 152. — SS. D. N. PII PP. X

## *BREVE 10 AUGUSTI 1906*

## Privilegiis fovens consociationem « Sacerdotalis eucharistici foederis »

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, pias societates ad pietatis et caritatis opera exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus, ut iis auctae uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet iure ac merito esse accensendam piam sacerdotum associationem quae sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii canonice instituta exsistit, ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon Procuratoris Generalis Instituti Sacerdotum SS^mi^ Sacramentis votis ultro libenterque annuentes, associationem ipsam tam frugiferam, quae hisce potissimum tam gravibus temporibus, iuxta tenorem Decreti a Congregatione Sacrae Tridentinae Synodi interpretationi praeposita, die XX decembris mensis anno superiore editi, exauspicato intendit ad Communionis frequentis et cotidianae usum inter fideles provehendum, singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Foedus allectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegiati personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus; nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora sacris operari, et similiter a prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim distribuere, atque iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virg. et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari; et intra celebrationem triduanae supplicationis iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem Generalem, Christiano adstanti populo, plenaria adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque praescriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quotiens iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive caritatis opus adimpleant, de numero poenalium dierum, in forma Ecclesiae solita, iisdem allectis in ipsum Foedus, nunc et in posterum, sacerdotibus trecentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in Sacerdotali Eucharistico Foedere nunc et posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam paenitentibus qui cotidie vel quasi cotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Praeterea Ap. Nostra Auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum, Associationem memoratam sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in Archiassociationem, sive primariam, cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalicii autem eiusdem Moderatori et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe canonice erectas sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri r. m. aliisque Apostolicis Ordinat.

*Benignitatis causa. Facta petitio.*

*Consociationis describitur finis.*

*Variae ei conceduntur gratiae spirituales.*

*Erigiturque in archisodalicium.*

desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac paenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalicio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, Apostolica item Nostra Auctoritate p[tium] vi facultatem perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus et Ordinat. Apostolis ceterisque contrariis quib[que].

*Clausulae.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die X augusti MCMVI, Pontificatus Nostri Quarto.

*Dies (10 aug. 1906).*

Pro D[no] Card. MACCHI
*Nicolaus Marini, Subst.*

---

# 153. — EMINENTISSIMI CARDINALIS VICARII URBIS

## *LITTERAE CIRCULARES 17 AUGUSTI 1906*

### Ad Superiorissas Institutorum monialium et sororum Urbis

*Litterarum argumentum.*

Il [1] sottoscritto Cardinale Vicario di Sua Santità, allo scopo di prevenire inconvenienti che potrebbero facilmente verificarsi con grave pregiudizio degl' Istituti femminili di Roma, inculca l'esatta osservanza delle seguenti disposizioni:

*De novis scholis vel asylis.*

1. Gl' Istituti religiosi femminili destinati all' insegnamento non apriranno in Roma nuove scuole o nuovi asili senza averne ottenuto il permesso della Commissione pontificia delle scuole, per mezzo del deputato ecclesiastico del monastero.

*De magistris saecularibus.*

2. Le RR. M. Superiore non si rivolgeranno a maestre secolari per essere aiutate nell' insegnamento senza il permesso del deputato ecclesiastico, al quale spetta assumere precedentemente le necessarie informazioni.

*De scholis publicis.*

3. Non dovranno le suore, siano esse professe o novizie o probande, frequentare le scuole publiche. Nei casi speciali ritenuti di

---

[1] Litteras sic latine reddimus:
Infrascriptus Cardinalis Vicarius Suae Sanctitatis, ut incommoda praevertat non levia quae Institutis religiosarum Urbis facile obvenire possent, exactam inculcat sequentium dispositionum observantiam:
1. Instituta religiosarum quae instituendis puellis vel adulescentibus deputantur Romae nullas novas scholas vel nova asyla aperient, quin, per ecclesiasticum monasterii deputatum a pontificia scholarum commissione licentiam impetrarint.
2. RR. MM. Superiorissae magistrarum saecularium operam in tradendis litteris non sollicitabunt, sine venia deputati ecclesiastici deputati, ad quem spectat necessarias informationes prius capere.
3. Sorores, sive professae, sive noviciae, sive postulantes, scholas publicas ne frequentent. In specialibus casibus qui absoluta necessitate videntur commendari, infrascriptus Card. Vicarius accuratum causae

assoluta necessità, il sottoscritto Cardinale Vicario si riserva di esaminarli accuratamente, per decidere se si debba dare o negare il permesso richiesto. Tale proibizione si estende anche alle educande che dipendano dale religiose. Si eccettuano i pensionati istituiti esclusivamente per signorine che frequentano le scuole anzidette, per i quali verrano date norme speciali.

4. Non si riceveranno donne che bramino di vivere ritirate in una casa religiosa, senza il permesso in iscritto del deputato ecclesiastico, il quale esaminerà le singole domande, per giudicare se siano degne di essere prese in considerazione, e non concederà la licenza, senza prima avere assunte da fonti sicuri le necessarie informazioni. Trattandosi di monasteri di stretta clausura, si dovrà chiedere la licenza alla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari. *De hospitandis mulieribus.*

5. Le RR. MM. Superiore non manderanno le suore alle pubbliche botteghe a fare le spese giornaliere per la cucina, ma dovranno servirsi per questo ufficio di probe persone seculari. *De cotidianis emptionibus in tabernis.*

6. Si ammoniscono severamente le Superiore di non permettere che le suore vadano abusivamente sole per le vie di Roma, specialmente nelle ore di notte. *De egressu sine socia.*

7. Non è permessa la questua in Roma, senza averne ottenuta la licenza in iscritto per mezzo del deputato ecclesiastico. Le singole domande saranno diligentemente esaminate, e quando sarà il caso di concedere la chiesta licenza, si daranno insieme norme opportune per rimuovere il pericolo di deplorevoli inconvenienti. *De quaestuatione.*

Per l'esatta osservanza di queste disposizioni, confida il sottoscritto nello zelo delle RR. MM. Superiore, sopra le quali e sulle communità da loro dirette invoca di tutto cuore le piu elette benedizioni del Signore. *Commendatio. Benedictio.*

Dal vicariato, 17 agosto 1906. *Dies (17 aug. 1906).*

PIETRO, *Card. Vicario.*
*Francesco Can. Faberi, segretario.*

---

examen ad se revocat, ut statuat de danda vel neganda requisita licentia. Prohibitio ista etiam educandas afficit quae religiosis subduntur. Excipiuntur conservatoria quae exclusive destinantur puellis quae dictas scholas frequentant. Huiusmodi Institutis speciales normae praestituentur.

4. Mulieres quae in domum religiosam se recipere cupiunt et ibi dies agere, non admittentur sine scripta licentia ecclesiastici deputati, qui singulas causas examinabit, ut iudicet qua consideratione sint dignae, nec facultatem dabit nisi prius, ex tutis fontibus, necessarias habuerit informationes. Si vero agatur de monasteriis strictae clausurae, facultas est a S. Congregatione Episcoporum et Regularium impetranda.

5. Pro cotidianis culinariis expensis, RR. MM, Superiorissae in publicas tabernas non mittent sorores, sed ab honestis personis saecularibus hoc operae genus exquirere debebunt.

6. Severe monentur Superiorissae, ne abusum hunc tolerent, quo sorores per Urbis vias solae incedant, praesertim per tempus nocturnum.

7. Quaestuatio in Urbe non permittitur, nisi per ecclesiasticum deputatum scripta obtenta fuerit facultas. Diligens fiet de singulis postulationibus examen; quod si danda videbitur facultas, simul opportunae tradentur normae, ut lugendorum incommodorum amoveatur periculum.

Statutorum istorum exactam observantiam infrascriptus Cardinalis a zelo exspectat RR. MM. Superiorissarum, quibus ipsis, una cum communitatibus earum moderationi concreditis, ex pleno animo selectissimas Domini benedictiones apprecatur.

Ex aedibus Vicariatus, 17 augusti, 1906.

PETRUS, *Cardinalis Vicarius.*
*Franciscus, Can. Faberi, Secretarias.*

ANNOTATIO

Articulus quartus horum statutorum conferendus est cum priore sanctione, eaque mitiore litterarum 18 maii 1905, quas cfrs. hic supra, p. 11, n. 74.

---

## 154. — S. CONG. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

### *RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, 12 SEPTEMBRIS 1906*

### De corona septem Gaudiorum B. V. M.

*Beatissime Pater*

*Orator.* Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem coronae septem Gaudiorum, ut fideles recitationi publicae eiusdem **Petitio.** coronae in ecclesiis Trium Ordinum S. Patris Francisci assistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, indulgentias lucrari valeant, quin coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quotiens duo vel plures eandem simul coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti coronam materialem habere, ceteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impedientibus, moderatori in recitatione sociari, prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis et signanter pro corona septem dolorum Virginis, a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 iunii 1898 indultum est, ne secus fideles coronam non habentes tot indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes.

Et Deus, etc.

**Gratia.** Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 12 septembris 1906, ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*Dies (12 sept. 1906).* Datum Romae, e Secretaria eiusdem Cong. die 12 septembr. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*

*D. Panici Archiep. Laodicen., Secret.*

---

## 155. — S. CONGR. CONCILII

### *RESPONSUM 15 SEPTEMBRIS 1906*

### De Sacra Communione

*Romana et aliarum*

*Memoratur decr. 20 dec. 1905.* Die 20 decembris 1905, SSmus D. N. Pius PP. X, ex Sacrae huius Congr. consulto decretum edidit *De cotidiana SS. Eucharistiae sumptione*, quo « omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut

« condicionis » summopere commendatur Communio frequens et « cotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia « optatissima ; ita ut nemo qui in statu gratiae sit et cum recta « piaque mente ad S. mensam accedat, prohiberi ab ea possit. »

Inibi praeterea sub n. 7 statuitur : « Communio frequens et « cotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis « promoveatur..., quam maxime quoque promoveatur in clericorum « Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio, item in aliis « christianis omne genus ephebeis ». *Praecipue eius n. 7.*

Quin immo, ut laudabilis ac valde Deo acceptus communionis cotidianae usus efficacius in dies ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 maii 1905 omnibus Christifidelibus, qui devote recitaverint orationem pro pii usus cotidianae communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per decretum *Urbis et Orbis* diei 14 februarii 1906 a Sacra Cong. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita datum, benigne elargitus est ut per cotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentiae, absque onere confessionis hebdomadariae. *Et decretum 14 feb. 1906.*

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant litterae quamplures Episcoporum, ac Superiorum Ordinum religiosorum ad S. C. directae, necnon ephemerides non paucae quae de Decreto diei 20 dec. 1905 egerunt. *Laetanter haec sunt excepta.*

At una simul dubia et postulationes ad S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes. *Simul tamen nata dubia.*

En quae ad rem scribebat religiosus vir e Belgio :

« D'abord, les pauvres *malades* resteront-ils seuls exclus des « faveurs du Saint-Siège ? Ceux qu'une infirmité chronique ou « prolongée empêche d'observer dans toute sa rigueur le jeûne « eucharistique n'obtiendront-ils pas quelque adoucissement, de « manière à n'être pas privés, durant de longues semaines, du Pain « de Vie. Actuellement la plupart des prêtres ne croient pas pouvoir « accorder la communion, sauf à ceux qui ont reçu les sacrements « des mourants, et dans la période où le danger persiste. *Nominatim de infirmis.*

« Un autre vœu concerne les *enfants*. Le Décret du Saint-Père, « quoique reçu avec la plus entière soumission, ne détruit pas « subitement l'effet de longs préjugés, puisés dans l'étude et accrus « par la pratique. Pour ce motif, des prêtres sages et pieux redou- « tent qu'on ne se montre encore hésitant et sévère pour accorder « la communion quotidienne aux jeunes enfants. Leur crainte « s'augmente de ce que le mot « ephebei » du Décret, pourrait être « restreint, par des esprits prévenus, aux seuls adolescents. Il est « pourtant certain, et par la raison et par l'expérience, qu'il importe « *avant tout* de faire communier les plus jeunes enfants, afin qu'ils « s'imprègnent de la grâce de Notre-Seigneur — *imbuantur Christo* « — avant que les passions n'aient ravagé leurs cœurs. Hélas ! « trop souvent maintenant c'est le contraire, et la difficulté grossit « doublement et de faire accepter un remède aussi nécessaire, et de « détruire les effets déjà si profonds, dans l'esprit, dans le corps et « dans la volonté, de passions mauvaises auxquelles les enfants « sont plus exposés que jamais. Les prêtres qui pensent ainsi vous « offrent leurs humbles et instantes prières pour que Sa Sainteté *Et de pueris mox post primam communionem.*

« daigne redire avec autorité à tous les prêtres la parole de Jésus-« Christ : *Sinite parvulos venire ad me !* Les vœux seraient com-« blés si en même temps l'exemple de Cottolengo, de don Bosco, « et d'autres apôtres si saints et si éclairés de l'enfance, était « publiquement loué et proposé à l'imitation ».

*Mos plurium dioecesium de his pueris.*

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus mos hucusque fuisse quod pueri et puellae ad primam Communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare ; immo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe sollemni functione primae Communionis.

Unde praeclarissimus vir rogavit SSmum D. N. ut dignaretur duo haec dubia resolvere :

*Hinc duo* **dubia.**

I. — *Cotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderine debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem ?*

II. — *Infirmis qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur ?*

*Disceptatio Secretarii.*

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad Sacrum Vestrum Ordinem remiserit, nonnulla de more hinc inde quoad utrumque dubium adnotabo.

*A.* De pueris. *Allegata pro rara eorum communione.*

Et quoad primum, rationes quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur.

*Defectus discretionis, periculum irreverentiae,*

Ipsi enim non ea adhuc discretionis mente praediti apparent quae requiritur ad hoc ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Cum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur, saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiae ita exponentes.

Iamvero, uti docet Card. Bellarminus (*De sacram. Euchar., lib. 4, cap. 23*), « ex duobus malis semper est eligendum minus « malum : est autem minus malum ut homines aliqui careant bono « non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenter periculo « irreverentiae exponatur ». In casu igitur, cum pueri cotidiana Communione non necessario indigeant, nec sine irreverentia iis dari possit, consultius iisdem deneganda esse videtur.

*et sacrilegiorum ex hypocrisi ;*

Accedit quod per nimiam Communionis cotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde vi etiam metus reverentialis in maiora quoque sacrilegia prolabuntur. Unde Tarino (*Il libro del buon pastore*), quamvis moneat rectorem clericorum in Seminariis degentium, ut in genere frequentiam sacramentorum, praesertim vero Communionis, indigitet, addit tamen : « Ma ti guarda assai dal dire a qualcheduno che si accosti « più di frequente alla Communione, perchè le tue parole potreb-« bero essere causa di sacrilegio e d'ipocrisia. »

*Condiciones positae ab Innocentio VIII ;*

Quinimmo Innocentius XI, in Bulla *Cum ad aures*, diei 12 februarii 1679, normam tradens Communionis cotidianae concedendae, eam dimetiendam esse docet : « ex conscientiarum puritate et « frequentiae fructu, et ad pietatem profectu ». Quae omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus

moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabuntur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt.

*Et ipsa recentis Decreti verba.*

Demum in ipso decreto H. S. C. sub n. 7 edicitur ut haec Communio : « quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis..., « item in aliis christianis omne genus ephebeis ». Quapropter non satis patet Communionem in casu aliis pueris qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper *ephebus* idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 12 pro maribus et 14 pro feminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri exclusi videntur.

*Allegata pro frequenti puerorum communione.*

*Vetus disciplina de communione parvulorum.*

At ex adverso, non minora stant pro frequenti puerorum Communione. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat Card. Bona (*Rerum liturg.*, *lib. 2*, *cap. 12*, *n. 2*). Tunc temporis in usu erat ut quicumque baptizabantur, sive adulti, sive infantes, una simul pane Eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, cum et ipsum Conc. Trid. (*Sess. 21*, *cap. 4*, *de Comm.*) dicat : « Neque ideo damnanda est « antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando ser- « vavit. » Et merito ; nam, ut habet Bellarminus (*loc. cit.*, *lib. 1*, *c. 7*), « infantes in baptismate ius acquirunt ad Eucharistiam per- « cipiendam ».

Quocirca factum est ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent ; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemadmodum idem Card. Bona (*loc. cit.*) ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio cur haec frequens, immo et cotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

*Salutaris ex opere operato efficacia.*

Idque eo vel magis quia necesse omnino est ut pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro *De imitatione Christi* (*lib. 4*, *cap. 3*) haec leguntur : « Proni enim sunt sensus hominis ad « malum ab adulescentia sua ; et nisi succurrat divina medicina, « labitur homo mox ad peiora... Retrahit ergo sancta Communio « a malo et confortat in bono ». Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non reperiant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis exspectandum est *ex opere operantis*, quia, praeterquam quod ignorantia in pueris ab innocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

*Innocentia ignorantiam compensans.*

*et maturitatem supplens, teste de Segur.*

Unde De Ségur [1] (*La SS. Comunione*) haec inter alia habet : « I giovanetti, al pari degli adulti, possono e debbono comunicarsi « spesso. Nostro Signore non richiede da loro se non quel che son « capaci di dargli ; ed egli conosce meglio di noi questa leggerezza

---

[1] Locum istum ex integro damus ex altera editione opusculi gallici, *La très sainte communion*.

« Les enfants, aussi bien que les grandes personnes peuvent et doivent communier souvent. Notre-Seigneur ne demande que ce qu'ils sont capa-

« che ci spaventa; ma egli sa altresì, e molto meglio di noi, che « l'innocenza è il più prezioso di tutti i tesori, che il demonio vuol « rapirla ad essi per tempo, e che la sola Comunione può difenderli « dalle astuzie del nemico... Per ben comunicarsi basta ricevere il « Salvatore con buona volontà. Ciò si avvera tanto nei fanciulli « che negli adulti; e l'esperienza fa conoscere che nella buona « volontà di un fanciullo che ha fatta la sua prima Comunione, si « trova la sincerità più schietta. Egli ama Gesù Cristo, egli lo « desidera; e perchè non darglielo? Bene spesso egli è degno di rice« verlo più di noi altri, che non apprezziamo la di lui pietà.... La « leggerezza non fa ostacolo alla santa Comunione, se non quando « è volontaria... I ragazzi son leggeri. Sì, ma son buoni e affet« tuosi; e perciò, al bisogno che hanno di amare fa d'uopo dare il « suo vero alimento. Bisogna far loro amare Gesù Cristo, e a tal fine « metterli spesso in intimo rapporto con lui. I loro difetti, per « quanto sieno reali, hanno poca consistenza; ed è appunto la pietà « quella che impedisce a questi difetti di diventar vizi ».

*Invitatio Domini: « Sinite parvulos. »*

Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum.* Regnum autem caelorum in terris nonnisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

*Hodierna Ecclesiae mens, ex litteris Card. Antonelli,*

Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim: « ..... Que même « après les avoir admis (*nempe infantes*) pour la première fois à la

---

bles de lui donner, et il connaît mieux que nous cette légèreté qui nous effraye; mais il sait aussi, et beaucoup mieux que nous, que l'innocence est le plus précieux de tous les trésors, que le démon veut la leur ravir de bonne heure, et que la communion seule peut les défendre des ruses de l'ennemi.

« On ne communie jamais trop quand on communie bien, avons-nous dit plus haut; et il suffit, pour bien communier, de recevoir le Sauveur avec une sincère bonne volonté. Cela est vrai des enfants comme des hommes; et l'expérience fait connaître que rien n'est plus sincère que la bonne volonté d'un enfant qui vient de faire sa première communion. Il aime Jésus-Christ, il le désire; pourquoi ne pas le lui donner? Il est souvent plus digne de le recevoir que nous autres, qui dédaignons sa piété. « Laissez venir à moi les petits enfants, nous dit le divin Maître; le royaume du ciel est pour ceux qui leur ressemblent. » Le royaume du ciel sur la terre, c'est l'Eucharistie.

« Les enfants sont légers, » dites-vous? Rien n'est plus vrai, et c'est à cause de cela même qu'il faut les faire communier souvent quand ils aiment et veulent aimer le bon Dieu. La légèreté n'est un obstacle à la communion que quand elle est volontaire. Pour un enfant, une semaine est un mois; à cet âge les impressions se succèdent vives et rapides; il faut donc réitérer souvent les impressions chrétiennes, si on veut préparer pour l'avenir des hommes forts dans la foi.

« Les enfants sont légers? » Oui, mais ils sont bons et affectueux; et il faut donner à leur besoin d'aimer son véritable aliment; il faut leur faire aimer Jésus-Christ, et pour cela il faut les mettre souvent en rapport intime avec lui. Leurs défauts, tout réels qu'ils sont, ont peu de consistance, et c'est la piété qui empêchera ces défauts de devenir des vices. »

« table eucharistique, on a coutume de les en tenir éloignés pendant « longtemps, leur défendant, dans certains endroits, de communier « au temps de Pâques, l'année qui suit leur première Communion. « Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage d'éloigner « pour plusieurs mois les jeunes élèves du Sacrement de l'autel, « sous prétexte d'attendre une plus mûre préparation. Sachant « combien la fréquentation des sacrements de pénitence et d'eucha-« ristie importe à la garde et à la conservation de l'innocence dans « les enfants ; sachant que cet usage fréquent des sacrements con-« tribue admirablement à alimenter et fortifier la piété naissante « dans les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les « pratiques de notre sainte religion... le Saint-Père, désireux de « voir modifier un système si mal entendu et si préjudiciable aux « intérêts spirituels des jeunes enfants, m'a chargé d'appeler sur cet « abus l'attention de V. S... afin de parvenir à réformer, dans un « sens plus conforme à l'esprit et à la discipline de l'Eglise, ce « défectueux système de soins spirituels à l'égard des enfants. »

*et ex recentioribus decretis.*

Hoc idem eruitur ex decreto ab hac S. C. die 20 decembris 1905 edito, in quo *omnibus Christifidelibus* commendatur frequens ac cotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis decretis S. C. Ind. et SS. Rel., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia *omnibus* indiscriminatim *fidelibus* conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros qui usum rationis adepti sunt quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus *ephebeis* quam maxime foveatur cotidiana Communio, sed praeterquam quod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac ephebeis facta, quin alii fideles excludantur, vox *ephebeorum* lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia instituta in quibus etiam pueri instruantur atque educentur.

*Conclusio pro cotidiana communione.*

Ex quibus omnibus non immerito infertur cotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis sed etiam pueris summopere suadendam esse.

*B.* De aegrotis. *Usus S. Officii.*

Quoad alterum quaestionis punctum, notum E^mis^ Patribus est, S. C. S. Officii concedere solere nostro aevo largius ac benignius quam olim, ut senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale ieiunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monialibus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, quamvis aliquid prius per modum potus sumpserint.

*Proposita quaestio.*

Verùm occasione arrepta decreti diei 20 decembris 1905, aliquid amplius postulari videtur, et super hoc sententia EE. VV. requiritur, an scilicet et quaenam nova disciplina hac de re possit opportune induci.

*Non agitur de periculose decumbentibus.*

*Horum causa paucis verbis exponitur.*

Uti patet, heic sermo non est de infirmis graviter aegrotantibus atque in proximo mortis periculo versantibus, qui etsi non ieiuni, ad Eucharistiam per modum Viatici sumendam admitti possunt ac debent. Rituale enim Romanum (*tit. 4, cap. 4, nn. 3 et 4*) ad rem statuit : « Pro Viatico autem ministrabit (*parochus*) cum probabile « est, quod (*infirmus*) eam amplius sumere non poterit... Poterit « quidem Viaticum brevi morituris dare non ieiunis ». Consuetudo autem Ecclesiae, ut habet Reuter (*Neo-confessarius, part. 3, cap. 6, n. 3*), « videtur absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos, si commode non possint manere ieiuni ».

Aliqua dumtaxat exstat dissensio inter doctores in praefiniendo temporis spatio quod intercedere deberet ad hoc ut infirmo periculoso, intra eandem infirmitatem, iterum dari possit Viaticum. Sunt enim qui cum Navarro, putant multum temporis inter unam alteramve Communionem intercedere debere; alii unum mensem; alii decem, octo aut etiam tres dies: alii denique cum Laymann (*Summ.*, *lib.* 5, *tract.* 4, *cap.* 6, *n.* 20) totiens quotiens devotio et dispositio paenitentis hoc suadeat, ac proinde singulis quoque diebus. Cfr. S. Aphonsus (6, 2, 85, *d.* 1), Ferraris (*verb.* Infirmitas, *n.* 21), De Lugo (*De Sacr. Euch.*, *disp.* 15, *sect.* 3, *n.* 64), etc. Practice autem quae vera, quae pia, quae iusta sit doctrina, tradit Benedictus XIV (*De Syn. Dioec.*, *lib.* 7, *cap.* 12, *n.* 4): « Ne « parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iterato deferre ad « aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam « saepius per modum Viatici, cum naturale ieiunium servare ne- « queunt, percipere cupiunt ».

*Allegenda contra novam discipl.*

*De aliis infirmis, prohibitio Ritualis.*

Sed missa quaestione de infirmis graviter decumbentibus, si discussio fiat de infirmis chronicis aliisque diuturno morbo absque discrimine laborantibus, ne vetus disciplina mutetur, stat in primis dispositio Ritualis Romani, quae ita sonat: « Ceteris infirmis qui « ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucha- « ristia ante omnem cibum et potum ».

*Periculum abusus.*

Accedit quod si a lege generali ieiunii cum infirmis extra mortis periculum dispensaretur, non pauci abusus obrepere possent.

*Incommoda frequentioris delationis Euchar. per plateas.*

Praetermisso enim parochorum incommodo, quod grave fieri posset si praesertim plures infirmi chronici in Paroecia haberentur; considerandum insuper est, iuxta Rituale Romanum (*loc. cit.*, *n.* 6, 7 *et* 8), SS^mum^ Sacramentum infirmis deferendum esse manifeste atque honorifice. Et Sacra Rituum Congregatio in *Mantuana* diei 6 februarii 1875, n. 3337, uti abusum eliminandum decrevit, consuetudinem ad infirmos Viaticum deferendi secreto, sine ullo exterioris cultus signo, nisi adsint gravia motiva sic agendi.

Ast si chronici ad Communionem admittantur non ieiuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SS^mae^ Eucharistiae, etiam paulo frequentius per vias et in infirmorum aedes deferri oporteret; et id vix aut ne vix quidem cum debita reverentia fieri posset.

*Satis per indulta providetur.*

Firma autem lege hucusque vigente, et devotioni ac pietati infirmorum succurrendo per opportuna indulta, incommodis hucusque expositis aditus maneret praeclusus. Unde nil innovandum videretur.

*Allegenda pro concessione. Ratio prohibitionis deficit in infirmis.*

Ex altera vero parte observari potest legem ecclesiasticam ieiunium naturale etiam aegrotis praescribentem, antequam S. Communionem ipsi sumant, datam esse tum ad praecavendos abusus quorundam qui potu et escis repleti, ad S. Mensam accedere non verebantur, tum ad reverentiam excolendam erga augustissimum Sacramentum. Atqui cum infirmis chronicis praefati abusus contingere non possunt; nec reverentia erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis, detrahitur; nam causa excusans intercedit. Ergo videtur adesse ratio ad legis moderationem inducendam.

*Cur qui magis indigent prohibeantur accessu?*

Aliunde, cum omnibus indiscriminatim Christifidelibus consulatur cotidiana, vel saltem frequens Communio, nulla adest ratio cur infirmis qui ieiunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis, quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica : et Concilium Constantiense (*Sess. 13*), quamvis edicat quod « huiusmodi sacramentum non debet confici post cenam, neque a « fidelibus recipi non ieiunis », addit tamen : « nisi in casu infirmi- « tatis aut alterius necessitatis ». *Ecclesiastica legis ratio,*

Lex itaque ieiunii, utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec umquam ita ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret. *Non urgenda si pugnat cum iure recipiendi Christum.*

Quoad incommoda vero quae superius indicata sunt, forsan distinctio fieri potest inter eos qui degunt in Seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis, aliisque piis institutis ac ceteros qui in privatis domibus versantur, nec privilegio oratorii domestici fruuntur. *In domibus ubi est oratorium, incommoda cessant.*

Liquet autem incommoda superius recensita non posse contingere quoad infirmos prioris condicionis; eo vel magis quia Sacra RR. C. die 7 februarii 1874, n. 3322, permisit ut in piis domibus nosocomiisque Eucharistia deferatur modo minus publico et sollemni.

Quoad ceteros vero succurri posset, dando Ordinariis potestatem, ut saltem in maioribus anni festivitatibus, iisdem per opportunas dispensationes occurrant. *De infirmis in domo privata facultas quaedam Episcopis dari potest.*

De cetero prudentia ac sapientia Emorum Patrum ut semper, ita etiam in praesenti causa, quae iusta, quae aequa sint statuet.

Quare, etc.

Responsum fuit : *Ad 1um, Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris qui ad sacram mensam iuxta normas in Catechismo Romano cap. 4, n. 63, semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente. Ad 2um, Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo.* **Resolutiones.**

ANNOTATIONES

1. Causa ista, cuius utilissimum videtur argumenta perpendere, omittenda non erat in libellis periodicis in quibus ipsum Decretum *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905 exscripsimus. Quocirca etiam Secretarii dissertationem hic referre placuit.

2. De priore solutione observabis reprobari etiam omnem contrarium usum.

Ex ipsa praeterea disputatione, illud etiam non immerito inferas, ius quod in pluribus locis ex consuetudine habent parochi admittendi pueros ad primam sacram communionem non esse ita urgendum ut puer ingenio et scientia maturior nequeat ex auctoritate parentum et confessarii *privatim* Christum suscipere ante eam aetatem quae in loco communiter pro *sollemni* exigi consuevit. Scilicet, parochis reservatur potius sollemnis ista caerimonia, quae tanta pro pueris et parentibus utilitate frequentatur, et non ita pridem est ab ipso SS. D. N. Pio Pp. X commendata, potius quam singularis et privatus accessus excultiorum puerorum. Similem, immo parochis severiorem sententiam tuetur redactor ACTA S. SEDIS, cum eruat « 4° Demum parochos aliosque animarum curatores ne plus aequo sese immisceant oportere in pueris admittendis vel repellendis a primae communionis perceptione,

secus ac pluribus in locis communiter fieri consuevit [1]. » Cfr. ceterum de isto argumento, *L'âge de la première communion*, DESJACQUES, ÉTUDES (1889), t. 47, p. 664; t. 48, p. 128 et 627; I. BESSON (Bulletin canonique), ÉTUDES (1898), t. 75, p. 688 et t. 76, p. 832.

3. Observabis resolutionem alterius dubii fuisse « *ad mentem* » nec mentem istam nobis declarari. Num longe a vero distabimus si responsi formam ac secretum ita erimus interpretati? S. Concilii Congregatio respondit, ex hodierna disciplina esse, pro infirmis, adeundum S. Officium, sed consulendum Sanctissimo ut generale det indultum quo simul consulatur infirmorum pietati et commodo parochorum qui nequeunt SS. Sacramentum nimis frequenter per vias deferre. Cum tamen simul res ad S. Officium pertineat, Sanctissimus decernere distulit donec Supremi istius Tribunalis explorasset sententiam.

Simile quidpiam actum esse conicimus; mox autem, ut arbitramur, res erit in comperto.

---

## 156. — S. CONGR. STUDIORUM

### *DECRETUM, EX AUDIENTIA SSmi 26 MAII 1906*

### Pontificio nomine decorans Collegium D. Thomae de Urbe

*Beatissimo Padre,*

*Orator.* *Il Padre [2] Fr. Enrico Buonpensiere, dei Predicatori, Reggente del Collegio di S. Tommaso de Urbe, supplica umilmente Vostra Santità affinchè si degni concedere a questo Collegio il titulo di* **Petitio.** PONTIFICIO, *dichiarando che i gradi accademici, che da esso si conferiscono in folosofia, teologia e diritto canonico, abbiano gli stessi effetti canonici di quelli che si conferiscono in altre Università cattoliche.*

*Che della grazia, ecc.*

*Audientiae dies (26 maii 1906).* SSmus Dnus Noster Pius Pp. X, in audientia diei 26 mensis maii 1906, referente subscripto S. Congregationis Studiorum Emo Cardinali Praefecto, attenta commendatione Rmi Patris Generalis Praedicatorum, benigne libenterque annuens precibus Rmi P.

---

[1] ACTA S. SEDIS, t. 39 (1906), p. 510, nota.

*Beatissime Pater,*

[2] Id est latine: Pater Frater Henricus Buonpensiere, Ordinis Praedicatorum, Regens collegii D. Thomae de Urbe, humiliter Sanctitatem Vestram orat, ut Pontificii collegii titulo collegium istud augere dignetur, simulque declaret gradus academicos qui in philosophia, theologia et iure canonico ibidem conceduntur, eosdem canonicos effectus habere quos gradus habent ceterarum Universitatum catholicarum.

Et Deus, etc.

Henrici Buonpensiere, Regentis Collegii D. Thomae Aquinatis de Urbe, mandare dignatus est, ut hoc perinsigne Collegium, in quo florent studia philosophiae, theologiae ac iuris canonici, posthac *Pontificium* vocari possit; et gradus academici qui ab eo in philosophia, theologia ac iure canonico rite conferuntur, eadem prorsus iura ac privilegia habeant quae habent ii qui in quolibet Universitate catholica canonice instituta conferuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. **Gratia.**

FR. Card. SATOLLI, ***Praefectus.***
*Ascensus Dandini, secretis.*

ANNOTATIONES

1. Quamvis gradus academicus non iam contineat missionem ad docendum, fit tamen ut doctoratus in Universitate propria habeat privilegia. Hoc v. gr. modo vidimus Doctores dispensari a quibusdam examinibus. Cfr. supra, n. **84**, p. 31.

Praeter Universitates, sunt alia quaedam collegia quae gradus conferunt; ita collegium protonotariorum.

---

## 157. — S. CONGR. CONCILII

### *IUDICIA IN CAUSIS CONTENTIOSIS*

### Summatim relata

I. **Acheruntina** [1] **et Ordinis Minorum S. Francisci.** *Paroecialis.* **Causa.**

*Species facti* [2]. Locus Banzi ad Abbatiam *Nullius* Benedictinorum primo pertinuit, transiit dein, ab anno 1683, in manus Cardinalium Abbatum Commendatariorum, donec, anno 1790 in Archiepiscopi Acheruntini dicionem pervenit.

Ipsi iam Abbates Benedictini, in animis excolendis, opera usi sunt Fratrum Minorum qui in loco proprium aedificarant conventum. Cardinales etiam Commendatarii iisdem sacramentorum administrationem confirmarunt. Frustra quaesito sacerdote saeculari, Archiepiscopus ipse ab anno 1793 ad 1816 curam animarum delegavit. Tum denique erectum est parochiale beneficium, sed, indicto concursu, cum nullus e clero saeculari beneficium istud ambivisset, Fratres Minores tamquam *oeconomi-curati* paroeciam administrarunt ad annum usque 1893. Suffectus tunc est parochus saecularis, post cuius obitum, anno 1903, Fratres Minores petierunt ut paroeciae istius, utpote regularis, possessionem recuperarent.

---

1 Acerenza, in Italia meridionali.

2 Facta narramus quatenus ea conicere licet ex imperfectis relationibus quae habentur in ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 14 (1906), p. 10; et CANONISTE CONTEMPORAIN, t. 28 (1905), p. 683 sq.

**Dubii** *prior forma.*

Proposito itaque dubio :

*An paroecia S. Mariae loci Banzi censenda sit regularis, ita ut religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem, in casu.*

*Dies (26 aug. 1905).* **Resolutio.**

S. Congregatio, die 26 augusti 1905 respondit :

*Ad mentem :* Postea autem innotuit mentem fuisse ut Archiepiscopus Regulares revocaret iisque paroeciam tribueret.

*Altera* **dubii** *forma.*

Verum, obtento novae audientiae beneficio, procurator Archiepiscopi novas obtulit allegationes, quibus perspectis, proposito dubio :

*An sit standum vel recedendum a decisis in casu,*

*Dies (20 ian. 1905).* **Resolutio.**

Emi Patres, die 20 ianuarii 1906, responderunt :

*Ex deductis non satis constare de natura regulari paroeciae.*

*Annotationes.*

In causa ista, Fratres Minores e *praescriptionis* iure potissimum arguebant, dum archiepiscopalis curia demonstrare conabatur ipsos numquam nisi *precario titulo* rexisse paroeciam, quae possidendi ratio ad usucapionem profecto perducere nequit.

Observes autem binas S. Congregationis resolutiones inter se minime pugnare. Priore enim, potius dirimenda causa abstinuit, dum practica indicatione *ad mentem* fuit contenta; in altera autem sententiam tulit de iure, mentem autem suam diserte non revocavit. Quare, neglecta dubii forma, nec standum dixit, nec recedendum a decisis.

Constat tamen sententiam istam Archiepiscopo prodesse, qui, in iuris saltem rigore, paroeciam pro saeculari habere potest, nec eam religiosis committere debet.

Utriusque autem sententiae hae videntur fuisse rationes. Omittendo iuris quaestionem S. Congregatio, ex aequo et bono aestimavit Franciscanos non esse privandos ecclesia quam per tot annos administrarant, praesertim cum templum istud conventualibus usibus simul esset deputatum, ita ut labilis futura videretur pax cum saeculari eiusdem ecclesiae rectore.

In altera autem danda sententia, ex ipsa forma verborum *non constare*, etc. liquet S. Congregationem hac usam esse regula iuris, beneficia, in dubio, praesumi *saecularia.*

II. **Theatina.** *Iurium cappellanorum Confraternitatum.*

**Causa.**

*Species facti.* In archidioecesi Theatina, non raro inter parochos et cappellanos Confraternitatum agitabantur controversiae quarum argumentum continebatur interpretatione decreti S. Rituum Congr. 10 dec. 1703-12 ian. 1704 de concordia iurium parochialium et Confraternitatum [1], occasio autem erant detrimenta temporalia quae parochi patiebantur ob multas functiones in Confraternitatum ecclesiis peragi solitas.

Quibus discidiis ut finis imponeretur. Pro-Vicarius Generalis authenticam postulavit declarationem a S. Rituum Congregatione, quae rem S. Congregationi Concilii dirimendam remisit.

*Dies (24 mart. 1906).*

Itaque, die 24 martii 1906, S. Congr. Concilii, propositis dubiis :

---

[1] Cfr. *De Religiosis*, t. 2, *Monumenta*, p. 748-751, n. **286**.

Dubia.

1. Se le risposte [1] al quesito X [2] del decreto emanato da codesta (Rituum) S. C. in data 12 gennaio 1904, intorno ai diritti dei parrocci e delle confraternite, riguardi soltanto le messe parate, quelle cioì che si celebrano con l'assistenza dei ministri, come pare doversi dedurre dall' aggettivo *solenne* aggiunto a messa, o anche messe cantate semplici, come pretendono i parroci?

2. Se la risposta [3] al quesito XX [4] dello stesso decreto si riferisca indistinctamente a tutti i sudditi del parroco, o solamente a quelli che sono ascritti alle confraternite?

3. Se i cappellani [5] possono liberamente celebrare tridui e novene nelle chiese delle confraternite, anche nei giorni non contemplati nei statuti?

Resolutiones.

Hoc modo respondit:

Ad 1. Per se et generatim loquendo, affirmative ad primam partem, negative ad secundam; et ad mentem, quae est, ut quotiens missa sollemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae sollemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3. Affirmative, sub dependentia Episcopi.

*Annotationes.*

1. Praedictae resolutiones [6] indubia veritate nituntur suaque simul commendantur aequitate. Ut utilia hinc colligamus documenta:

In prima resolutione rursus perspicitur quamlibet missam cantatam, sollemnis missae nomine stricte non venire. Stricte autem in praesente casu sumendam esse appellationem facile eruitur ex ipsa ratione qua in decreto descripta est responsio ad X. Iure enim ac merito sollemnes missae in parochialibus functionibus ponendae esse negantur, confraternitatibus tamen prohibentur nisi in quibusdam festivitatibus. Huiusmodi prohibitionem, qua vetatur quod per se licet, strictae esse interpretationis non ambigitur.

---

[1] Id est latine: Utrum responsio ad X in decreto huius (Rituum) S. Congr. diei 12 ianuarii 1904 de iuribus parochorum et confraternitatum, spectat tantum Missas cum apparatu, i. e., quibus intersunt ministri sacri, sicut videtur eruendum ex voce *sollemnis* qua Missa definitur, an etiam Missae simpliciter cantatae, sicut parochi contendunt.

[2] En decreti verba. « X. An celebratio missarum sollemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus. R. Negative prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus sollemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii. »

[3] Latine sic: Utrum, in eodem decreto, responsio ad XX ad omnes parochi subditos indiscriminatim referatur, an ad eos solos qui confraternati nomen dederunt.

[4] Quaesitum XX et responsio sic habent: « An ad parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? — R. Affirmative, quando tumulandus est subiectus parocho intra cuius fines est ecclesia vel oratorium. »

[5] Quod sic reddimus: Possuntne cappellani ad arbitrium in confraternitatum ecclesiis triduanas et novendiales celebrare functiones, eas etiam de quibus nulla in statutis reperitur mentio?

[6] Argumenta pro et contra late proponuntur sive ACTA S. SEDIS, t. 39 (1906), p. 212 sqq. vel CANONISTE CONTEMPORAIN, t. 29 (1906), p. 330 sq.

Simul tamen S. Congregatio remedium insinuat aptum quo, servato Decreti tenore, etiam eius consulitur menti quae id cavere voluit ne sollemnium missarum frequentia confraternitates paroecias vincerent vel aemularentur : Sua Episcopus utatur iurisdictione.

2. Altera resolutio rem declarat manifestissimam. Cur enim minus posset parochus in alios subditos suos atque in socios confraternitatum, de quibus solis alicuius dubitationis erat locus?

3. Dependentia Episcopi, quae in tertia resolutione reservatur, ita accipienda videtur, ut statutis suis exigere possit ne ipso inconsulto triduanae vel novemdiales celebrentur devotiones, eiusque requiratur venia pro publica SSi Sacramenti expositione et benedictione. Sic iam ante, in Reatina causa, responderat S. C. C. 13 ian. 1844 : « 1. An liceat capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SSmi Sacramenti explere in oratorio S. Dominici, independenter a parocho in casu? — 2. An liceat eidem capellano missas sollemniter canere independenter a parocho in casu? — « Ad 1 et 2, Affirmative in omnibus, ad formam decretorum Urbis et Orbis S. C. Rituum diei 10 dec. 1703, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi populum sollemniter cum SSmo Sacramento prout de iure. »

4. Observes denique, quamvis decretum 1703-1704 sit a S. Rituum Congregatione profectum, de eius tamen interpretatione interrogari potius S. Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

---

## 158. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### *IUDICIA IN CAUSIS CONTENTIOSIS*

### Summatim relata

I. **Massilien.** *Exemptionis.*

**Causa.** Exstat in urbe Massiliensi domus hospitalis quam possident Fratres Ordinis S. Ioannis de Deo. A multis annis ibi munere Cappellani fungebatur sacerdos saecularis. Hunc ut Episcopus removeret ab officio, non semel, per quattuor annos, precibus efficere conati sunt religiosi: sed frustra, cum Episcopus vel querelas cappellano obiectas parum iustas esse existimaret, vel difficultatem allegaret eidem, in praesentibus Galliae adiunctis, aliud committendi officium. Religiosi tunc sua experiri iura statuerunt, et, dimisso cappellano, in eius locum suffecerunt proprii Ordinis religiosum. Is vero, Episcopo invito et approbationem negante, aegrotis et hospitibus sacramenta, non exclusa Paenitentia, administrare coepit.

*Consessus plenarius. Dies (3 aug. 1906).* S. Congregatio Episcoporum et Regularium, cui causa haec est delata in plenario consessu 3 aug. 1906, quamvis consultor votum dedisset Fratribus contrarium, proposito dubio :

**Dubium.** *Se il Religioso di San Giovanni di Dio, nosso dal suo Superiore come Cappellano della Casa Ospedale di San Bartolomeo in Marsiglia, tenuta dallo stesso in Ordine, possa senza facultà dell*

*Ordinario esercitare il ministero delle Confessioni per le persone quivi ricoverate nel caso* [1]

Respondit : *Affirmative et ad mentem* [2]. Resolutio

1. Sententia ista iure quodam familiaritatis nullo pacto innixa videtur, cum nec Ordo S. Ioannis contenderit hospites de quibus in causa in familiaribus poni posse. *Annotationes.*

Nec ex mera hospitum in loco exempto versantium condicione est factum argumentum saltem principale.

Verum allegata potissimum sunt peculiaria Ordinis privilegia, atque illud praecipue, quod ab URBANO VIII, Brevi *Sacrosanctum* concessum, confirmatum est a BENEDICTO XIV, brevi *Creditae nobis*, 1845 : « Ut cappellani pro tempore exsistentes dicti hospitalis omnia et singula, nempe Paenitentiae, Eucharistiae ac Extremae Unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta... administrare possint. » Atque addebat idem S. Pontifex: Praeterea iisdem modernis et pro tempore exsistentibus Fratribus dicti Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis in hospitalibus et domibus commorantibus... infirmorum... necnon Fratrum aliarumque personarum illorum servitio addictarum, quocumque nomine nuncupatarum, sacramentales confessiones excipere... libere et licite possint ac valeant, plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem harum serie perpetuo tribuimus et impertimur. »

2. Cum Superiores Ordinis S. Ioannis sint laici, quibus spiritualis iurisdictio non conceditur, plena ista confessiones audiendi potestas, directe a S. Pontifice religiosis istis cappellanis concedi est putanda.

Observes ceterum verba privilegii : « *Fratribus* dicti Ordinis *in sacro Presbyteratus ordine constitutis*... facultatem... tribuimus et impertimur. »

3. Facile perspicitur huiusmodi privilegium omni communicatione excludi, tum quia est exorbitans, tum quia fundatum videtur in peculiari dictorum Sacerdotum condicione. Hi enim bini in singulis Ordinis hospitalibus constitui possunt. Sed ex quo Sacerdotes sunt facti, « nullum officium, munus aut administrationem in dicta Congregatione gerere aut exercere » possunt ; « sed Missis celebrandis ac sacramentis administrandis tantummodo vacare debent [3]. » Quare etiam antequam ordinentur debent ab examinatoribus synodalibus examinari ad sacras audiendas confessiones et ab iis patentes de ipsorum habilitate obtinere litteras [4].

---

1 Id est latine : An Religiosus S. Ioannis de Deo, quem Massiliae proprius Superior Cappellanum fecit Domus hospitalis S. Bartholomaei ab eodem Ordine administratae, possit sine Ordinarii facultate Confessiones excipere personarum ibi in casu hospitio receptarum.

2 Mens, italice explicata, haec fuit : « Episcopus Sacerdotem saecularem officio Cappellani sine mora dimittat solutum, sinatque religiosum a Superioribus suis iam deputatum, libere officio suo defungi. Interea tamen et donec copiam non habuerit Episcopus inveniendi, ea qua possit usus diligentia, honestam sustentationem praedicto Sacerdoti, huic praesens stipendium solvere perget Ordo S. Ioannis. »

3 PAULUS V, Brevi *Inter alias*.

4 URBANUM VIII, Brevi *Circumpecta*, 1627.

II. **Ianuensis.** *Funerum.*

Causa. *Species facti.* Die 29 nov. 1902, ianuensis quaedam mulier diem obiit supremum. A propriae paroeciae vicario postularunt propinqui ut corpus sepeliendum comitaretur ac postridie exsequialem missam celebraret. Cum postera autem dies esset dominica, vicarius missam polliceri non potuit. Negata tunc omni eius opera, propinqui curarunt ut corpus in coemeterium directe ferretur. Deinde, die 11 decembris, seu duodecim post obitum diebus, sollemnis missa est, postulante familia, in ecclesia Fratrum Minorum celebrata. De laeso stolae iure conquestus est parochus apud S. Congregationem, proposito hoc fere dubio:

**Dubium.** *An sollemnis Missa de Requie duodecim post mortem diebus, a Fratribus Minoribus Ianuae celebrata, habenda sit tamquam proprie exsequialis, ita ut recepta emolumenta sint parocho restituenda in casu?*

*Dies (14 iul. 1905).* Respondit S. Congregatio, die 14 iul. 1905.

**Resolutio.** « *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, recepta emolumenta a Patribus Minoribus parocho tradantur.* »

*Annotationis.* 1. Ipsa forma responsi perspicitur causam non vacasse aliqua dubitatione, aliterque responsuros fuisse E^mos^ Patres nisi peculiaria fuissent adiuncta.

Et re quidem vera, cum nullum sit praeceptum coniungendi cum sepultura aliquam celebrationem Missae, pro officio funebri quod heredes legitime vellent separatum a sepultura, per se omnis ecclesiae habent optionem, ita ut ne quarta quidem funebris sit parocho solvenda. Cfr. Periodica, t. 1, n. **40**, p. 101, et *Monumenta* t. 2, n. **268**, p. 707.

2. Quaeres itaque de specialibus adiunctis ob quae causa est parocho addicta. Haec videntur fuisse duo :

a) Satis receptus est Ianuae mos ut iusta funebria aliquot post obitum diebus fierent, atque ex eodem usu habentur pro exsequialibus. Quare statuta a^i^ 1896, c. 25 ita sonant. « Si haec (sollemnia funerum) potiusquam in propria paroecia, inconsulte in alia ecclesia etsi Regularium fiant, inde percepta emolumenta parocho cui debebantur reddi volumus et decernimus. »

b) Praeterea, in casu, ex toto praetermissa est parochialis ecclesia, ad quam ne corpus quidem est delatum, et sollemnis Fratrum Minorum Missa manifesto successit in locum missae exsequialis quae a parochiae vicario prius est petita.

*Nova causae propositio.* Postea tamen Fratres Minores, allegata bona fide et extraordinaria celebrati funeris sollemnitate, postularunt ut partem saltem emolumentorum retinere permitterentur.

*Dies (12 ian. 1906).* Itaque, 12 ian. 1906, S. Congregatio, proposito dubio :

**Dubium.** *Utrum confirmanda an infirmanda foret in casu sententia 14 iulii 1905.*

**Resolutio.** Respondit : *In decisis et ad mentem.* Mens autem erat: a) ut parocho ea tantum redderentur emolumenta quae percepisset ipse; b) ut archiepiscopus pergeret urgere apud parochos Romani Ritualis praescripta, et fidelium corpora in ecclesiam deferrentur pro exsequiis.

III. **Viennensis.** *Exemptionis.*

*Causa.* In archidioecesi Viennensi, monasterium exstat, nomine Closterneuburg, Canonicorum Regularium, a^o^ 1113 a Marchione Leopoldo

constitutum, quod ab annis 1134 et 1137, Innocentius II, imposito parvo censu, in suam clientelam recepit; alii autum Pontifices variis donarunt privilegiis, et Abbas Generalis Canonicorum Lateranensium ad suum exemptum Ordinem adscivit, omnia simul Ordinis privilegia conferendo. Ad S. autem Congregationem causa delata est exemptionis huiusmodi monasterii, quam negante Archiepiscopo, habere se putant canonici regulares.

Die autem 1 decembri 1905, S. Congregatio, proposito dubio de exemptione, respondit : *Dies (1 dec. 1905).*

*Ex hactenus deductis non satis constare de exemptione.* **Resolutio.**

Responsionis ratio haec nobis fuisse videtur quod allegatus favor et praesidium pontificium exemptionem per se non inferunt [1]; dubitari rursus potest utrum ad exemptionem conferendam valuerit necne aggregatio peracta a solo Patre Generali Canonicorum Lateranensium. *Annotatio.*

# 159. — PARERGON

## De facultate annectendi coronis indulgentias dictas a Patribus Crucigeris

Indulgentiae a PP. Crucigeris vocatae, facilitate usus potissimum commendantur. Quotiens enim, utendo corona cui annexae sunt, vel semel recitaveris *Ave Maria* vel *Pater Noster*, totiens 500 dierum lucraris indulgentiam, defunctis applicabilem. Requiritur itaque corona recitando Rosario deputata, nulla autem ipsius Rosarii recitatio vel meditatio mysterii.

Diu Canonici Crucigeri, quorum domus exstant in Belgio et in Hollandia, monopolio usi sunt huius indulgentiae concedendae.

Nuperrime autem, ut accipimus ab ephemeride ANALECTA ECCLESIASTICA (t. XIV, p. 452), Summus Pontifex S. Indulgentiarum Congregationi speciales dedit facultates quibus valet ad faciendam cuilibet sacerdoti, etiam non approbato ad audiendas confessiones, potestatem has indulgentias coronis annectendi, de consensu tamen Ordinarii loci in quo facultas exercetur.

In exemplo autem quod exscribunt ANALECTA ECCLESIASTICA, facultas petita est « benedicendi coronas a SS. Rosario B. M. V. iisque applicandi indulgentias quae a *Patribus Crucigeris* vulgo nuncupantur. » Gratia rursus facta est ad quinquennium, et coronae *unico crucis signo* benedici possunt.

---

1 Cf. c. Recepimus, 8, De privilegiis (v, 33); Ex parte, 18, eodem ; c. Si Papa, 10, De Privil. in 6° (v, 7).

# BIBLIOGRAPHIA [1]

## De Theologia Morali

**J. B. Ferreres,** S. J. *La mort réelle et la mort apparente,* etc.

**Appendices du traducteur.** App. A. Fréquence des cas de mort apparente. — App. B. Exposé de quelques cas spéciaux. — App. C. Du baptême utérin et de l'opération césarienne. — App. D. Administration de l'extrême onction à ceux qui sont morts dans l'impénitence, l'apostasie, etc. — App. E. Assistance spirituelle des défunts de la part des prêtres durant les heures qui suivent la mort. — App. F. Soins à donner aux corps des défunts. Moyens à employer pour les ranimer. — App. G. Signes de mort et procédés à employer pour constater le décès. — App. H. Obitoires et appareil KARNICE. — App. I. Autres choses à faire pour prévenir les enterrements prématurés.

**Ioannes Reuter,** S. J. *Neoconfessarius practice praesertim instructus sive methodus rite obeundi munus confessarii.* Opus iuxta versionem germanicam elaboratum et nostri temporis exigentiis accommodatum edidit Societatis eiusdem sacerdos **Iulius Aug. Müllendorff.** Ratisbonae G. J. Manz, 1906. 1 vol. in-8° XI 358 p. Instructio fidelium praevia. — Pars prima. De iis quae generatim in praxi confessario sunt observanda. — Pars secunda. De observandis circa peccata magis obvia et circa personas aetate, sexu, statu vel condicione diversas. — Pars tertia. De iis quae confessario specialiter sunt observanda circa personas sive moraliter sive physice diversas.

**Jules Besson.** *Décret de la S. Congrégation du Concile sur la communion fréquente et quotidienne,* 20 Déc. 1905. — Texte officiel du décret traduit en français avec notes explicatives. Bolley, Chaduc frères, 1906, 21 p.

**P. Antonio M. Stella,** S. I. *La communione quotidiana.* Napoli, Michel d'Auria, 1906, 12 p.

**J. B. Ferreres.** *Compendium theologiae moralis* I. P. Gury, S. I. multis additionibus auctum, recentioribus actis S. Sedis, dispositionibus iuris hispani, decretis Concilii plenarii Americae latinae, eiusdemque regionum legibus peculiaribus accommodatum (textu identidem emendato) atque speciali tractatu de Bulla Cruciatae locupletatum.

Editio tertia hispana, correctior et auctior. 2 vol. in-8 CXXXIX-712 et XII-848 p. Barcinone, apud Subirana, 1906.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

**Narbone-Filiti**, S. I. *Annali siculi della Compagnia di Gesù.*
Volume I. Deca prima: 1805-1814. 1 vol. in-8, p. VIII-252. L. 5.
Prefazione. — La Compagnia di Gesù in Sicilia: Ragionamento storico.
Annali siculi.
Aggiunte. Parte cronologica. — Appendice. Storia della espulsione vel 1768. Prospetto dell' antica Provincia vel 1767.

Université Saint-Ioseph Beyrouth. *Mélanges de la Faculté Orientale.* 1 vol. gr. in-8, 377 p. Beyrouth, 1906.
Études sur le règne du Calife Amaignade Moc âwia Ier (H. Lammens). — Une école de savants égyptiens au moyen-âge (A. Mallon). — Inscriptions grecques et latines de Syrie (L. Jalabert). — Le Cycle de la Vierge dans les Apocryphes éthiopiens (M. Chaine). — Umay-ya ibn Abî-s Salt (S. Power). — Bas-reliefs rupestres des environs de Qabéliâs (S. Rouzevalle). — Notes de Géographie syrienne (H. Lammens). — Bisr ibn Abî Hâzim (A. Hartigan). — Un dernier écho des croisades (L. Chakho].
*Planches.* — Inscriptions inédites de Syrie. — Monuments relatifs au culte d'Esculape. — Relief rupestre de Qabélias (Liban). — Relief rupestre babylonien de Qabélias.

**Jules Blanc.** *Les martyrs d'Aubenas* (Le P. Jacques Salès, S. I. et le F. Guillaume Saultemouche, S. I.), martyrs de l'Eucharistie (7 fév. 1593), 1 vol. in-8 de VI-336 p. Valence, 1906. -- Dédicace. Lettre à l'auteur. Préface. Sources. 11 chapitres. Appendice. Notes. Documents.

**Piccirelli**, S. I. *Disquisitio metaphysica, theologica, critica, de Distinctione actualam inter essentiam exsistentiamque creati entis intercedente, ac praecipue de mente angelici Doctoris circa eandem quaestionem.* 1 vol. gr. in-8, 424 p. Neapoli, 1906. Pretium. L. 5.
Sectio I. Prospectus Quaestionis. — Cap. I. De essentiae exsistentiaeque notione. — Cap. II. De nihili notione. — Cap. III. De potentia et actu. — Cap. IV. De distinctione et compositione. — Cap. V. Statuitur Quaestio.
Sectio II. Solvitur Quaestio prodroma.
Sectio III. Solvitur Quaestio princeps. Analysis opusculi de ente et essentia.

## Historica

**A. Poncelet.** Bulletin. *Le Testament de S. Willibrord,* p. 177-231.

**Leon de San Joaquin,** C. D. *El culto de san Jose y la Orden del Carmen.* Barcelona, Gili, 1905, in-8°, 203 pp. (A. B. p. 194-196).

**J. B. Bury.** *The life of St. Patrick and his place in history.* London Macmillan, 1905, in-8°, XV-404 pp. (A. B. p. 206-10).

**Most Rev. D. Healy.** *The life and writings of S. Patrick.* Dublin, Gill, 1905, in-8° XI-754 pp. (id. ibid.).

**Herb. Thurston,** S. I. *Grough Patrick and the Month,* t. CVI (1905) p. 449-61 A. (id. ibid.).

**Id.** *S. Patrick's Petitions,* ibid. p. 539-43 (id. ibid.).

**James M. Williamson.** *The life and times of S. Boniface.* London, Frowde, 1904, in-8°, IV-138 pp. (A. B. p. 212).

**R. P. Mortier,** O. P. *Histoire des Maîtres Généraux de l'ordre des frères prêcheurs.* T. II. Paris, Picard, 1905, in-8°, VIII-597 pp. (A. B. p. 219).

**Gabriel Perouse.** *Le Cardinal Louis Aleman, président du concile de Bâle et la fin du grand schisme.* Paris, Picard, 1904, in-8° XLI-513 pp. (A. B. p. 222).

**Eduard Fuerter.** *Religion und Kirche in England im funfzehnten Jahrhundert.* Tubingen, Mohr, 1904, in-8°, 78 pp. (A. B. p. 223).

**D. Pascual Bronoat y Barrachina.** *El B. Juan de Ribera y el R. Colegio de Corpus Christi.* Valencia, 1904, in-8° XV-398 pp.

**Fr. Thoma de Celano.** Hanc editionem novam ad fidem mss. recensuit **P. Eduardus Alenconiensis** Ord. Min. Capucc. *Sti Francisci Assisiensis vita et miracula,* additis opusculis liturgicis, Romae, Desclée, Lefebvre (A. E., t. XIV, p. 272).

## De Iure canonico

**J. B. Ferreres,** S. I. *Ciò che si deve fare e ciò che si deve schivare nella celebrazione delle Messe Manuali.* Commento canonico-morale del decreto *Ut debita.* Versione dallo spagnolo, di **Giovanni Pacati.** 1 vol. 55 p. Rimini, Tip. Artigianelli, 1906. L. 0,80.

## Ex Libellis Periodicis

**Archiv für katholisches Kirchenrecht,** LXXXVI. Hufner, *Das Rechtsinstitut der klösterlichen Exemtion in der abendländischen Kirche,* p. 302-319.

**Le Canoniste contemporain,** t. XXIX, A. Boudinhon. *Les Congrégations à vœux simples,* janv.-juillet 1906, sept. 1906. *Deux récents décrets sur la communion fréquente et sur les séminaristes renvoyés,* mars 1906. — F. Nau, *Canons ecclésiastiques syriaques,* janv. 1906.

**La Revue Théologique française** (juin-juillet 1906). *Les religieuses et les modifications dans la cession de leurs revenus.* M. J. B. p. 352. — *L'aliénation des titres au porteur et le « beneplacitum apostolicum ».* M. J. B. p. 345. — *La communion quotidienne et le décret de la Ste Congrégation du Concile du 20 déc. 1905. Commentaire.* Dom Pierre Bastien, juillet-octobre 1906.

## 160. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

### *INDULGENTIAE CONCESSAE DIE 30 MAII 1905*

### Orantibus pro cotidianae communionis propagatione

*Preghiera*

O [1] dolcissimo Gesù che veniste al mondo per dare a tutte le anime la vita della grazia vostra, e che, per conservarla ed alimentarla in esse, voleste essere e la quotidiana medecina della loro quotidiana infirmità ed il loro quotidiano sostentamento; umilmente Vi preghiamo, per il vostro Cuore così ardente del amor' nostro, a diffundere sopra di tutte il Vostro divino spirito, affinchè quelle che sventuratumente sono in peccato mortale, convertendosi a Voi, riacquistino la vita della grazia perduta, e quelle che, per Vostro dono, vivono già di questa vita divina, ogni giorno, quando possono, si accostino devotamente alla Vostra sacra mensa onde per mezzo della quotidiana communione, ricevendo ogni giorno il contravveleno dei loro peccati veniali quotidiani, ed ogni giorno alimentando in sè la vita della grazia Vostra, e purificando cosi sempre più l'anima propria, giungano finalmente al conseguimento della vita con Voi beata. Amen. *Praepositam orationem,*

Die 30 maii 1905. *Die 30 maii 1905,*

SSmus Dnus Noster, cum ipsi maxime cordi sit ut usus cotidianae Communionis tam salubris ac Deo acceptus, christiano populo, Christo Domino adiuvante, ubique propagetur, omnibus Christifidelibus qui praefatam orationem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam cotidie lucrandam; iis vero qui per mensem integrum id egerint, atque die proprio arbitrio eligendo, sacramento paenitentiae expiati sacraque communione refecti, publicum oratorium visitaverint ac iuxta intentionem Sanctitatis suae oraverint, plenariam indulgentiam benigne concessit. Quas indulgentias animabus etiam in Purgatorio detentis profuturas declaravit. Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem, etc. *Indulgentiis ditat S. Pontifex, motus sua voluntate propagandi usum cotidianae communionis.*

Casimirus Card. Gennari.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc. *Debita Rescripti praesentatio.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 3 iunii 1905. *Dies (3 iun. 1905).*

*D. Panici, archiepisc. Laodicen., Secret.*

---

[1] O très doux Jésus, qui êtes venu dans le monde pour donner à toutes les âmes la vie de votre grâce, et qui, pour la conserver et la nourrir en elles, avez voulu être le remède quotidien de leur quotidienne faiblesse et leur aliment de chaque jour; nous vous supplions humblement, par votre Cœur embrasé d'amour pour nous, de répandre sur toutes les âmes votre divin esprit, afin que celles qui malheureusement sont en péché mortel se convertissent à vous et recouvrent la vie de la grâce qu'elles ont perdue; et que celles qui, par votre secours, vivent déjà de cette vie divine, s'approchent dévotement chaque jour, quand elles le peuvent, de votre Table sainte: en sorte que, par le moyen de la Communion quotidienne, recevant tous les jours le contrepoison de leurs péchés véniels quotidiens, et alimentant tous les jours en elles la vie de votre grâce, et ainsi se purifiant toujours davantage, elles parviennent enfin à la possession de la vie bienheureuse avec Vous. Ainsi soit-il.

# 161. — S. C. CONCILII

## *EX AUDIENTIA SSmi DECRETUM 7 DEC. 1906*

### De S. Communione Infirmi non ieiuni

*Memorantur varia acta pro cotidiano accessu ad S. mensam.*

**Post editum** de frequenti et cotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis decembris 1905, concessasque a SSmo D. N. Pio PP. X die 30 mensis maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus qui certas preces devote recitaverint pro cotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis* et *Orbis*, die 14 mensis februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent christifideles per cotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum asservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Spiritualis hinc sumpta laetitia.*

*Quaestio de infirmis non ieiunis.*

*S. Pontifex, audita S. Congr. Conc. ipsis concedit S. communionem aliquotiens et certis diebus.*

*Derogatio contrariorum.*

*Dies (7 dec. 1906).*

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus.*
*C. De Lai, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. In novae gratiae praefatione memorantur plura quae SSus Dnus fecit ad propagandum cotidianae communionis usum:

a) Decretum 20 decembris 1905, quod habes in PERIODICIS, t. 2, n. **110**, p. 66.

b) Indulgentiae orationis pro cotidianae communionis propagatione, quae, antea iam, 30 maii 1905, concessae, a nobis erant praetermissae. Quia praesenti Decreto a S. Pontifice inter acta memorantur quibus disciplinam de S. communione in Ecclesia penitus studuit innovare, operae pretium visum est illas modo supplere. Quare eas hic supra exscripsimus.

c) Decretum Urbis et Orbis, diei 14 februarii 1906, quod, tertio loco memoratum, reperitur in hoc tomo PERIODICORUM, n. **111**, p. 69.

2. Nova ista gratia magnam movit exspectationem post deliberationem S. Congr. Concilii quae supra n. **155** est relata.

3. Restat ut brevem praesentis decreti proponamus expositionem.

a) *Quibusnam gratia offeratur.* — Gratia conceditur, non iis aegrotis qui in periculo mortis versantur, quippe quibus iam sit

ex ipso Rituali prospectum, sed iis qui *diuturno* morbo laborant. Diuturnus deinde morbus quisnam sit definitur : eorum est quotquot a mense decumbunt.

Ut enim optime observat R. D. De Smet [1], *infirmi* quibus gratia offertur, non sunt quotquot pedibus ecclesiam adire prohibentur, et ceterum « corde et stomacho validi » esse possunt, sed quorum ipsa valetudo est male affecta. Ideo, in locum vocis *Infirmi*, supposuimus vocem, supra usurpatam, *Aegroti*.

Nec minus eleganter observat, cum R. P. Bastien (N. R. T. t. 39,) *mensem* sumi posse de triginta diebus non mathematice computandis, ita ut satis sit si per quattuor plenas hebdomadas aegrotaverint.

Non omnibus tamen istis aegrotis prodest beneficium, sed iis tantum qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeunt. *Nequeunt*, i. e. moraliter, quatenus notabilem experirentur difficultatem, vel serium incommodum, ita ut prudenti iudicio abstinendum ipsis sit sacra dape potius quam servanda ieiunii condicio.

Casus erunt v. gr. eius quem medicus iusserit post stata intervalla, ut puta singulas horas, sumere medicinam ; — vel aegroti qui, pectore laborans, debet bibendo noxiam impedire tussim ; — vel infirmi qui propter nimiam stomachi debilitatem ex ieiunio turbatam pateretur valetudinem, aut qui siti torquetur moraliter invincibili. Namque sitis tolerabilis sufficientem excusationem non afferret. Aliud si quidem est difficultatem experiri, aliud in morali versari impotentia.

Interpretationis nostrae ratio ex ipso argumento causae desumitur. Quonam consilio motus est Pontifex ut novam hanc gratiam largiretur ? Consulere voluit « aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiuninm in sua integritate servare nequeant. » His verbis commemoratur in ipso Decreto gratiae occasio et causa.

Quare, ne dicamus in brevi enuntiatione inutilia esse posita, huiusmodi aegrotos, nullos alios Pontifex respicere voluit.

Nec possunt, nostra sententia [2], impotentes praesumi. Huius enim praesumptionis nusquam fundamentum reperimus, sed contraria potius indicia. Namque in praesenti non agitur de infirmis qui *periculose* aegrotant. His iam erat, ut monuimus, in ipso Rituali Romano provisum. Et fac observes, contra ac severior quorundam locorum mos habet, ad usum istius facultatis non requiri ut sacramentis quae ultima vocamus iam sint muniti.

Si itaque cogites iam ante dispensatum fuisse cum omnibus aegrotis qui morbo *probabiliter* letali afficiuntur, facile perspicies, bene multos esse ex infirmis quorum causa in decreto versatur, qui ieiunium satis facile servare possunt. Praesumptio ergo ex facto colligi nequit.

Praeterea, si communem retineas theologorum doctrinam, facultas aegrotis periculose decumbentibus ita intellegenda est « ut ne aegroto quidem ex mero lubitu liceat laedere ieiunium ante Sacram Communionem pro Viatico sumendam, sed tum tandem, quando commode non possit sumere ieiunus [3]. » Quare, ex sententia Collationes Brugenses, vis nuperrimae gratiae huc spectaret ut privilegium periculose decumbentium iam cum omnibus com-

---

1 Collationes Brugenses, t. XII (1907), p. 136.

2 Contra ac putat R. D. De Smet, l. c.

3 Lehmkuhl, *Theol. mor.* t. 2, n. 161.

municaretur aegrotis qui a mense morbo laborarent [1]. Huiusmodi intentio parum verisimilis est, et ex nullo signo demonstratur.

Quid, quod S. Officium concedere solebat aegrotis facultatem quae nunc pleno iure haberi potest. Quocirca, antequam praesens ederetur decretum, iussit S. Pontifex S. Officium consultum adiri, ne qua parte futura gratia displiceret. Sed iis tantum indulgetur a S. Officio gratia sumendi aliquid per modum potus, qui ieiunii naturalis servandi sunt impotentes [2]. Num ultra fines quibus suprema ista Congregatio particulares continet gratias, generale Iudultum extendes ?

Et nonne hoc unum voluit Pontifex, cavere ne diutius ss. eucharistia orbentur qui diuturno iam morbo vexantur ? Sed si omnes aegroti qui a mense decumbunt iam vi decreti ita permittuntur communicare non ieiuni, ut mere « *conveniat* ut ieiuni accedant, si commode possint », multi lege ista solventur qui profecto eucharistico animae cibo sine ullo indulto refecti essent.

Anxiam tamen, etiam nos, cum egregia ephemeride, deponere iubemus inquisitionem, nec torquendos ducimus infirmos. Namque, ut solet romanus legislator gravitate verborum laxiores praepedire interpretationes, ultro permittimus ut impotentia quae requiritur intellegatur benigne de qualibet seria difficultate, ita ut non repugnemus R. D. Boudinhon, cum privilegii usum infirmis addicit qui non possint nisi aegre integrum servare ieiunium [3].

Neque etiam a mense decumbentes infirmi facultate uti permittuntur, si *certa* fruantur spe ut *cito* convalescant.

*Certa* spes tunc aderit cum medicus convalescentiam praenuntiat, nisi aliquid praeter exspectationem intervenerit. Certa non aderit spes, si medicus dubius haeret, mere affirmat fieri posse, etc. Certa spes, ut ait R. D. De Smet, *moralem* postulat *certitudinem*.

*Cito* convalescere, in morali existimatione, censendus est, nostra sententia, qui intra octo dies restituta potietur valetudine. Ex ipsa enim concessionis ratione, qua menstrua communio ut minimum permittitur, videtur istud colligi posse, menti Ecclesiae congruere ut nemo diu ultra mensem ss. eucharistia privetur.

Ne existimes tamen opus esse ut aegrotus per mensem iam usu eucharistiae caruerit : namque tam is qui per modum viatici communicaverit non ieiunus, nunc autem, iam extra periculam positus, nondum potest nisi aegre naturale ieiunium servare ; quam ille qui per mensem eucharistiam ex devotione acceperit, uterque, inquam, praesenti fruuntur indulto, dummodo per mensem decubuerint morbo affecti.

Observes etiam agi de spe quae convalescentiam respicit non autem copiam ieiunandi. Unde quamvis mox futurum sit ut aegrotus possit manere ieiunus, privilegii usu non excidit, dummodo ne morbus ipse post mensem ad finem omnino vergat.

Satis nobis assentitur R. D. De Smet, l. c. ; simul tamen propendet in distinctionem personarum quae nobis minus probatur.

---

[1] Excepto solo hoc discrimine, quod periculose aegrotantes etiam *solido* cibo non prohibentur.

[2] Forma enim supplicis libelli ita fere describitur : « X.... ad pedes S. V. provolutus, cum propter male affectam valetudinem ieiunium naturale servare nequeat, ne sacra dape diutius privari cogatur..... »

[3] « *Les malades chroniques, assez souffrants pour ne pouvoir sans peine demeurer à jeun.* » Canoniste contemporain, t. XXX (1907) p. 20.

Si quidem, ratione habita frequentiae s. communionis quae, ex faciliore vel difficiliore delatione, permittitur aliis semel vel bis in hebdomada, aliis semel tantum vel bis in mense, existimat prioribus fortasse sufficere ut convalescentia non speretur *ante medium octiduum*, aliis vero opus esse ut non speretur *ante medium mensem.*

Distinctionis istius rationem nos fugere fatemur. Verum quidem est, non posse tam *saepe* communicare non ieiunos eos quibus domesticum deest oratorium; sed num hinc merito colliges eosdem ad *semel* utendum privilegio, duriore lege teneri? Rarior quidem ipsis conceditur privilegii usus, ne onus nimis grave imponatur parocho, et ne reverentia erga SS. Eucharistiam aliquod accipiat detrimentum. Ita ipsae COLLATIONES BRUGENSES. Sed cum ambo aegrotantium genera praesumantur paris esse pietatis vel meriti, et in simili necessitate spirituali versari, eaedem, ut privilegio sit locus, utrisque praescribendae sunt condiciones. Quocirca, ex ipso decreto, omnibus idem praestituitur observandus *terminus a quo.* Qui cum talis sit (morbus qui per mensem duraverit) ut aegrotum plerumque cogat iam per maximum unius mensis intervallum ss. eucharistia abstinere, nova accedit ratio cur proxima convalescentia non severius istis quam illis praefiniatur.

Si tamen per primum mensem aegrotus iam ob aliam causam bis communicaverit, tertiam intra triginta dies communionem addere poterit vel prohibebitur, non ieiunus, prout bis in hebdomada vel bis tantum in mense privilegis fruitur.

Quod si instet peculiaris quaedam festivitas, satis placet nobis dictum a R. D. DE SMET, posse tunc benignius aestimari condicionem convalescentiae non nimis proximae, ita ut satis esse videatur si certa afuerit spes convalescentiae ante sex vel quinque dies ab elapso mense. Sic dicendum putamus ex benigna Matris Ecclesiae mente. Optat ut sollemnioribus diebus christiani etiam sacramentaliter Christum induant. Cum voto isto quaedam rigoris relaxatio in morali condicionum existimatione consentanea videtur.

Age porro, *decumbere* existimantur aegroti quotquot vel lecto detinentur vel in cubiculo aut intra parietes domesticos continere se infirmitate coguntur. Immo, si, favente tempestate, per paucas horas circa meridiem egredi infirmus potuerit, eum nihilominus inter decumbentes habebimus, memores proverbii : parum pro nihilo computatur.

Quaeres autem, quid iuris de infirmis qui non decumbunt quidem, ita ut ipsos obvios in viis habere soleas, sed tamen vere ex infirmitate ieiuni manere prohibentur? Huiusmodi occurrere infirmos, dubitari nequit. Nonne ex iis qui per diem circumeunt civitatem, aliqui lege naturalis ieiunii praepediuntur quominus toto anno ad sacram mensam accedant?

Prima quidem specie dixeris ipsos decreti beneficio non exclusos si vero morbo et non sola debilitate quadam afficiantur. Ipso enim decreto mens exprimitur consulendi « aegrotis diuturno morbo laborantibus qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant ».

Quod demum lecto se teneant vel ambulent, parum referre videtur. Immo quod interest inter utrumque casum aestimaveris potius eorum favere causae qui, cum possint se in ecclesiam conferre, nemini molesti esse debent ut sacra communione reficiantur.

Nihilominus, cum praesens decretum legi deroget quam ob sanctissimas causas valde urgere solet Ecclesia, non videtur, ob

causae analogiam, ad alios casus transferri posse, ad eos praesertim de quibus constat Legislatorem non cogitasse. Ex omni autem decreti dispositione perspicitur eorum tantum fuisse respectum quibus eucharistia sit in cubiculo deferenda. Nec deest aliqua discriminis ratio. Aegrotus qui per vias incedit a persona quae mere debilis est non adeo facile discernitur. Si itaque etiam illi permittas ut de consilio confessarii ad sacram mensam assideat non ieiunus, periculum est ne sensim sine sensu confessarii ob quodlibet incommodum vel difficultatem personas a lege ieiunii eucharistici declarent immunes.

Quocirca, donec S. Sedi placuerit benigniorem suam mentem aperire, non aliud infirmis non decumbentibus remedium praesto esse censemus nisi ut a S. Officio consuetum, quod ante petere solebant, indultum sibi impetrent. Cfr. Bastien, l. c. p. 162.

b) *Vis concessionis.* — Iis itaque quos modo descripsimus, conceditur :

Ut de *confessarii consilio :* — is perpendet et paenitentis dispositionem, et veritatem impedimenti quod ieiunio obstet.

« *Semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus ubi SSmum Sacramentum asservatur.* » Quia in huiusmodi domibus sacra communio omnibus per se dispensari potest, quicumque ibi morbo laborat, si ceterae adfuerint condiciones, privilegio fruetur refectionis hebdomadariae vel semi-hebdomadariae.

« *Aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico.* » Ex modo quo sententia est adornata, vox *fruuntur* regitur voce *infirmi* tamquam subiecto. Directe itaque et conceptis verbis semel vel bis in hebdomada communicare permittuntur ii ipsi qui privilegio fruuntur oratorii domestici, id est indultarii seu privilegiati.

Quid autem de aliis? Si oratorium est *semi-publicum* [1], quale est Regularium, Seminariorum, etc. rursus per se permittitur eucharistiae dispensatio [2], ac proinde quilibet hospites eandem participabunt privilegii rationem. Si vero oratorium fuerit stricte privatum, in particularibus aedibus constitutum, occurrit responsum S. Rituum Congregationis, 10 febr. 1906. Interrogata si quidem utrum necne, de sola Ordinarii licentia, sacram communionem in privatis oratoriis ministrare liceret, respondit, licere quidem ut ministretur *indultariis*, requiri autem indultum apostolicum ut aliis personis dispensetur [3]. Cuius responsi haec ferme ratio esse videtur. Communio, non secus ac missa, per se ecclesiam requirit; fata autem missae dispensatio communionis sequi videtur. Ubi ergo facultas missae non conceditur nisi paucorum gratia, qui soli possint in oratorio satisfacere praecepto missae dominicae, iis etiam facultas communicandi circumscripta videtur. Sic ergo dicemus : Quot personae possunt ex Indulto in oratorio domestico satisfacere praecepto missae audiendae, tot possunt ibi sacram

---

1 Cfr. Decretum generale 23 ian. 1899 (*De Religiosis*, etc. t. 2, n. **271**, A, p. 710).

2 Cfr. *De Religiosis*, etc. t. 1, n. **514**.

3 Cfr. Analecta Ecclesiastica, t. 15 (1907), p. 23. Iam ante huiusmodi responsum de re dubitabatur. Cum eo autem componi non posse videtur benignior sententia scriptorum N. R. Th. in nota t. 39 (1907), p. 161.

recipere communionem. Ibi, id est in oratorio vel in ipsa domo, ex oratorio, si decubuerint.

Quare, si accurate dicere voluerimus, hac vel simili brevi formula non est utendum : « In quacumque domo vel Sanctissimum asservetur vel Missa celebrari permittatur, quotquot a mense sunt aegroti, semel vel bis in hebdomada SS. Eucharistiam recipere possunt quamvis ieiunium naturale stricte servare nequeant. » Sed distinguendum est oratorium publicum vel semi-publicum ab oratorio stricte privato ; et, cum missa dicitur in oratorio domus privatae, privilegium solos afficit indultarios nisi ex apostolico indulto maior concessa sit gratia.

Cur autem in domibus ubi celebratur missa frequentior concedatur usus privilegii, duplex haec afferri potest causa, quia cum minore sacerdotis incommodo eucharistia ibi porrigitur, nec timendum est ne ex nimis frequenti delatione per vias ac plateas, de reverentia erga SS. Eucharistiam aliquid detrahatur.

*Semel aut bis in hebdomada aut in mense.* His verbis non praecipitur ut binae communiones separentur intervallis trium vel quindecim dierum ; sed si ratio peculiaris id ferat, fieri possunt duabus diebus etiam continuis. Quamquam mens est Ecclesiae ut congrua potius intercedant spatia.

*SS. Eucharistiam sumere possint, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint.*

Quo spectet haec condicio, quae privatis S. Officii rescriptis exigi consueverat, declaravit ipsa S. Officii Congregatio, 4 iulii 1893 : Cui permittitur aliquid sumere per modum potus, licet sumere iusculum, caffaeum, vel alium cibum liquidum, quamvis mixtum parte quadam solida, ut (*semoule, chapelure : semmolino, pangrattato*) dummodo ne pereat liquida cibi qualitas.

— *Quaeres denique*, quid si aegrotus qui ieiunium moraliter servare nequit, superata tamen difficultate, nihilominus interdum communicet ieiunus? Poteritne ad communiones istas, quae extraordinariae suae devotionis sunt fructus, addere communiones ex praesenti indulto concessas?

Quamvis laudabilis zelus praemio suo sit dignus, id tamen non arbitramur ipsi licere. Ideo enim decretum est latum ut aegroto copia detur communicandi semel vel bis in mense aut hebdomada. Qui ergo alia via sibi in hac re consuluerit, ratione et beneficio decreti excidere prorsus videtur.

---

## 162. — PARERGON

### De facultate annectendi coronis indulgentias dictas a Patribus Crucigeris

Non tantum, ut monuimus supra, n. **159**, p. 173, facultas istas indulgentias coronis annectendi cuilibet sacerdoti concedi coepta est, sed, ut modo accepimus, a S. C. Propagandae Fidei missionariis apostolicis (in locis missionum exterarum) tribuetur communis.

---

# SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

## I. Supplementa



## II. Quaesita varia

# INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

## S. Congr. Episcoporum et Regularium.



## S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

## Parergon.



## S. Congr. Rituum.

# MONUMENTORUM

# INDEX CHRONOLOGICUS

# INDEX ONOMASTICUS

*Numeri indicant seriem paginarum*